Smithsonian
Institution
Libraries

Gift of

an Anonymous Friend

of the Smithsonian

COMMENTARII DE REBVS IN SCIENTIA NATVRALI ET MEDICINA GESTIS.



VOLVMINIS XXVII. PARS I.

LIPSIAE, MDCCLXXXV.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
Londini apud Pr. Elmsly, Edinburgi apud Io. Balfour, Lugd. Bat. apud Fratres Luchtmann, Pariſiis apud Barroi ſenior. Venetiis apud Io. Bapt. Paſquali, Milano apud Ioſ. Galeazzi, Auguſtae Taurinor. apud Laurent. Giraud, Holmiae apud Magnum Swederum.

QH
7
C66
v.27
SCNHRB

I.

Kongl. Vetenſkaps Nya Handlingar Tom. III. För År 1782.

i. e.

Noua acta Ac. Reg. Sc. Suecicae, annus 1782. Holmiae ap. Io. Georg. Lange 1782. 8. pag. 329. Tab. aen. 9.

Trimeſtre primum.

I. IO. CAR. WILKE meteoris, quae ad *Typhones*, *Ecnephias*, *Turbines* cet. pertinent, explicandis, adhibet experimenta ſua anno 1780, Trim. I. II. edita. Hic quidem ex itinerariis et phyſicorum relationibus, meteororum illorum hiſtoriae ſumma capita colligit, et deduci phaenomena ex experimentis ſuis oſtendit, quae ipſa experimenta profutura ſint ad phaenomena accuratius obſeruanda, cum in deſcriptionibus, quae exſtent, multa ſint, quae non recte vidiſſe ſpectatores, aut quas animo conceperant imagines naturae obtrudiſſe indicent. p. 3.

II. De *aethere*, auctore CAR. WILH. SCHEELE. Aetherem appellat cum Chemicis, oleum maxime volatile, penetrabile, colore orbum, odoris aromatici, in aqua ſolubile. Id primo obtinuerunt ex acido vitrioli et ſpiritu vini, tardius ex acido nitri, item ſalis cum ſp. v.; acidum ſalis autem et fortius eſſe oportet, et ſtanno vel regulo antimonii iunctum. Ceterum obſcurus adhuc eſt ortus aetheris, cui illuſtrando tentamina quaedam inſtituit Cl. Auctor, quibus oſtendit v. c. acidum vitrioli vere eſſe partem conſtitutiuam aetheris vitriolici; in aethere, qui habetur, deſtillatis cum ſp. v. butyro antimonii, calce ſtanni in acido ſalis ſoluta, ſpiritu fumante Libauii, p. 35.

non oriri acidum aëreum. Cur ſolum acidum ſalis cum ſp. v. aetherem non producat, experimentis inueſtigat. Ceterum, non omnia tentamina ipſi ſucceſſere, neque audet certi aliquid ſtatuere de
p. 44. geneſi aetheris. Etſi enim videatur ſemper adeſſe materia, quae phlogiſton ſp. v. attrahat; dubium tamen hic mouet aether aceti, et benzoës, cum nec his acidis vegetabilibus, nec acido ſpathi fluoris et ſalis, adfinitas aliqua intercedat cum phlogiſto. Imo, ſi ponantur attrahere phlogiſton, forte debilius, ſupereſt adhuc, vt explicetur, quomodo oleum ſpiritus vini, ſiue aether, ab aqua ſeparetur, cui ante intime erat vnitum? Suſpicatur tamen, hoc phaenomenon eodem modo explicari poſſe, quo ſulphuris ſeparatio ab aëre hepatico. Eſt ille aër in aqua ſolubilis, aeque ac ſpir. vini, conſtat autem ex phlogiſto, materia caloris, et ſulphure. Accedat igitur materia, quae ſeparet phlogiſton ab hoc aëre; ita ſecedit materia caloris, et ſulphur praecipitatur. Haec ad aetheris geneſin ita poſſunt transferri: Magneſiae v. c. magna intercedit adfinitas cum phlogiſto, ſi acidum aliquod in illam operetur. Quodſi igitur iungantur, calx haec metallica, ſp. v. et acidum ſalis vel vitrioli, attrahit magneſia partem phlogiſti ex ſp. v.; calor autem, ita increſcens, vt mixtura ſponte ebulliat, a phlogiſto ſuo liberatur, et ſic oleum ſp. v. ſiue aether ab aqua ſecedit, plerumque mixtus exiguo acidi, ad ſeparationem eius ab aqua facienti.

p. 46. III. C. P. THUNBERG deſcribit *ſpecies duas Myriſticae,* quantum fieri poteſt ex ſpeciminibus, quae liquori *Arrak* immerſa, Batauia miſit BARON DE WURMBS. Parum adhuc conſtitit de floribus arboris, vt nondum inſeri potuerit ſyſtemati ſexuali. Ex ſpeciminibus, quae accepit Noſter, maſculos flores ſeiunctos a feminis, in eodem ramo reperiri. Duas

autem

autem ſpecies, quas examinauit in RUMPHII *Her-* p. 49.
bario Amboinenſi Tom. II. Tab. 4. 5.; depictas his characteribus diſtinguit: *M. moſchata, foliis lanceolatis fructu glabro; M. tomentoſa, fol. ouatis, fr. tomentoſo;* vtrumque fructum naturali magnitudine exhibet, item calycem, et filamentum cum anthera: pleniorem tamen deſcriptionem exſpectandam dicit a Botanico, qui viuas plantas examinare poſſit.

IV. FRIDERICUS MALLET de *areis trinomiis* p. 50.
commentatur ad NEWTONUM de *quadratura curvarum* Prop. 7.

V. ERIC. PROSPERIN in litteris ad VARGEN- p. 61.
TINUM agit de *nouo planeta* ab HERSCHELIO detecto, cuius inprimis orbitam definire ſtudet.

VI. BENED. BJÖRNELUND, M. D. Med. Prov. p. 75.
refert, decem aegris in vrbe Björneborg feliciter datum *Ledum paluſtre*, cum ibi Auguſto et Septembri 1781 *dyſenteria* graſſaretur. Adhibitum eſt decoctum foliorum et ramuſculorum conciſorum, calidum, tepens, aut refrigeratum, quantum capiunt duo vaſcula, ex quibus infuſum Theae ſorbetur, ſexies aut ſepties die ſumtum. Nulli inde capitis dolores, nulla alia incommoda, ne quidem ingrata aegris medicina. Quo propius initio morbi adhibita, eo citius morbus ab ea mutatus. Decem, quos nominat Noſter, nullo alio remedio vſi ſunt, quidam alia iunxerunt, ſed huic maximam partem opis tribuerunt.

VII. IO. L. ODHELIUS, Holmiae quoque cum p. 79.
fructu datum *Ledi decoctum* confirmat.

VIII. I. TÖRNSTEN refert de frigore vehe- p. 80.
mentiſſimo d. 1. Ian. 1782, in Jämtlandia. Fuit illud hora 3½ Pom., gradum 52½ ſuecicor. infra punctum congelationis, imo hora 4½ mercurius deſcendit ad gradum 82; ſed hoc non a frigore fuiſſe

 indicat

indicat Noſter, ſed ab imminente frigoris decremento; nam hora 8. conſiſtebat mercurius ad gradum 35 et d. 2. Ian. h. 9. antem. ad 16 infra punct. congel.: animaduertit enim, cum thermometrum ex aëre libero in locum calefactum transferret, deſcendiſſe mercurium, itaque ſimile quid remittente frigore factum ſuſpicatur.

p. 83. IX. IO. CAR. WILKE in eo eſt, vt phaenomenum, quod retulimus, et ſimilia explicet, tum e cauo vitri, calore ampliato, tum ex legibus, quibus calor attrahitur fortius a vitro et aëre, quam a mercurio. Fatetur tamen ineſſe, quae curatius examinari mereantur.

p. 85. X. CLAUD. BJERKANDER, *Hygrometri florae* ſub titulo, refert: vbi defloruit *Carlina vulgaris*, et caulis, folia, calyx, anno ſequenti ſuperſunt, nubilo et humido aëre contrahi calycem, ſereno et ſicco aperiri, et ſitum horizontalem adfectare. Vlterius durante ſicco aëris ſtatu, calyx deorſum inflectitur, tandem duplicatus pericarpio ſe applicat. Ita et mox futuras aëris mutationes indicat, vt v. c. aëre mane ſereno exſiſtente, calyce vero clauſo manente, poſt meridiem nubilum tempus euaſerit, et contra.

p. 86. XI. BJÖRNELUND oculatus teſtis ſequentia refert: *Miles*, malorum morum cauſſa dimiſſus, menſe Martio 1780 *deglutiit monetas ſuecicas minores* (*twå ſtyfvers ſlantar*) *cupreas* ea multitudine, vt pretium 6 ad 9 Dalerorum cupreae monetae, quam vocant Sueci, efficerent, praeterea cultrum, cuius laminae acies intra manubrium conditur, chalybem et ſilicem. Poſt aliquot dies ſilicem, et numorum aliquos excreuit, reliqua vsque ad Octobrem huius anni retinuit. Cum verſus anteriora incuruaretur, tacto abdomine ſonitus contentorum audiebatur, item cum ſe conuerteret. Primum

ab

ab aerugine fere ſuffocabatur, quod lacte et pulte leniebat. Labores nullos peragere poterat, grauato et preſſo numis ventriculo, igitur plerumque decumbens, cum vnum latus doleret, in alterum ſe conuertens. Plura remedia fruſtra adhibuit, BJÖRNELUND eum ad medicum prouincialem ablegauit, cuius remedia cum non ſtatim prodeſſent, eum neglexit. Elapſo anno dimidio, omnia naturae ſolius ope per aluum egeſta, numi nitentes, os manubrii abſumtum, lamina, et quod ferrei erat in manubrio, item chalybs, ſcabra.

Trimeſtre ſecundum.

I. I. CAR. WILKE *Anemometra* hactenus adhibita breuiter deſcribit et diiudicat, ſimul *noui* ideam exhibet. p. 89.

II. PHIL. PICOT, BAR. DE LAPEIROUSE, quaedam in hiſtoria auium ſupplet et emendat. Vultur *barbatus*, in Africa et Pyrenaeis, maximus vulturum Europaeorum. Synonyma auctorum minus tuta. Vultur *Arrian* eo nomine in Pyrenaeis communis, nemini adhuc ornithologorum deſcriptus. *Lanii* montes pyrenaeos, dum appropinquat *ver*, viſitant, autumno abeunt, homines iis veſcuntur, excepto *L. excubitore*, qui nunquam pingueſcit, vt reliqui. Quae ornithologi de femina *Turdi ſaxatilis* ſcripſere, ad *Lanium infauſtum* retulit LINNEVS, minus recte; nam ſynonymum Geſneri, quod citat, manifeſte ad Turdi ſaxatilis feminam pertinet, quam Noſter curatius deſcribit. Ita ſaepius Linneum et Com. de Buffon corrigit, aut ab iis relata confirmat. p. 104. p. 105. p. 109. p. 115.

III. CAR. PET. THUNBERG *quaedam ad praecedentia monet.* Non omnia noua eſſe, optari poſſe, vt quaedam accuratius eſſent deſcripta. Lanium infauſtum nec ad Accipitres pertinere, itaque non p. 118.

 ad

ad Lanios, nec ad Paſſeres, itaque non ad Turdos, ſed ad picarum ordinem, vt recte Linneus in Fauna Suecica ipſi nomen Corui infauſti dederit, licet poſtea loco mouerit et ad Lanios retulerit.

p. 120. IV. CAR. WILH. SCHEELE *aceto conſeruando* ſuadet, vt acetum coquatur in aheno ſtanno obducto, aut, ſi quis ſtannum metuat, in ampullis vitreis, aquae immiſſis, quae igne ad ebulliendum agitetur. Ita tractatum acetum plures annos durat, in aëre libero, et in ampullis non plenis.

p. 122. V. CLAUD. BJERKANDER edit *calendarium inſectorum* anni 1781; qua die quoduis inſectorum plurium, quae enumerauit, vel perfecta forma ex inuolucro emerſerit, vel in pupam larua ſe inuoluerit.

p. 132. VI. C. P. THUNBERG nouum plantae genus edit *Fagraeam*, in honorem Botanici Sueci FAGRAEI hoc nomine inſignitam. Frutex eſt, quem ſemel tantum in inſula Ceilon reperit, rarior, vt quem non norant incolae. Character genericus eſt: bacca bilocularis carnoſa, ſemina globoſa, ſtigma peltatum. Locus in ſyſtemate ſexuali Cl. viri proxime poſt *Randiam*; a *Brunsfelſia*, cui ceterum ſimillimum genus eſt, differt ſtigmate et bacca; a *Portlandia*, ad quam habitu proxime accedit, calyce et corolla infra germen poſitis, tubo floris cylindrico, ſtigmate et bacca, a vicino in ſyſtemate *Strychno*, perianthio perſiſtente, ſtigmate, bacca, ſeminibus. Pertinet ad ordinem naturalem *Contortarum*.

p. 134. VII, ZACH. Z. PLANTIN docet datis ſoliditate et longitudine *vaſis rotundi baſibus aequalibus terminati*, item differentia diametrorum ipſas diametros reperire.

p. 138. VIII. PETR. GVST. FELGMANN, quaedam edit *de Strige Aluco*, tum ad deſcriptionem animalis, tum

tum ad oeconomiam pertinentia. Veſiculam fellis maiorem eſſe ait, quam ſit apud vllam auium, quas norit, tribus ductibus in inteſtina aperitur, duobus in tenuia, tertio in vnum coecorum. Oua parit menſe Aprili, non vltra quinque illis per menſis ſpatium incumbit. p. 139.

IX. NICOLAVS DAHLBERG vſus medicos refert, quos ipſi praeſtitit *cucumis colocynthis*. Primo ſententiam celebris auctoris ſecutus dedit fructum a granis liberatum in puluerem tenuem comminutum, ſed hoc tormina ventris ſecuta ſunt, difficillimum etiam eſt obtinere puluerem ſatis tenuem. Itaque adhibuit *tincturam colocynthidis*, prouti in recentiore editione *pharmacopoeae Suecicae* deſcribitur, cuius 12 — 20 guttas, aquae frigidae immiſſas, quauis die quater aut quinquies ſumi iuſſit, numero guttarum paullatim aucto; tum raro aut nunquam ſecuta tormina ventris aut colica, nec alia mala, ne quidem cum id remedium daretur tribus feminis grauidis, quae eo in ſtatu ſe eſſe non edixerant. Sapor amarus tolli non poteſt; minus tamen obeſt vſui huius remedii, quam multorum aliorum, ſapor. Vtile remedium expertus eſt in paralyſi, rheumatiſmis, malo iſchiadico, doloribus, qui mercurii vſum imprudentem ſequuntur, febribus. p. 144. p. 145.

X. *Diametros hyperbolarum redundantium* in NEWTONI *Enum. lin. tertii ord.* definire docet ZACH. NORDMARK, Aſtr. Obſ. Extr. Vpſal. p. 147.

XI. SAMVEL OEDMAN *de tempeſtatum viciſſitudinibus* anni 1781 refert, quae obſeruauit in inſulis $3\frac{1}{2}$ miliari ab Holmia ad litus maris ſitis, *Wermdö*. Simul de auium acceſſu aut receſſu, aliis ad animalium oeconomiam pertinentibus, quae calendarium aliquod Faunae conſtituunt. Ruſticorum de tempeſtatibus praeſagia adducit, aliqua confirmat. Cir- p. 158.

ca 25 Martii anguillam huc vſque flauam, vireſcere aiunt piſcatores. Noſter autem credit, eo tempore flauos, qui in vliginoſis fundis maris habitarent, plerumque iam captos eſſe, iam virides ex lacu *Mä lare* aut aliis lacubus prodire.

Trimeſtre tertium.

p. 169. I. IO. CAR. WILKE methodos exhibet *aquam commode ſaturandi acido aëreo* aut aliis aëris generibus. Redeunt ad excitandos in aqua vortices, quales typhonibus cet. explicandis adhibuit, vt trim. 1. art. 1. dictum eſt.

p. 177. II. GEORG. WILH. A SILLE'N comparat inter ſe varios *modos agris vtendi*, prouti agro vel alternis annis quies indulgetur, vel idem ager duobus aut tribus annis ſe ſequentibus conſeritur. Experimenta annor. 20 in tabulam coniecit, quam fuſe explicat, et comparatis commodis et incommodis, in Suecia ſaltim, optimum fore colligit, vt agri alternis annis quieſcant.

p. 217. III. PETR. N. BAR. A GEDDA docet nouam conſtructionem *tubi iconantidiptici*, qui eiuſdem obiecti imagines duas exhibeat, erectam alteram, alteram euerſam. Primum inſtrumentum eius generis exhibuit Cl. IEAVRAT, Noſter vero varia, quibus ſuum inuentum gallicis praeſtet, enumerat.

p. 223. IV. C. P. THVNBERG *de olei Caioputi vſu medico*. Nomen ex vocibus malaicis *cajo* et *puti* compoſitum eſt, quae *arborem albam* ſignificant; eſt enim arbori epidermis alba. Botanicum arbori nomen eſt Meloleuca leucadendra, indigena eſt inſularum moluccarum. Oleum ex foliis deſtillatur, cum puriſſimum eſt colorem viridem graminis oſtendit, deflagrat abſque reſiduo, camphoram olet, terebinthinae mixtam. Deſtillatur in inſula Banda,

da, vnde in lagenis mittitur ad Batauiam orientalem et occidentalem. De interno eius vſu nihil expertus eſt Noſter, externe plurimum valet contra rheumatiſmos, dolores dentium, inflammationes, arthritidem, podagram, conuulſiones. Vſum communem caritas impedit, conſtat enim in Suecia vncia thalero imperii; putat vero Noſter, obtinere ſe poſſe, vt pretium hoc ad dimidium reduci queat. Inſecta necat.

V. SAMVEL OEDMANN in Suecia obſeruauit, p. 228. *Sternam Caſpiam*, quam deſcripſerunt PALLAS et LEPECHIN Comm. Nou. Ac. Petrop. T. XIV. p. 582. p. 500. Eſt OEDMANNO, *Sterna* cauda forficata alba, breviori, roſtro coccineo, capillitio aterrimo, pedibus nigris. Maxima. Habitat rarius in extremo margine ſcopulorum in vicinia inſulae *Wermdö*. Piſces ex mari haurit, magnis viribus ex aëre in profundum deſcendens, magis quam exſpectari poterat ab ave alis longioribus inſtructa. PALLAS cum Laris ſuam auem in ſocietate viuere refert, quod in Suecia Noſter non obſeruauit, potius TELGMANNVS ipſum docuit, ſaltim in lacu *Målar*, quae loca Laris frequentantur, ea Sterna vitari et contra.

VI. CAR. PET. THVNBERG deſcribit *Nipam*, no- p. 231. vum Palmae genus, Iauam inſulam habitans, cuius ſpicam floridam, eleganter pictam *Rumphius* exhibuit, ſed ita deſcripſit, vt inde locus illi in ſyſtemate ſexuali adſignari nondum potuerit. Character ge- p. 234. neris ipſi eſt; ♂ Spatha; Corolla hexapetala. ♀ Spatha, Corolla nulla, *Drupae*, angulatae. Speciem vnicam nouit, fruticantem, vix hominis altitudinem ſuperantem. Folia eius pinnata. Partes fructificationibus pluribus ſpathis quarum vna alteram ambit, tectae, cuius rei finem ignorat, cum plantae in locis calidis creſcenti nihil periculi ſit a tempeſta-

p. 235. peſtatum iniuria. Peculiare vero huic plantae eſt, quod germina nullum ſtyli aut ſtigmatis indicium oſtendant, ſed ſtigmatis loco, fructui inſculptus ſit ſulcus oblongus humidus, cui ſimile in regno vegetabili vix quidquam ſit, niſi in Agyneia.

p. 236. VII. PER. VARGENTIN ex *tabulis*, quibus *numerus incolarum* Sueciae continetur, ſummas annorum 1751; 1772 refert, et varia, quae ad arithmeticam politicam faciunt obſeruat.

p. 244. VIII. CAR. M. BLOM, M. D. docet, *triticum repens* Linn. in pratis, abſque fimo, cum fructu coli poſſe. Plurimum foeni ex illo obtinuit, credit etiam vſui fore tectis, quae ex ceſpite fiunt, firmius coniungendis, ſi radices conciſae, inferiori ceſpitis ſtrato terra addita immittantur.

Trimeſtre quartum.

p. 249. I. NICOLAVS MARELIVS quaedam refert de *tabularum geographicarum* proprietatibus, et illa applicat tabulis prouinciarum *Sueciae* et regni totius conficientis.

p. 264. II. CAR. W. SCHEELE docet quomodo *materiam tingentem coerulei berolinenſis* puram ab iis, quae illi admixta ſunt obtinuerit, quae niſi ipſis proceſſibus deſcriptis huc transferri non poſſunt.

p. 275. Eſt eius materiae odor particularis, non ingratus, ſapor ſubdulcis, irritat tuſſim.

p. 276. III. GERH. MEYER deſcribit machinam, *excavandis tormentis maioribus, quae ſolida funduntur.*

p. 284. IV. CAR. PET. THVNBERG *nouum palmae genus* deſcribit, cui *Licuala* nomen eſt. Cum plures Palmarum in India florentes viderit, aliquibus illorum loca ſua in ſyſtemate ſexuali adſignat. Ita ex eius ſententia poni debet

Heli-

Heliconia; ad	5andr.	1 gyn.	poſt	Achyranthem
Muſa	6	1	ante	Bromeliam
Chamaerops	6	1	poſt	Muſam
Corypha	6	1	—	Chamæropem
Licuala	6	1	—	Corypham
Nipa	1 oec.	1 andr.	—	Cynomorium.
Elate	1 oec.	3 andr.	—	Omphalaeam.
Cocos	1 oec.	6 andr.	—	Pharum.
Areca	1 oec.	polyandr.	—	Liquidambar.
Caryota	1 oec.	polyandr.	—	Arecam
Phoenix	2 oec.	3 andr.	ante	Empetrum.
Boraſſus	2 oec.	6 andr.	—	Smilacem
Elais	2 oec.	6 andr.	poſt	Boraſſum.
Cycas	2 oec.	polyandr.	—	Cliffortiam
Zamia	2 oec.	polyandr.	—	Cycadem.

Licualae character genericus eſt: Calyx 3partitus, Corolla 3partita, Nectarium ſertiforme, Drupa vnilocularis. Vnica eius ſpecies hactenus innotuit, quae *ſpinoſa* dici poteſt. Depingit illam RVMPHIVS *Herbar. Amboin. T. I. Tab. 9.* Nomine *Licuala* Macaſſari vtuntur, et plerique Indiae incolae, tum indigenae, tum Europaei. Habitat arbor in Archipelago indico circa Iauam, vix viri altitudinem attingens. Foliis flabelliformibus, quorum pinna quaelibet ipſa plicata eſt, ad Corypham accedit.

V. T. BERGMAN agit de aquis mineralibus in p. 288. loco *Medevi* Gothiae orientalis. Innotuerunt inde ab anno 1677, vbi VRB. HIERNE in illorum naturam inquiſiuit, imperfectius, quam vt eius adſerta noſtro tempore multum doceant. BERGMAN- p. 292. NVS in aqua reperit acidum aëreum, aërem hepaticum, ferrum in acido aëreo ſolutum, exiguum calcis vnitum acido ſalis, ſalis communis aliquantulum, quod vix in cenſum veniat, et extractiuum mucilaginoſum. Vires plurimas ſalutares tribuit aëri hepatico, quo cum orbae ſint aquae Pyrmontanae et Spaënſes, ſaltim vt in Sueciam adferuntur, illis

illis praefert Medeuienſes, quae praeterea nil niſi vti-
p. 293. le contineant. Methodum repetit agnoſcendi, ſitne in aquis martialibus ferrum ſolutum acido aëreo, vt medicinae aptae ſint, an vero martiales hae aquae craſſiores ſint, vitriolicae, minus tuto adhibendae. Ebulliat aqua examinanda circiter quartam horae partem. Omnino refrigeratae portio vitro infundatur, et aequali vitro tantundem eiuſdem aquae ex ſcaturigine hauſtae. Vtrique vitro immittatur numerus aequalis guttarum ſpiritus vini, qui per aliquot dies infuſus ſtetit pulueri gallarum, in lagena ſubere probe obturata. Quodſi in cocta aqua nihil eius praecipitati conſpiciatur, quod non cocta, recens hauſta oſtendit, certum eſſe ait BERGMANNVS ferrum ineſſe aquae acido aëreo ſolu-et tum, aquam tuto acidularum ad modum adhiberi. Si vero in vtroque vitro praecipitatum appareat, aut forte minore quantitate in eo, quod coctam aquam continet, adeſſe acidum minerale, et aquam non adhibendam eſſe, niſi artis perito in conſilium vocato. Ceterum, addi proh dolor! oportet, qui hunc aquarum Medeuienſum commendationem ſcripſit, Bergmanum, cum illis aliquoties cum fructu vſus eſſet, ad eaſdem, quemadmodum ſupra*) iam retulimus, Iul. 1784. phthiſi conſumtum occubuiſſe.

p. 299. VI. CLAVDIVS BIERKANDER anno 1782, *Semina*, tum cerealium, tum leguminum, *terrae ad varias profunditates immiſit*, inde ab vno digito ad ſex, et quo tempore quaelibet progerminauerint, floruerint, maturuerint, refert.

p. 301. VII. Ad H. SHÜTZERCRANTZ femina venit cum filia 6 annor. coloris flaue palleſcentis tumente facie, oculis rubentibus, abdomine expanſo, duro, pulſu celeri, lingua pura. Querebatur puella de capitis dolore grauatiuo et tenſione, doloribus dorſi et articulorum. Mater ipſa vermes ſuſpicata reme-
dia

*) vid. comm. noſtr. Vol. XXV. p. 725.

dia contra illos adhibuerat, nullis tamen excretis, ſuaſit medicus digeſtiua, et quae mucum diſſoluerent cet. Anno ſequenti 1781, eodem menſe Iulio, quo primum mater adierat medicum, rediit, referens, adhibitis remediis multum muci abiiſſe, nullos vermes, abdomen minus eſſe durum ac tenſum, ſed tribus diebus ante nouilunium increſcere dolores et tenſiones dorſi et femorum, vt inde fere claudicet, ſequi capitis tenſiones, aurium dolores, poſt aliquot dies ſanguinem e naribus profluere, iam maiori copia, iam minore, deinde leniri mala, donec proximo nouilunio redeant. Haec viſa ſunt medico ad purgationem menſtruam pertinere, licet inexſpectatam in puella $7\frac{1}{2}$ annorum in climate adeo frigido. Praeſcripſit antiſpaſmodica, pediluuia et martialia. Anno 1782 redierunt mater et filia, retulit mater, menſtrua filiae coepiſſe, primo aliquantum irregularia, deinde, quinque menſibus, ordine ſuo circa nouilunium, duraſſe quatuor dies. Puella bene valebat, nihil conqueſta, niſi aliquot diebus, antequam flueret ſanguis, dolores dorſi et femorum, qui exeunte ſanguine ceſſarent.

VIII. PET. ION. BERGIVS agit de *habitatione in ſtabulis vaccarum, phthiſicis commendata.* Vberius deſcribit, quae facta ſunt, feminae cauſſa, quae iam duos annos phthiſi laborabat, ſanguinem exſcreauerat, aſthmate, febri hectica, laborabat, accedentibus ſudoribus nocturnis, et tuſſi vehemente. Atrium inferius domus ita inſtruebatur, vt quatuor vaccae ibi poſſent ſtabulari, quarum vrina canalium ope effluebat. Aegrae lectus paulo ſublimius capitibus animalium collocabatur, vt duae vaccae ad quoduis eius latus eſſent. In omnibus, quantum fieri poterat, munditiei ſtudebatur. Aegra in hunc locum menſe Septembri delata, iam medio Decem-

p. 307. p. 309.

cembris multo melius ſe habebat, febre remiſſiore, pulſu minus veloce, tuſſi plurimum imminuta. Conſidere etiam in lectulo poterat, oculi inflammati rubebant, non certe a venti forte per aperturas oppoſitas tranſitu, id enim ne contingeret ſollicite cautum erat, ſed a copia vaporum ammoniacalium, nam omnibus quos, ſtabulo hoc modo vſos vidit, aut de quibus audiuit, oculi inflammati rubuerunt. Aegrae illi contra inflammationem oculorum adhibitae hirudines et camphora. Ceterum diaeta, quae conueniret, vſa eſt. Vere toto in illo ſtabuli genere habitavit, Iunio menſe, cum incaleſceret aër in rus profecta eſt, tota aeſtate ſatis bene ſe habuit, vt etiam in aëre libero exſpatiaretur. Proximo autumno, non omnino rurſus, vt volebant medici, habitauit in ſtabulo, nocte tamen in illo decubuit, deinde rurſus in rus abiit, ſed iuſto citius vere adhuc frigidiore, vnde febriculam contraxit, paulo tamen melius ſe habuit, aeſtate calente. Sub autumni initium redierunt, quae phthiſin indicabant, aſthma, tuſſis frequens, ſudor nocturnus, febris hectica. Renuebat ingredi ſtabulum, in cubiculo ſuo hyeme ad finem vergente extincta, aetatis aliquot annorum ſupra triginta. Minus prolixe refert de duobus viris, qui breuiore tempore ſtabulo vſi, parum ex eo
p. 316. profeciſſe videntur, vterque mortuus eſt. Iam, cum phthiſis, alia ſit ſcrophuloſa, alia exulceroſa, in priore prodeſſe iudicat inprimis ammoniacales animalium vapores ad tubera emollienda et diſſoluenda, minus conducere habitationem in ſtabulo vlceribus, quae irritata potius peiora poſſint fieri.

p. 349. IX. PETR. WÄSSTRÖM ſtructuram, quam in actis acad. an. 1767 *frumento ſiccando* propoſuit, qua calor ab igne ad ferrum tractandum adhibito in vſum vertitur, tuetur contra *Munchhuſii* oeconomi obiectionem, qui vapores arſenicales alioſque nocuos fru-

frumentum infecturos verebatur. Alia in eadem ſtructura emendata explicat.

X. PETR. HELLZE'N Lect. Matheſ. in Gymn. Hernöſandenſi, *deſcribit vehementes terrae et aquae commotiones*, quae 23 Maii 1782 in parochia *Liden* in prouincia *Medelpod* contigerunt faciemque regionis plurimum immutarunt. p. 323.

II.

Tractatio de quibusdam notabilioribus obiectis ad artem obſtetricandi ſpectantibus, tyronum vſui deſtinata, auctore CHRIST. IACOBO THEOPHILO de MEZA — Hafniae 1783. 118. pag. in 8vo.

Primo capite de pelui agitur. Oſſa illius primum, poſtea eorum coniunctio deſcribuntur. Cartilaginem, qua pubis oſſa iunguntur, oſſeam duritiem aut nunquam, aut rariſſime acquirere. Vſus peluis deſcribitur, eaque traduntur, quae ad pelvim bene formatam requiruntur, diametrum, cavitatem peluis, caet. concernentia. De pelui male formata. Varii modi, quibus natura in pelui aberrat, cauſſaeque talis malae conformationis bene expoſitae ſunt. Qua ratione ex morbo rachitico peluis mutetur, inprimis exacte dictum eſt.

Altero capite *de affectionibus naturalibus et morboſis a grauiditate et partu pendentibus* agitur. Grauiditatis ſymptomata, ſigna, et ſymptomatum cauſſae exponuntur (de orificii vterini ſtatu in grauidis mutato, et qua ratione ex eo grauiditas cognoſci poſſit, Noſter non loquutus eſt). Ad grauidarum vomitum pertinaciſſimum ſubinde cucurbitae non cruentae ventri vtiliter applicantur. Iſchuriam conveniens corporis ſitus tollit. p. 27.

p. 56. *De ſanguinis ex vtero profuſione* tertio capite agitur. Cauſſae, tale profluuium in grauidis producentes, occaſionales bene traditae ſunt. Lintea in penis formam conuoluta ſtyptica medicina madefacta et in vaginam vteri immiſſa Noſter non laudat; quum tamen haec methodus a probatiſſimis viris ad ſanguinis immoderatam profuſionem pro efficaciſſima habita fuerit. Tincturam cinnamomi ad haemorrhagiam, a non penitus ſoluta placenta compeſcendam, Noſter inutiliter adhiberi vidit.

p. 78. *De partu eiusque ſpeciebus et diuiſione ab antiquioribus et recentioribus* quarto capite agitur.

p. 101. Signis foetus mortui breuiter capite quinto traditis, ſexto *hiſtoria febris puerperarum, in noſodochio Hafnienſi anno* 1781. *obſeruatae*, exponitur. Febris aeſtate ſaeuiit. Symptomata putridae colluuiei in infimo ventre collectae et inflammationis putridae in morbi progreſſu adfuere. Ruberrima facies, ſudor ſtatim poſt partum accidens, copioſus, odorem peculiarem ſpirans, morbum praeceſſit, qui irritabiles feminas, inter ſpem et metum viuentes, inprimis corripuit. Mortem praeceſſerunt dolorum in abdomine ceſſatio, pulſus paruus, tremulus, intermittens, vomitus, ſingultus, tendinum ſubſultus.

Emetica nocuerunt. A lenibus laxantibus aluus tarde mota nihilo tamen ſecius diarrhoea putrida, funeſta oborta eſt. Opium ad diarrhoeam cohibendam non valuit, neque moſchus ad ſingultum. Venae ſectio, et ter, caſu vrgente, repetita, et camphoratae medicinae optime valuerunt, verum in morbi initiis tantum. Mortis dies incerta fuit. In cadaueribus inciſis meſenterium inflammatum, gangraena correptum, pus in infimo ventre magna copia collectum, inteſtina aëre diſtenta reperta fuere. Vterus raro inflammatus repertus eſt.

Mor-

Morbum denique ex lactis metaſtaſi non ortum eſſe probatur. (Nos nuper febrem puerperarum in initiis mere paene biliosam, poſtea vero magis inflammatoriam ſubputridamque, curauimus, in qua XXIV. die morbus hoc modo ſoluebatur, vt materiei pars abſceſſus forma crura peteret et inciſione facta educeretur, pars vero in pulmonibus decumberet, et ſuffocatione diriſſima producta aegram, deſideratiſſimam ornatiſſimamque feminam, iugularet. Lac fuiſſe hanc pulmonibus inſidentem materiem ex eo probabile eſt, quod ex abſceſſu ad crura inciſo lac corruptum magna copia profunderetur.)

III.

Apparatus medicaminum, tam ſimplicium, quam praeparatorum et compoſitorum, in praxeos adiumentum conſideratus. Volumen tertium. Auctore IOANNE ANDREA MURRAY, Equite ord. Reg. de Waſa Conſil. Reg. aul. Profeſſ. med. et botan. ord. in acad. Reg. Goetting. — Goettingae apud Io. Chriſt. Dietrich, 1784. in 8vo. 572 pagg.

Primi et alterius voluminis argumentum in commentariis noſtris *) breuiter enarratum eſt. Tertia operis ex omni parte abſolutiſſimi, medicis practicis vtiliſſimi, pars ſtirpes comprehendit *multiſiliquas*, *ſenticoſas*, *pomaceas*, *heſperideas*, *ſucculentas*, *columniferas*, *gruinales*, *caryophylleas*, *calycanthemas*, *aſcyroideas*, *coadunatas*.

Aquilegiae vulgaris ſemina, ob cognationem herbae cum maligna familia ſuſpecta ſunt. Syrupus

*) Vol. XXII. Part. II. pag. 353. Vol. XXIII. Part. II. pag. 261.

ex floribus paratus ad ſalium naturam detegendam ſyrupo violarum magis valet. — Aconiti napelli habitus externus pro plantae aetate admodum differt, hinc, ne cum Aconito cammaro L. confundatur, cura opus eſt. Veterum aconitum num noſtrorum ſit, dubium eſt. Extractum herbae ad rheumaticos et arthriticos morbos potiſſimum valet absque inquinamento humorum alieno inductos. Iſchiadem neruoſam, quam ipſe Ill. Auctor ſuſtinuit, atrociſſimam veſicatorio impoſito et napello poto breui diſcuſſit. Valens ad anchyloſes et cartilaginoſos tumores omnis generis, qui mercurii et cicutae vim adeo eluſerunt, medicamentum eſt. Scirrhorum napello reſolutorum exempla Ill. vir ipſe vidit. Subuenit admodum venerea lue adfectis. Doſi herbae puluis dari poteſt admodum magna. Feminam vidit Ill. vir, quae octo extracti grana vno hauſtu deuorauit. (Decem grana per diem dedimus iuueni tumore albo articulorum inferiorum, genu, pedum laboranti, ſed ſine vllo fructu, incaſſum et aliis medicamentis pluribus tentatis, ita vt tandem tabidus periret, tumoris materiae parte ad pulmones delata). Conſolidae regalis flores in Saxoniae variis locis, vbi viola parce prouenit, ad ſyrupum parandum adhibentur, qui violarum ſyrupo non cedit, cuius rei non meminit Ill.
p. 34. Auctor. In vnguento ad pediculos adhibendo, vt cauti homines ſint Ill. vir ſuadet. (Vidimus ſubinde paralyſeos ſpeciem ab hoc vnguento in vitulis inductam, ſine dubio a mercurio pendentem). Paeoniae radix omni efficacia certe deſtituta non eſt, valentior tamen illius ſuccus eſt. Hellebori nigri veri loco quum ſaepe aliae radices, eaeque ſubinde admodum venenatae, diuendantur, ſuadendum, vt pharmacopolae nigrum maxime in hortis colant. De Graecorum helleboro nil certi pronunciari poteſt;

poteſt; quum tamen Helleborus niger Linnei in Anticyra inſula et Olympo monte crebro proueniat, coniectura naſcitur, plantam eandem fuiſſe, ad quam effectuum conuenientia accedit. — Medicamentum non funeſtum, nec admodum forte helleborus eſt, deleteriique eius effectus enarrati ab auctoribus, a ſtirpium confuſionibus vtplurimum pendent. Doſi tamen ſubinde et nimia radicis peccatum eſt. (Menſtruum fluxum pellendi vim ſummam radicis ANTONIUS *de* HAEN pluribus et fide digniſſimis experimentis probauit, KAEMPFJUS autem nuper confirmauit.) In volatili hellebori principio euaporando nimius eſſe videtur Cl. BACHER. Praeſtat maxime vinoſum hellebori extractum. Tutum et efficax anthelminticum helleborus viridis caute datus eſt. Anxietatem diram, ſi doſi exceditur, excitat. Ranunculi omnes acres ſunt, vſui tantum externo, epiſpaſtico deſtinati. — Scelerati ranunculi herba ſiccando acredine ſua priuatur penitus, decocta oleraceae plantae loco a Murlachiae paſtoribus habetur. Recens plantae infuſum acerrimum, ſenſim miteſcens. Exurens admodum herba recens eſt, hinc in externo eius vſu caute agendum. Ex anemone pratenſi aqua parata cryſtallos in vitro generat flammam concipientes, ſaporis plane expertes; liquatas vero candelae flamma ſaporem acerrimum lancinantem, vix ferendum in lingua excitantes. Lingua per aliquot adhuc dies ſtupuit, albis maculis obſeſſa. Ruta in neruorum morbis a veteribus admodum laudata, ad epilepſiam ab iis, non tam ad ſanandum morbum, quam ad aegros excitandos, adhibita eſt. (Rutacei aceti odor ad puerperas ſtatim poſt partum refocillandas euporiſta et quoad effectum nulli alii comparanda medicina eſt.)

p. 118. Saxifragae rubrae radici vis calculum pellens dubia tribuitur. (Nos in muſeo noſtro ſeruamus calculum veſicae vrinariae pondere vnciam excedentem in vetula, caſſum adhibitis multis medicinis domeſticis, ſaxifragae radicis drachmis circiter duabus ſumtis ſumma vi depulſum). Gei vrbani radix a Daniae medicis adeo (et nimis forte) decantata in Suecia ſperatum effectum non edidit, et praeter nauſeam ab eius vſu motam, nihil praeſtitit. Hinc febrifuga radicis vis nondum omni dubio caret. Geum rivale in Suecia ad intermittentes febres vtiliter adhibitum et copioſe eſt, nec tamen in pharmacopoeas Suecicas receptum. Phthiſin pulmonalem ſanauit potentilla anſerina cum aqua cocta. (Succum expreſſum herbae certe non inefficacis, domeſticae in Saxonia medicinae praeferremus; ſed omnes herbarum ſucci, qui languentibus ſtomacho et inteſtinis dantur, primum leni igne deſpumandi ſunt.) (Fragorum quibusdam hominibus non ferendorum exempla ſingularia TISSOTUS dedit, ab Ill. viro praeteruiſa.) Agrimoniae laudes ad haemorrhagias ſuſpectae Ill. Auctori merito ſunt (vulneraria vis magna illi adſcribitur a medii aeui medicis, forte etiam ſuſpecta.) Ex rubi arctici ſapidiſſimis omnium Europaeorum fructibus vires ſumme inſtaurantibus vinum omnium artificialium ſapidiſſimum paratur. Ad roſarum rubrarum conſeruae vim ad phthiſin pulmonalem ſacchari vis multum confert (eam ſine vllo fructu ad phthiſin a morbillis reſiduam adhibuimus.) Nocet in pituitoſa phthiſi ob ſacchari vim relaxantem. (Iuſculum ex cynosbati fructibus cum vino, qui ex febribus bilioſis, putridis conualuerunt, ſumme conuenit, et prae omnibus aliis alimentis. Praebent etiam hi fructus morbo maxime accommodatum alimentum cum paſſis vuis et vini acidi particula decocti. Talis

lis cibus vere analepticus, vere cardiacus, ſimulque morbo aduerſus eſt).

Occaſione, qua poma pertractantur, de fructi- p. 180.
bus horaeis agitur. Intelligit Ill. Auctor ſub iis fructus varios ſuccoſos molles, qui vel baccam, vel drupam, vel pomum conſtituunt, aeſtate vel autumno matureſcentes. (Si a veteribus, et a conſuetudine recepta in rerum denominationibus diſcedere non adeo fas eſt, horaei fructus hi tantum vocandi ſunt, qui aeſtate naſcuntur, caniculae et ante caniculam temporibus, quae et vera veterum mens fuit; cf. RICHTER *diſſ. de ſalubritate fructuum horaeor.* §. 3. Opuſc. Part. II. p. 151. Diſtinxerunt adeo veteres diligenter, nec immerito certe, inter *pomaceos* fructus et *horaeos*, inprimis ALEXANDER TRALLIANUS: hinc fructuum horaeorum, ſi in medicis nominibus vitanda confuſio ſummopere eſt, claſſis tantum, quam Ill. viro placet, dilatanda non eſt.) Vini pomacei vires, noxae copioſe recenſentur, de medico pomorum vſu non admodum multa proferuntur. (Adhibetur in Saxonia aqua, in qua poma ſylueſtria ſiccata cocta ſunt (*Rüſtlinge*) ſapidiſſime acida, aeſtui, acrimoniae климатиче biliosae et putredini admodum aduerſa cum vtilitate ſumma in febribus acutis bilioſis, putridis, nec in inflammatoriis morbis obeſt potulenti hoc genus ad tales affectiones ſumme idoneum.) (Roob baccarum ſorbi aucupariae Saxones frequenter vtuntur, ceu medicina domeſtica ad ſudores pellendos, ſubinde et ad aluum purgandam. Medicatae virtutis haud parum in medicamento latere videtur, ſed vſus nondum ſatis patet.) Ceraſorum nigrorum aqua, qualis in noſtris officinis paratur, vix ſuſpecta eſt. Noxae in Anglia huius aquae obſeruatae inde pendent, quod ex nucleis aqua parata fuerit. (Nonne omnibus nucleis fructuum ſapore volatili, amari-

 cante

cante praeditis, cerasorum, prunorum, malorum perſicorum, amygdalis amaris caet. vis quaedam venenata occulta, homini, dum diu et copioſe iis vtitur, infenſa? Ad id credendum ego fere exemplis quibusdam alio loco enarrandis inducor.) Lauroceraſi aquae effectus deleterii fuſe recenſentur; medicus huius aquae vſus parum praeſtiturus videtur. (Alia huic analoga aqua deſtillata, veneno, ni fallimur, hactenus prorſus incognito, iugulauimus plures cuniculos, nec dubitamus, quin in aliis animalibus et in homine eadem accidant. Sed experimenti expoſitio hic aliena eſt.) Effectus amygdalarum amararum multa ſimilia habet cum iis ex veneno lauroceraſi. (Sciuros plures, quos manſuetos redditos domi ſeruaui, iis necaui. Sed hi etiam necantur nucleis prunorum, perſicorum, malorum Armeniacorum, copia et admodum parca devoratis. Experimenta copioſiora cum aqua ex amygdalis amaris deſtillata inſtituta in animalibus multa docebunt.) Hominem manifeſte amygdalae amarae inebriant, (vt omnes nuclei ſubamari. Ego in ſummam temulentiam incidi, dum gulae voluptate quadam ductus, copiam ſatis magnam nucleorum e prunis deuoraſſem. Similia in puero obſeruaui, cui nucleos ceraſorum copioſe deuorandos dederam, manifeſto indicio, in tota hac fructuum familia deleterii quid latere.) Granatorum ſyrupus ad febres bilioſas, putridas laudatur. — Citrus ex Aſiae ſuperiori parte in Graeciam deſcendit. Romae PLINII temporibus citrum colendi ars, vt manifeſte ex eius libro liquet, nondum innotuit. Ex Italia ad Hiſpanos et Luſitanos arboris cultura peruenit, ab his ad Gallos. Quod citri mala ad nos translata ſuccum admodum acrem acidum non vehant, inde explicandum eſt, quod omnes fructus in exteras regiones transferendi ante perfectam

matura-

maturationem decerpantur. Ad nos ex Sicilia translatus ſuccus vtplurimum vuarum immaturarum ſucco remixtus eſt. Citri ſuccus, frigore aquoſa eius parte in glaciem mutata reiecta, longe fortior reddi et diutius conſeruari poteſt; ad diutiſſime autem eum ſeruandum conuenit eum in roob formam inſpiſſare. Flauedo corticum citri in his, qui multum ſanguinem habent, capitis dolorem ſummum excitat. Semina citri vermibus aduerſa ſunt. (Syrae oleum ex planta ad meliſſae genus referenda parari nuper legimus.) Aurantia arbor veteribus incognita fuit. Cortices febrem fugant et quartanam et ſanguinis ex vtero profluuia intercipiunt. Aurantiorum foliorum hiſtoria fuſe exponitur. Tentari meretur, quid in tuſſi conuulſiua valeant. (In viro gibbo potatore, qui ex ingluuie ſpirituoſorum in conuulſiuum aſthma cum totius corporis conuulſionibus incidit, haec folia ſummos et omni modo voto reſpondentes effectus ediderunt.) Roob ribeſiorum nigrorum ad anginam inflammatoriam admodum efficax eſt. Circa caieput olei origines p. 321. varia ſcitu neceſſaria momenta ſuperſunt, vlterius explananda. Oleum melaleuca leucadendron ſuppeditat. Primam illius mentionem fecit anno 1717 LOCHERUS in Actis Naturae Curioſorum Lipſiae, in pharmacopolio LINCKII anno 1719 proſtitit, anno 1726 pharmacopolia Amſtelodamenſia intravit. In Germania oleum longe plus celebritatis, quam in aliis terris, obtinuit, tacentibus de eo indicibus pharmaceuticis Anglorum et Gallorum. Genuini characteres ſuppeditare difficile eſt, quoniam in officinis corruptum vtplurimum occurrit, et hinc inde ex cardamomi ſeminibus a pharmacopoeis Europaeis deſtillatur. THUNBERGII deſcriptio optima eſt. Oleum coeruleo - viride ob cuprum ipſi admixtum, admodum in praxi ſuſpectum

 eſt.

eſt. Ad conuulſiuos morbos inprimis laudatur (fruſtra id adhibuimus in colica conuulſiua).

Caryophyllorum aromaticorum nomine venit flos nondum expanſus ſiccus. Colorem ex fumo adſciſcunt, cui traduntur. Oleo caryophyllorum, quod ex Belgio vel India adfertur, reſinoſi quid admixtum eſſe videtur. — Sedum acre ad ſcorbutum admodum validum eſt, nec non ad cancroſa vlcera. Semperuiui tectorum ſuccus ad aphtas praeclare valet. (Noſtrates ſuccum ad infantum tormina interne cum ſucceſſu adhibent.) Saxifragae albae vix vlla vis ad calculum tribuitur. (Calculus, quem in muſeo ſeruamus, depulſus vere eſt in muliere vetula ope ſeminis ſaxifragae, quod in officina ſub nomine *Steinbrech* maritus accepit, ita vt dubium ſit, num albae aut nigrae ſaxifragae ope calculus pulſus fuerit. Vtut haec ſint, nobis extra dubitationem omnem poſitum eſt, calculum praegrandem ſaxifragae ope pulſum eſſe) (Paſtae altheae perniciosae quibusdam mentionem facit Cl. PYL in opere ſuo medico-forenſi.) Maluae arboreae floribus partes emollientes mucilaginoſae, non adſtringentes inſunt. De goſſypio plura exponuntur, et de articulorum vſtione, quae goſſypio accenſo impoſito peragitur. Virtutes omnes talis inuſtionis, quas Cl. PVTEAV laudauit, PROSPER ALPINVS iam memorauit. Succolada ad phthiſin pulmonalem laudatur. Geranio Robertiano haud multum virtutis tribuitur.

p. 400. Circa ligni guaiaci origines ſpeciesque veteres admodum dubii fuere. Differentia opinionum a ligno trunci a ramorum ligno differenti orta eſt. Ad fraudes euitandas gummi guaiaci ea exempla eligere conducit, quibus adhaeret adhuc cortex vel immerſus eſt: nam lucro ducti quidam ex colophonio balſamo ſulphuris mixto, vel alia mala arte factitium conflarunt. Venit etiam ſaepe in officinis

cinis loco gummi extractum ex ligno paratum, gummi vero linguam magis pungit et intenſiorem longe amarorem illi imprimit. Vſus ligni guaiaci ab Hiſpano in inſula Sti Dominici lue venerea detento primum, ſuadente id famulo Indo, detectus eſt. In Hiſpania iam anno 1508. eius vſus obtinuit. Celebratiſſima ad morbum venereum medicina ſenſim auctoritatis ſuae magnam partem amiſit, etſi non vbiuis abolita, adeo vt adhucdum Florentiae, in noſocomio incurabilium, ad ſolum guaiaci lignum et ſaſſaparillae radicem medici, ceu ſacram ancoram,' confugiant, et in noſocomiis plurimis Hetruriae lege mercurius ſit interdictus. Methodus multos a guaiaci vſu deterruit, aliis inepta, non efficax medicina viſa. Numeroſis aegris medicinam ſubueniſſe non negari poteſt, ſed efficaciae forte et ſui limites ſunt. Forte et plus virtutis in climate calidiori habet, in quo lues et mitior eſt, et facilius medicamentis obſequitur: efficacius et eſt lignum ſuccoſum viride, quale in patria ſua proſtat, noſtro effoeto ſaepius. Vim tamen et in noſtris regionibus, noſtris temporibus habet ad venerei morbi ſymptomata hydrargyri vires eludentia. Altera guaiaci virtus ad arthritidem et rheumatismum eſt, in quibus morbis plurimam opem tulit, ſed commodius, et forte efficacius, quum aluum moueat, *gummi guaiaci* adhibetur. Primam guaiaci gummi cum ſpiritu Rum ſoluti ad arthiticos morbos vtilis mentionem fecit ELLIS anno 1742. in libro: *the timber tree improued.* Rarius tamen gummi hoc coniugio in vſum vocatum eſt, donec Cl. EMERIGNON litteras ſuas ederet. Vt pretium remedio iuſtum tribui poſſit, tam gummi, quam ſpirituoſum illius menſtruum, trutinandum eſt. Naturam gummi plurimam partem reſinoſam habet, hinc calorem corporis intendit, congeſtiones ad

caput,

caput, anxietates creat, appetitum ciborum proſternit, aluum laxat. Locum igitur modo habere poteſt in hominibus frigidis, pituitoſis, mollis habitus (?) ad quos et veteres guaiaci vſum reſtrinxerunt. Hinc, laudando connubio, poſt ſpirituoſam ſolutionem quidam lac ingeſſerunt. Oportet ſimul ea aëris temperie vti, ne transſpiratio ſufflaminetur. Cibi exceſſus ſollicite vitandi et diuturna per plures annos protracta medicamenti continuatione opus eſt. Auget vim reſinae mouentem ſpirituoſum illi admixtum. Hinc nec inflammatoria diatheſi, nec febre praeſentibus conducit.

Quum corpus ſpirituoſum menſtruum valde exaeſtuet, mucilaginoſum gummi menſtruum requiritur. Gummi Arabicum eligunt. Haec medicina quotidie bis vel ter aluum ciet, ſubinde modicum ptyaliſmum producit, de reliquo transſpirationem, ſudorem auget. Hoc connubium ad arthriticos et rheumaticos morbos Ill. *de* BERGER inprimis laudat. Sapone amygdalino guaiaci gummi remiſcet Cl. THEDEN, (vtiliſſima varia connubia Cl. KAEMPFIVS deſcripſit.) Poteſt et ouorum vitello ſolui et in puluere dari.

p. 433. Quaſſia iam circa annum 1714. Surinamenſibus in pretio fuit, ob florum ſtomachicam vim. Adhibitum lignum iam anno 1742. eſt. Inualuit vſus ligni ab anno 1763. edita hoc anno LINNEI diſſertatione academica. Radix arboris efficacior, ſed ob raritatem non adhibenda. Lignum grate amarum, nullo modo adſtringens eſt. Corticis amarities Ill. viro longe inſignior, quam ligni, apparuit et celerioris in lingua impreſſionis. Praeferendum hoc lignum in eo omnibus amaris, quod aeſtum in corpore non excitet, non adſtringat. Sapori corrigendo cinnamomum, tinctura corticum aurantiorum, item aether vitriolicus inſeruit. — In

corpore viuo quaſſia vim antiſepticam cortice inferiorem habet (legimus in gallico quodam diario, putredinem ab ea augeri) nec praeſentem putredinem omnino ſupprimit. Infuſio ligni coctioni praeferenda. Ad febres primum adhibitum eſt remittentes et intermittentes, ſed nihil ſpecifici poſſidet, vt adeo multa inertiae exempla auctores litteris conſignauerint. Confert inprimis robori ventriculo reſtituendo, quod et ipſe Ill. vir ex exemplis didicit. Facile patet, medicamentum et ad omnes morbos a labefactato inteſtinali tubo pendentes conferre. Ventriculum, et admodum larga doſi ingeſtum, nullo modo grauat, nec nauſeam vomitumque ciet, nec aluum laxat nec ſtringit, nec caloris, nec alius moleſtiae ſenſum imprimit.

Ad quaſſiae genus ſimarubam referendam eſſe, iam anno 1776. LINNEO cognitum fuit. Radicis cortex inprimis laudatur. Saporem notabiliter amarum habet absque vllo adſtrictionis ſenſu. Cortex ſaepe inefficax eſt, forte trunco et ramis loco radicis detractis, nec perinde eſt, quam craſſitiem cortex habeat. Conuenit inprimis in dyſenteria, nulla diatheſi inflammatoria praeſente, alui profuſionibus inueteratis, colica habituali, vterinis haemorrhagiis hyſterico malo. Vtiliſſima connubia cum rhabarbaro, caſcarillae cortice, radice ſalep, pro re nata ſunt. — Frigide expreſſum lini oleum pro vſu interno commendandum eſt, quod pellucidum eſt, citrei coloris, acri ſapore deſtitutum. Laudatur ad pectoris inflammationes, haemoptyſin, colicam pictonum, dyſenteriam, nephritidem, calculum, caet. (Seminum, ex quibus oleum expreſſum eſt, placenta vires reſoluentes ſimulque emollientes ſummas poſſidet, externe impoſita. Equi pulmonum infarctibus laborantes iis commodiſſime et efficaciſſime ſanantur.) — Herbae acetoſellae p. 458.

vſum

vſum rarum eſſe Ill. Auctor adſerit (commendatiſſimus tamen TISSOTO de febri bilioſa Lauſannenſi, aliis. Decoctione herbae ego in febribus bilioſis haud facile carerem. Sal acetoſellae acido ſulphuris adulteratum ſaepe eſt. Efficaciſſimam medicinam vbique conſtituit, ſed vix, ob caritatem, adhibendam. Praecipitur ad Limonadae Saxonicae pulverem, compoſitionem non inutilem, ad aeſtum temperandum aeſtiuo tempore, et in leuiter febricitantibus admodum efficacem) (Droſera rotundifolia noſtris adhuc temporibus medicinam domeſticam celebrem ruricolarum conſtituit. Vini inprimis ſpiritum ea infundunt) (Saponariam in chronicis morbis potus loco cum aliis incidentibus, diluentibus datam ſubinde admodum efficacem obſervauimus, inprimis in morbis a viſcido ſpontaneo, acido.)

Lythri ſalicariae folia in puluerem trita difficulter ſumi poſſunt, ob copioſam mucilaginem. In diarrhoeis et dyſenteriis conducunt a laxitate oriundis, ſordibus non praeſentibus. Laudantur et ad lienteriam.

p. 520. Hypericum perforatum hodie in deſuetudinem abiit, olim vltra omnem fidem et ſanam rationem celebratum, vulnerariam tamen vim habet et ad phthiſin pulmonalem. Reſoluit et coagula et vermes necat. (Hyperici oleum ad recentia vulnera, euporiſti inſtar valere tamen didicimus) Tiliae flores magni Ill. vir non facit, aquam tamen eorum analepticam, carminatiuam gratamque habet proxime ad aquam florem naphae accendentem. Fraxini excelſioris cortex Peruuiano nullo modo aequiparandus eſt, fuit tamen ante corticem Peruuianum detectum ad febres intermittentes multo in vſu. Manna ex fraxino orno, fraxino rotundifolia et excelſiore prouenit. Largiuntur et mannam pinus larix, pinus abies, aurantium, iuglans regia, ſalix; morus

nigra,

nigra, querna folia in Arabia, pruna, hedyſari Alhagi Lin. folia et rami, ciſtus ladaniferus caet. Succus arboribus proprius eſt, nec ros de coelo delapſus. Adulteratur ſaccharo, melle. Veſtigia mannae iam apud HIPPOCRATEM occurrunt.

Aniſum ſtellatum ſub finem Saec. XVI. ex inſulis Philippinis ad nos translatum eſt. Virtutibus aniſo vulgari accedit. p. 564.

Vt bonarum et vtilium rerum immenſam copiam, quae in omni modo praeclaro hoc opere continentur, lectores aliquo modo praelibarent, quaedam tantum de iis decerpſimus. Sed in maximam molem increuiſſet labor noſter, ſi omnia, aut plurima ſaltim, excerpere licuiſſet.

IV.

D. M. I. MARX — *Geſchichte der Eicheln, nebſt Erfahrung über den diätetiſchen und mediciniſchen Gebrauch derſelben. Deſſau* 1784. *in* 8 *pag.* 88.

i. e.

Glandium quernarum hiſtoria et circa vſum earum diaeteticum et medicum experimenta, auctore Cl. MARX.

Experimenta ſua et obſeruata circa glandium quernarum toſtarum vſum medicum Cl. vir, poſt b. SCHROEDERI epiſtolam, in promtuario Hannouerano, et peculiaribus aliquot libellis publici iuris fecit. Confirmata partim propriis, partim aliorum experimentis quernarum glandium efficacia, hoc libro earum hiſtoria ab antiquiſſimis temporibus, chemica experimenta circa eas inſtituta, morbi, ad quos quernae glandes a veteribus et recentioribus commendati ſunt, caet. pertractantur.

Ali-

Alimenti loco quernae glandes priſcis et recentioribus temporibus adhibitae ſunt, (Graecae tamen, Hiſpanicae et Balearicae glandes noſtris longe dulciores) et nuper adhuc quernae glandes cum aqua coctae, poſtea ſiccatae et in pollinem redactae cum farina ſecalina remixtae panem dederunt gulae non admodum aduerſum, et facile, ſine vllo incommodo, ferendum. — Gallinis ex glandium quernarum eſu ouarium corrumpitur, gallique coëundi cum gallinis facultatem amittunt.

Eligit noſter ad medicum vſum glandes quernas bonae notae, vermibus non exeſas, easque a cortice purgatas, toſtas et in puluerem redactas aut cum quarta Caffeae parte decoqui iubet, aut in puluere, cum ſaccharo dari.

p. 21. Glandes quernae chymico examini ſubiectae mucilaginem copioſam et conſtringentis facultatis particulam continent, quam tamen toſtione ex parte amittunt. Toſtis facultatem nutrientem, inuoluentem et roborantem doctiſſ. Auctor adſcribit.

p. 43. Pertractatis vberrime iis, quae auctores medici de glandium quernarum virtutibus medicis litteris prodiderunt, propria Noſtri obſeruata ſequuntur. Maxime conducunt toſtae quernae glandes in cachexia, tumoribus leucophlegmaticis inde oriundis, infantum atrophia, glandularum in infimo ventre obſtructionibus, aliis ſtaſibus in abdomine, corporis debilitate et lentis febribus inde oriundis. Vidit et Noſter quernas glandes pulmonum tubercula, inprimis diſpoſitionem ad ea, tollere, ſubinde et iam ſuppurantia. Staſes humorum quernae glandes optime ſoluunt, nec acrimoniam aut irritationem ſecum coniunctam habent. In lentis febribus inprimis conducunt, verum non in his, quae ab interna partium exulceratione pendent. Conueniunt

et

et hyſterico morbo et hypochondriaca affectione laborantibus, ſtaſes humorum ſoluentes et ſpaſmis admodum aduerſae. Menſtrui fluxus ataxia iis ſaepius reſtituta eſt. Menſium profluuium cum dolore et internis ſpaſmis ſedarunt. Conducunt et in aliis ſpaſmis, aſthmate, tuſſi conuulſiua, nec non intermittentibus quartanis, tertianis, quotidianis, iis adeo, ad quas nec medii ſales, nec ipſe cortex Peruuianus valuerunt. Digeſtionem ſtomachi iuuant, acrimoniam delent, inprimis acidam, hinc in tuſſi ſtomachica admodum ſalubres. Gonorrhoeam benignam, virulentae ſecundariam glandes quernae non toſtae in puluere datae tollunt, nec non album fluorem, aliosque morbos a corporis vniuerſali relaxatione oriundos. Ob robur, quod ſtomacho conciliant, et ad podagram, arthritidem, et rheumatiſmos auertendos admodum conducunt.

Sequuntur obſeruata aliorum circa glandium quernarum vſum Cl. Auctori communicata. Ad cachexias glandes admodum valere et laxam aluum ab iis reddi ACKERMANNVS docuit. Suſtulerunt et atrophiam cum conuulſionibus, vermes necant, et taeniam adeo depellunt; iuuant hydropicos, vrina citata. Ad ſcrophulas non valuere, (ſed hae ſcrophulae exulceratae fuerunt admodum rebelles, malignae, cum auditus difficultate ſcrophuloſa coniunctae, ad quas et aliae efficaces medicinae, mercurius ſublimatus, caet. non valuerunt) maxime autem ad leuiores glandularum obſtructiones, inprimis humorum acrimonia abſente. p. 73

Quernas glandes in inteſtinorum relaxatione, malo hypochondriaco ſine materia, aluo adſtricta tardaque, febribus intermittentibus, caet. conducere AVENBRVGGER, *V. Cl.* docet. Ad meſenterii obſtructiones et ſuppurationes cum lente febre p. 75

GOLDHAGENIVS, V. Cl. eas felici cum ſucceſſu adhibuit. — Quernae glandes aqua maceratae ad ſuibus pinguedinem conciliandam plus, quam aridae, valent, KERSTINGIO obſeruante.

Addita ſunt vtili doctoque libro ea, quae WEIKARDVS, V. Ill. circa glandium quernarum vſum ad neruorum morbos obſeruauit.

V.

IOH. KAEMPF *fürſtl. Heſſen-Hanauiſchen Oberhofraths und Leibarzts, für Aerzte und Kranke beſtimmte Abhandlung von einer neuen Methode die hartnaeckigſten Krankheiten, die ihren Sitz im Unterleibe haben, beſonders die Hypochondrie, ſicher und gründlich zu heilen. Deſſau und Leipzig (Frankfurt, in Commiſſion bey Fleiſcher)* 1784. in 8v. 506 pagg. c. tab. aenea.

i. e.

De noua methodo, morbos pertinaciſſimos ſedem ſuam in infimo ventre habentes, inprimis malum hypochondriacum, tuto et funditus ſanandi, Auctore IOANNE KAEMPF.

Methodum nouam morbos pertinaciſſimos abdominis ſanandi inuenit pater Noſtri, practicus quondam celeberrimus, feliciſſimus. Quum nempe cum ſummo dolore animaduerteret, morborum maxime rebellium cauſſam in abdomine latere, medicamentaque ſic dicta viſceralia ad eos vt plurimum inutilia eſſe, clyſteres ex viſceralibus medicinis inteſtino recto coloque iniectis tentauit, ſucceſſu XXX annorum feliciſſimo. Ipſe autem ſcribere quidquam quum non vellet, filio, celeberrimo huius libri auctori, ſpartam demandauit, hanc

ſuam

ſuam methodum in inaugurali diſputatione ſua, quae cum aliis eiusdem argumenti a cognatis Cl. viri profectis, in Ill. virorum HALLERI et BALDINGERI collectionibus recuſa legitur publici iuris faciendi.

In introductione cauſſae explicantur, quibus p. 22.
medici aegrique inducti ſunt clyſteres odio acerrimo proſequendi, in primo autem operis doctiſſimi capite de infarctibus viſcerum abdominalium in genere, et de materia infarciente ſpeciatim agitur. Infarctus Cl. Auctori is ſtatus praeternaturalis vaſorum ſanguineorum abdominalium, venae portarum et vterinorum eſt, quo a lente circulantibus, tandem ſtagnantibus, male mixtis, varie corruptis, craſſis, tenacibus, polypoſis et induratis humoribus ſanguineis implentur infarciunturque, aut etiam quo ſerum in vaſis, glandulis et tela celluloſa ſtagnat, exſiccatur, aut varie corrumpitur.

Degenerationes ſanguineae, quo infarctus inducunt, ſequentes ſunt. *Genus I.* a ſpiſſioribus, terreis, ponderoſis, oleoſis, inflammabilibus magis cohaerentibus, nigricantibus partibus ſanguinis conſtitutiuis maxime pendentes.

Species 1) ſanguis ſpiſſior, grumoſus, coagulatus, blandus tamen et odoris expers. 2) maſſa ſanguinea non ſolubilis, admodum cohaerens, fibroſa, membranacea, carnoſa, aut polyporum, aut concrementorum carnoſorum forma decedens. 3) ſanguis exſiccatus, non cohaerens, adfuſa aqua inſtar nigri pulueris ſubſidens. 4) faex ſanguinis tenax, pinguedinoſa, picem referens, vario colore praedita, ſaponem ſolutum aut picem liquidam referens. 5) ſcybala rotunda, mox mollia mox dura.

Genus II *infarctuum* ſerum, aut lympham ſero remixtam comprehendit, pituitae nomine in-

ſigniendam, a ſeri depoſitionibus feculentis et alterationibus aliis oriundam.

Species 1. maſſa oui albumen referens, aut gluten, quo ſcriniarii vtuntur, magis vel minus pellucida, glabra, elaſtica, frigore condenſata inſtar gelatinae tremula, quae et in fila ſubinde duci patitur. 2) materies minus cohaerens, magis foetida, caſeum recentem referens. 3) materies cinerem referens. 4) admodum cohaerens, tenaciſſima, fibroſa, membranacea ſubinde materies. 5) materies gummoſa, gypſum referens. Vterum a ſanguinis fece, ſordibus pituitoſis ſubinde blandis, ſubinde admodum acribus, concrementis carneis, polypoſis infarciri vidit.

Primum infarctus genus veteres ſub morbi nigri, alterum ſub pituitae nomine deſcripſerunt. Primi generis prima ſpecies vtplurimum poſt interceptas haemorrhagias oritur, altera tenacitatem ſuam a ſero admixto habet, forte et a ferreo principio nimis forti, temperamento calido, caet. Symptomata violentiſſima, quae, dum hi grumi ſecedunt, oriuntur, ab irritatione maxima a preſſione et extenſione vaſorum explicanda ſunt. Vidit doctiſſimus Auctor talem materiam lumbricos terreſtres referentem vlnae dimidiam partem longitudine ſuperantem, manifeſte in vaſis formatam. Concrementa informia in inteſtinali tubo formari videntur, lenta polypoſae materiei appoſitione. Tertiae ſpeciei materies maxime ex terreis et inflammabilibus ſanguinis partibus conſtare videtur, glutine putrida fermentatione ſoluto et humiditate aeſtu diſſipato. Quartae ſpeciei oleoſum bilioſum et ſeri pars admixta eſſe videtur. Vtplurimum haec materies acerrima, aut acida, aut putrida eſt, ſubinde tamen et blanda. Acrimoniam, adeoque et malignitatem, a cauſſis accidentalibus ſtagnatione in

pri-

primarum viarum cauo, materiis morbidis aliis, caet. acquirit, benigniſſimamque talem materiam in acerrimam mutari his cauſſis Noſter vidit. Hanc atram bilem vocat. Illi acidum eſſentiale non eſt; vidit Cl. A. primum cruorem acidum odorem ſpirantem, poſtea autem putride olentem deceſſiſſe. Subinde et maligniſſima atra bilis acidi expers fuit.

Alterum genus infarctuum, *pituitam*, longe fre- p. 37. quentius, quam primum genus, Noſter obſeruauit. In omnibus inprimis ex hypochondriis laborantibus adeſt, diſſuadente licet hoc vegeto oris colore. Prima ſpecies *pituitam vitream* comprehendit, quae ex gelatinoſa ſeri ſubſtantia conſtare videtur et ad acidam naturam prona eſt. Periculoſiſſima eſt, ſi putridam et corrodentem naturam acquiſiuit. Medicamentis interne datis debellari non poteſt; ſolis clyſteribus. Altera ſpecies ſerum inſpiſſatum eſt. Aqua perfecte miſcetur, flammam concipit, foetetque, carbonibus ardentibus iniecta. Pus, verbo, licet non ſit, tamen omni modo refert. Hae feces, vbi putridam fermentationem acquirunt, abdomen ſtupendo modo inflant, et quoad effectus bilem atram malignam referunt. Quartae ſpeciei concrementa, mire ſubinde, florum, caet. inſtar formata ſunt, et tophum referunt.

Subinde et mucus odoris expers, qui in fila duci patitur, educitur. Diſtinguitur a pituita plures oleoſas et ſalinas partes continente, in eo, quod citius exſiccetur, in aqua difficilius ſoluatur, fundumque petat, in calida aqua non tam facile coaguletur, putridam naturam non acquirat, nec in concrementa degeneret, ſed exſiccatas cruſtas formet. Subinde et hic mucus variis cruditatibus et aliis infarcientibus materiis remixtus, ſingularem infarctus ſpeciem formet.

Dyſenteria multi ſanantur infarctibus in infimo ventre laborantes, et qui infarctibus laborant, alui profluuiis dyſenteriam referentibus admodum leuantur. Hinc dyſentericos iam ante morbi inſultum infarctibus laboraſſe putat, viditque infarcientis materiei ſpecies omnes in dyſentericis decedere.

Infarcientis materiae putredo non admodum metuenda eſt; putridiſſima enim in corpore humano viuo diu ſine noxa ſaepe geruntur. Si corpori interitum infarctus minantur, iis ſemper deleterii quid admixtum eſſe debet, tale forſan fermentum, quod febres maligniſſimas, putridiſſimas producit. Forte et ſimile, aut magis corrodens fermentum ex putridorum infarctuum cum alia quadam cacochymia coniugio oritur.

p. 50. Stupenda ſubinde pituitoſorum infarctuum quantitas, inprimis cum primi generis quarta ſpecie excernitur; ſubinde intra XXIV. horarum ſpatium X. vel XII matulae hac materia repletae ſunt, ita, vt, qui haec pro veris habere poſſit, ocularis teſtis eſſe debeat. Ad tam copioſam talis pituitae generationem in quibusdam aegris ſingularis tantaque diſpoſitio locum habere videtur, vt omnem ſanguinem in talem mucum liquari putes. Cauſſa non in ſola atonia et acrimonia ſita eſt, ſed in ſingulari quadam incognitaque nobis cacochymia, fermentoue coagulante et irritante, quae ſola receptaculorum perfecta depuratione deleri poteſt. Haec pituita aluo copioſiſſime, pulmonibus rariſſime, ſubinde, viciſſitudine quadam intercedente, per omnia colatoria educitur. Periculum ex horum infarctuum deceſſu magnum non eſt, nec mortem Noſter metuit, ſymptomatibus et vehementiſſimis ingruentibus, dum a ſua curatione pendent. Vitae tamen periculum eſt, ſi aegri viribus exhauſti admodum

dum irritabiles et animo deiecti ſunt, ſi durante excretione diaetae vitia committuntur, coitus celebratur, alii animi adfectus accedunt, ſi materies morbida nimis maligna, nimis copioſa eſt, febris vere inflammatoria aut putrida accedit inteſtina viſceraue iam antea alio modo non ſuperando adfecta fuere, ſi gangraena oborta eſt, ſi aſthmata conuulſiua, aut apoplexiae accedunt, aut mota infarciens materies in alias partes deponitur.

Omni aetati infarctus communes ſunt, maxime tamen viris ſenibusque. Vidit Noſter in puero ſex annorum varioloſo morbo demortuo ventriculi et cardiae vaſa ſanguine polypoſo, nigro, turgida. (Sed haec forte et a morbo; ſymptomata enim morbum antecedentia quaedam, non omnia probant.) Vbi ad infarctus alius morbus accedit, ſemper vitae periculum imminet. Prioris generis infarctus mulieribus non admodum frequentes ſunt, (nos copioſiſſimos, frequentiſſimos, longe frequentiores, quam in viris, infarctus ſanguineos in foeminis noſtris admodum ſedentariis obſeruauimus) pituitoſi frequentiores.

Morbi et ſymptomata omnis generis ab infarctibus oriuntur, et peiores redduntur, quoniam obſtructio vaſorum ſanguiferorum in abdomine ſanguinis circulationem intercipit, partes infarctuum impurae ſeparantur, ſanguini admiſcentur, maſſam eius corrumpunt, ad alia viſcera deponuntur, ibique morbos, genio licet admodum differentes, ab vna tamen eademque cauſſa pendentes, producunt. Subinde ab alia parte ad aliam migrant, morbosque indole admodum diuerſos, mira viciſſitudine, inducunt. Poteſt etiam vapor a materia infarctuum fermentante adſcendens multa neruorum mala inducere, nec non neruorum conſenſus. Infarcta inteſtina vicinis partibus admodum moleſta

 fiunt,

fiunt, inprimis colon inteſtinum. Diriſſima ſymptomata doctiſſ. Auctor aliter lenire ſaepe non potuit, niſi inſigni durorum ſcybalorum ex ano copia educta. Spuria aneuriſmata ſaepiſſime ab infarctibus producuntur.

p. 72. *Cauſſae infarctuum* altero capite pertractantur. Omnia, quae naturalem ſanumque ſtatum fluidarum et ſolidarum corporis partium hoc modo mutant, vt liber et aequalis ſanguinis per canales ſuos tranſitus turbetur intercipiaturque, infarctibus anſam dant. Infarctibus inprimis fauere videtur ea ſanguinis corruptio, qua ſanguis generatim, inprimis autem ſeroſa eius pars, ad coagulationem et condenſationem prona redditur, aut nimis magnam conſiſtentiam acquirit. Fermentum inprimis, certis anni temporibus in aëre dominans, lymphaticae ſanguinis partis coagulationem inducit. Tale fermentum ſub hyemis finem inprimis frequens eſt, et corruptione, quam in bile inducit, ſimul agit. Inducuntur infarctus Batauis familiares plumbi et vinorum plumbo mangoniſatorum vſu; multum etiam ad eos generandos chinae cortex, ferrum, opium, praepoſtere adhibita (inprimis ad febres), conferunt. In animi affectibus metus cum terrore ad infarctus generandos maxime confert. Vidit Cl. Auctor in homine poſt ingentem terrorem cum metu ſubito demortuo arterias vacuas, venas ſanguine coagulato turgidas. Multum etiam ad infarctus generandos metaſtaſes materiarum morbidarum, nec non ſuetae ſanguinis profuſiones interceptae faciunt. Situs etiam corporis ſedentarii multum ad eos generandos confert. (in noſtris regionibus infarctus ſanguinei et pituitoſi admodum frequentes, et omnibus aliis morbis longe frequentiores, a vita admodum ſedentaria, inprimis in puellis ab annis tenerrimis ad annos, quibus menſes prorumpunt,

con-

continuata, corpore antrorſum admodum flexo, victuque ex caffea tenui, admodum aquoſa, cum pane caffeae decocto intrito, maxime oriuntur.) Obſtructiones glandularum meſenterii, a vitiata digeſtione et chylo vitioſo generato facile oriundae ad tales infarctus multum conferunt cauſſamque morbidam conſtituunt recentioribus omni modo neglectam admodum frequentem, vitae inſidias maximas ſtruentem. Manuſtupratione ſanguini pars maxime fluida ipſi vitalitatem quandam praebens adimitur, hocque modo infarctuum origines facillimae fiunt: nimius autem ad venerem pruritus laſciuiaque, vterinus adeo mulierum furor vtplurimum a glandulis partium verendarum et meſenterii obſtructis oritur.

Omnium autem frequentiſſima infarctuum cauſſa abuſus potuum ſpirituoſorum, inprimis frumenti et vini ſpiritus, elixirii ſtomachici *Whyttii*, *Stoughtonii*, ſtudia immoderata, et poſt exercitia corporis intenſa quies otioſa ſunt. Febres intermittentes roborantium vſu nimis mature ſuppreſſae reſolutis infarctibus vtplurimum reſtituuntur, cum iisque infarctuum ſymptomata, poſt eaque et febriles inſultus cedunt.

Tertio capite *ſigna infarctuum* pertractantur. p. 133.
Mali hypochondriaci ſymptomata infarctum in viſceribus latentem vtplurimum indicant; raro enim malum hypochondriacum ſine materia obſervatur. Sic et parui momenti digeſtionis vitia ſuetis medicinis non cedentia ſub vſu ciborum digeſtu difficilium mitiora periodice ingruentia infarctus in vena portarum latentes indicant. Infarctus ſcabies indicat, dum ſine contagio, praeſentibus inprimis conaminibus haemorrhoidalibus, naſcitur. Tarda hypochondriacorum aluus ſaepiſſime infarctus in infimo ventre praeſentes indicat. Eosdem et cor-

 dis

dis palpitatio, phlogoſes vagae, ſputatio copioſa hypochondriacorum, vrina turbida, facile foetens, cum ſedimento tenaci, furfuraceo indicant. Bilis atrae vrina plumbea, atra, nec non ſudores tenaces, foetidi ſigna ſunt.

Ex ſanguine vena emiſſo infarctuum certa ſigna deſumi non poſſunt. Ex obeſitate corporis ſubitanea infarctuum ſuſpicio naſcitur. Haemorrhoides vtplurimum cum infarctibus coniunctae ſunt; vidit Noſter ſaepius et in haemorrhoidibus maxime regularibus, poſt viſcerales clyſteres adhibitos, ſanguinem ex inteſtinali tubo, craſſum, corruptum, putridum, polypoſum, deceſſiſſe. Et ex Cl. CLOSSII experimentis haemorrhoidum ſymptomata pro infarctuum ſymptomatibus haberi poſſunt. Omnes morbi periodico modo incedentes infarctus aut cruditates ſaltim in infimo ventre indicant.

Os a viſcerum infimi ventris ſtatu praeternaturali mutari iam veteres docuerunt. Infarctus praeſentes ſemper indicat mutatus oris habitus verbis vix deſcribendus, anxietatem et moerorem indicans. In omnibus autem infarctibus cognoſcendis ſigna plura combinanda ſunt, ſimulque ad cauſſas praegreſſas, ad morbos comites et ſubſequentes reſpiciendum.

Loca infarctuum ſymptomata topica indicant, preſſionis, grauitatis intolerabilis ſenſus, anxietas, cordis palpitatio, tumor loci affecti. Haec ſymptomata, ſi in ſplenis regione apparent, ſplenem adfectum eſſe indicant. Hepatis adfectionem dolor in humero pertinax, ſpaſmodica et irritans in gula ſenſatio, ſimulque oris mutatus color, ſapor amarus, caet. Vaſorum ventriculi infarctum tenſionis, preſſionis, grauitatis in ſtomachi regione ſenſus, ſaepe cum tumore externo, manifeſto, oeſophagi conſtrictio, ſingultus, ſoda, cardialgia, nauſea,

cona-

conamina ad vomitus conuulſiua, vomitus pituitae ſtriis ſanguineis remixtae, et ſanguinis grumoſi, in viris haemorrhoidalia, in feminis fluxus menſtrui, conamina inordinata. Subinde tamen hi infarctus per longam annorum ſeriem durant, priusquam per ſanguinis vomitum ſeſe manifeſtent.

Vteri infarctuum ſigna ſunt fluxus menſtruus inordinatus, ſanguis praeter naturam mutatus decedens, palpitatio, anxietas, phlogoſes, vrina mucoſa, dolores hos, qui partum accelerant, referentes; abdomen tumidum, caet. Tales infarctus grauiditatem, hydropem, ſaepius ſimulant. Talium infarctuum ſignum omnium minime fallax infarcientis materiae deceſſus eſt.

Pituitoſos in inteſtinali tubo infarctus notat ſenſus ingratus, ſaepe corrodens, in ventriculi regione ſubinde ardentem ſodam, ſubinde et glaciale frigus, (quod vitreae pituitae proprium eſt) referens, appetitus defectus, nauſea, ructus acidi, nidoroſi, anima foetens, in aliis fames praeternaturalis, pectoris oppreſſio, pulſatio in ſcrobiculo cordis, pulſus intermittens, tuſſicula, colicae, animus ad varios adfectus, ſine cauſſa manifeſta procliuis, caet. Taeniae inprimis praeſentiam ſymptomata pituitoſorum infarctuum exacte referunt; taenia autem praeſens ſequenti experimento a Cl. CLOSSIO Noſtro communicato certe cognoſcitur. Terebinthinae drachmae ſex cum oui vitello in aquae libra ſoluuntur, eaque ſolutio aegro, priusquam cubitum petat, intra duarum horarum ſpatium deuoranda datur. Praeſente taenia, partes illius noctu aut mane ſemper decedunt.

Comitem infarctus vtplurimum habent acrimoniam acidam et bilioſam. Pituitoſis infarctibus glandularum meſenterii obſtructio et atrophia maxime

cognata

cognata eſt; haec vero obſtructio in adultis ex ſolo tactu cognoſci poteſt.

Quum ex materia per aluum decedente multum circa infarctuum naturam concludi poſſit, medicus et in ea exploranda maxime attentus eſſe debet. Sed decedentia praeter naturam ſaepe a cibis, medicamentis, caet. pendent. Vidit Noſter globulos adipoſos vomitu in viro deceſſiſſe veruecinum adipem manifeſte referentes ab eoque pendentes. Calculos ab alio per aluum euacuatos Noſter quum igne examinaret, odorem fumi, ſaccharum referentem obſeruauit, poſteaque penitus perſpexit, hos lapides ſacchari candi ab aegro deuorati particulas eſſe.

p. 195. Quarto capite *de morbi, inprimis per clyſteres viſcerales curatione* agitur. Omnia eo redeunt, ut infarctus mobiles reddantur et expellantur. Hoc vero fortibus medicinis, corpori interitum minantibus, fieri nequit, ſed naturae accommodatis, blandis, efficacibus, infarctuum cohaeſionem minuentibus, humores inſpiſſatos, exſiccatos, induratos humectantibus, corrigentibus, ſanguinem liquantibus, partibus ſolidis mobilitatem et robur conciliantibus. Haec medicamenta et alimenta ſub viſceralium nomine cognita ſunt.

Internus horum medicamentorum vſus ſufficere poteſt, ſi ſanguinis in vaſis ſtagnationes radices non nimis altas egerunt, et mobilis adhuc infarciens materies facile ſolui patitur. Si vero infarctus craſſitie et longitudine enormes carnei, lapidei canalibus impacti haerent, ſi faecis ſanguinis qualitas picea aut glutinoſa eſt, ſi in infima abdominis parte, in craſſis inteſtinis aut in eorum membranis infarctus generati ſunt, internis medicinis nil proficitur, niſi eaedem et in decocti forma ano iniiciantur, vbi omni ſua efficacia hoſtem adgredi

et

et expellere poſſunt. Sed et transſpiratione quadam per inteſtina, forte et eorum materia per tunicam celluloſam ad alias partes delata, in remota loca agunt, ad quae peruenire naturali modo non poſſunt, vitream pituitam in tenuibus inteſtinis et ventriculo reſidentem expellunt. Multum etiam ad augendam clyſterum efficaciam fomentatio conducit a clyſteris materia effecta; colon enim inteſtinum, in quod clyſterum materia plurima peruenit, inteſtinorum tenuium maximam partem circumdat, amplectitur, eoque modo clyſteres cardialgiam, infarctus venae portarum, hepatis, verbo omnium viſcerum abdominalium, leuant, tollunt. In ſcrobiculi cordis regionem, in qua ſenſationum vis tanta eſt, vt animae ſedem quidam in ea poſuerint, efficaciſſimo modo vaporibus ſuis ſopientibus, animantibus, roborantibus, agunt. Facile hinc perſpici poteſt, hos clyſteres omnibus medicinarum generibus, quae viſcera abdominis a ſordibus purgant, aequalem ſanguinis circulationem in iis reſtituunt, eoque modo cauſas morborum, quibus nerui adficiuntur, tollunt, efficacia et vſus ſecuritate longe praeferendos eſſe. Nec vllo modo, ſi et diutiſſime in vſu eorum perſiſtitur, nociui ſunt, quum corpus roborent, aluique bonum ordinem ſeruent. —

Quinto capite *de viſceralium clyſterum ingredientibus, praeparatione et applicatione agitur.* Medicamenta, quae decoctione ad viſcerales clyſteres adhibentur, taraxaci, graminis, valerianae minoris radices, cardui benedicti, anagallidis flore phoeniceo, fumariae, marrubii albi, arnicae herbae, flores et radices, millefolii ſummitates floresque, chamomillae et verbaſci flores, furfures ſecalini et triticei ſunt. Subinde decoctioni admiſcentur pro re nata lapathi acuti, rubiae tinctorum radices, dulcamarae p. 227.

ſtipites,

ſtipites, ſimarubae cortex, cicutae herba, folia aurantiorum, roris marini, menthae piperitidis, tauri fel, inprimis vero aſa foetida. Taraxacum ſaponacea ſua et reſoluente vi inſignem vim poſſidet ſanguinem corruptum corrigendi, ſimulque ſanguinis ſordes per vrinam educendi. Valerianae radix decoctioni ad neruos ſopiendos admiſcetur. — Cardui benedicti vere benedicta herba vi inſigni pollet humores tenaces reſoluendi, bilem corrigendi, acidum infringendi, viſcera roborandi, et ob principium nitroſo-ſalinum, quod ipſi ineſt, refrigerandi, ſaltim non exaeſtuandi. Anagallidis herbam ad hydrophobiam Noſter ſemper optatiſſimo cum ſucceſſu adhibuit. Poſſidet vim ſummam obſtructiones reſoluendi et vrinam pellendi, puerique, quibus hanc herbam Noſter ad aquae metum auertendum dedit, lectulum noctu lotio ſuo foedarunt. Palmam omnibus aperientibus arnica eripit, ſed eam aegri ſenſiles difficulter ferunt, ob irritationem, quam inducit. Hae ſubſtantiae omnes aut aqua pluviatili, aut calcis viuae aqua, quam ob virtutem ſuam acido aduerſam, aperientem reſoluentemque admodum laudat, decoquuntur.

Aluo nimis laxa exiſtente ſubfrigidi aut tepidi clyſteres ex calcis viuae aqua plurima praeſtant. Atoniam inteſtinorum roborantia, aromatica, clyſteribus admixta tollunt, acrimoniam ad inteſtina delatam mucilaginoſa. Pituitam vitream clyſteres ex taraxaci, marrubii albi, arnicae herba, tauri felle, cum calcis viuae aqua, optime educunt. In neruorum morbis clyſteres ex radicibus valerianae, aurantiorum foliis, aſa foetida aliisque nerueis medicinis, cum calcis viuae aqua conducunt. Inſultuum vehementiam adiecta papaueris capita diſciſſa, aut mucilaginis ſeminis hyoſcyami particula leuat. Si menſtruus fluxus obſtructus eſt, clyſteribus ru-

biae

biae tinctorum radicis maior pars, herba chamaedryos, menthae piperitidis, rutae, chamomillae, ſubinde et hellebori nigri radicum pars admiſcetur. — Hae ſpecies cum aqua in vaſe admodum tecto, ſiue machina Papiniana coquuntur, expreſſus humor adfuſa aqua aut calcis aqua refrigeratur, vt 35 gradum thermometri Reaumur. non excedat, et clyſteris forma, ſubinde et frigidior, adplicatur. Abdomini ſimul cataplaſmata eiusdem farinae, cum ſapone imponuntur. Ad deceſſum infarctuum accelerandum clyſteres magis frigidi, a 12 vſque ad 24 gradum thermometri Reaum. eſſe debent. Sed frigidi clyſteres ſenſibilibus irritabilibusue ſubiectis turbas ſummas excitant. Per gradus a calore ad frigus deſcendendum eſt.

Vt clyſteres in inteſtinali tubo quam diutiſſime retineantur, admodum intereſt. Hoc obtinetur, ſi decoctum craſſiuſculum eſt, rectam caloris temperaturam habet, parca quantitate, ſed iterato, et poſt alui depoſitionem naturalem iniicitur. Omni die tres clyſteres applicandi ſunt. Clyſteres ſaepe copioſiſſimi applicandi ſunt, priusquam de infarctibus aliquid decedat. CLOSSIVS, V. Cl. 6000 et plures vni aegro iniici iuſſit. Nec ſtatim ab eorum vſu deſiſtendum eſt. Tandem methodum ſuam Cl. Auctor, qua plures medicinas, veterum aemulus, praeſcribit, egregie defendit (vellemus, vt omnes medici auctoris noſtri methodum ſequerentur; tunc certe caderet leuidenſis iſta ſimplicitas, doctrinae ſaepe ſimplicitatem et ingenii pigritiem redolens).

Sexto capite *de reliquorum medicamentorum viſceralium vſu* agitur. Clyſteribus viſceralibus internae medicinae viſcerales adiungendae ſunt, leuiores tamen infarctus et ſolis clyſteribus ſaepe Noſter ſuſtulit. Principes medicinae extracta vegetabi- p. 277.

lium

lium ſunt pro re nata ſalibus, gummi reſinis, reſinis, caet. adiuncta. Plantarum ſupra ad clyſteres laudatarum decocta concentrata cum ſoluente ſale multum etiam valent. Adhibentur et pro re nata aconiti, corticis Peruuiani, cicutae, aloës, hellebori nigri extracta, pilularum forma, aut alia, data. Vtiliſſimi etiam ſapones ſunt ex reſinis cum lixiuio acri antimoniato parati. THEDENII antimonialis tinctura ſanguinis coagula potentiſſime reſoluit, lympham efficaciter emendat et paruorum vaſorum obſtructiones tollit. Specifica ad ſcrofulas medicina eſt mercurio et aconiti extracto coniuncta. Arnicae extractum ex planta recenti parandum eſt. (Nos elegimus plantam cum caule, breui tempore prius, quam flores efflorescerent. Ineſt cauli et foliis eius, nec non calyci, reſinoſi quid, efficaciſſimi ex noſtra opinione ad viſcerales effectus edendos). Valerianae extractum inutile penitus eſt. Lactucae Romanae extractum bilem potentiſſime corrigit. Efficaciſſimum hellebori nigri extractum eſt, et ſpecifica vi in anum agit. Boni pilularum BACHERI effectus ab efficacia hellebori nigri, qua pituitam tenacem ſoluit, penitus pendent. Efficaciſſimae in puluere plantarum ſummitates ſunt. Puluis gummi guaiaci cum tartari cremore partes praeſtantes roborat, aluum ducit, et bili atrae admodum aduerſus eſt. — Vitream pituitam ſapo gummoſus ſupra deſcriptus, pilulae ex tauri felle et aloës extracto, herbae arnicae (itane herbae tanta vis? nos caulem cum herba, flores praetuliſſemus) cum ſalibus amaris infuſio, caet. tollit: multa et tartarus emeticus parca doſi datus praeſtat; obeſt autem vehementer aegrorum ſaluti, dum fixi adhuc infarctus ſunt vomitum concitare, aut aluum vehementer purgare: ad purgandum a vitrea pituita corpus purgantia intenſiora, gummi guttae,

guttae, ſcammonium, caet. laudantur, haeque fortiſſimae alias medicinae pigrum et a pituita praefocatum canalem vix mouent. (Sanauit nuper in delicatula muliere agyrta hydropem a bile oriundum, a tonſore medico doctore praepoſtere aluum et vrinam mouentibus fortibus tractatum, quum tartari cremori et tamarindis ceſſiſſet, trochiſcis alhandal et tiliae granis. Deceſſit pituitae copia enormis; ſed aegra ad mortem vſque fere purgata eſt). Hinc medicinarum draſticarum ſumma ſubinde efficacia, hinc agyrtarum fama, pulueris Ailhaudiani laudes!

Liberis ab infarctibus primis ex maxima parte viis, in eo cura medici verſari debet, vt robur partibus relaxatis reſtituatur, idque obtinetur maxime talibus roborantibus, quae lente ſimul ſoluunt t aluum ducunt. Maxime eum in finem laudatur Peruuianus cortex cremore tartari remixtus, qui infarctus potentiſſime auertit, et alui obſtructionem pertinacem leuat. Laudantur et amara aromatica cum vino Hiſpanico infuſa, nec non ſolubilis mars, roborantibus nuptus. (Vitrioli ſpiritum nos, qui Kaempfianis morbis laborantes frequentiſſime vidimus et methodo ſua aliaque plures ſanauimus ad hunc finem maxime adhibemus ſubinde cum aliis roborantibus nuptum. In roborantibus trifolii fibrini extractum *bene praeparatum* maxime amamus, vitrioli ſpiritus particula remixtum. Pituitam reſoluit optime, efficaciſſime, chelidonii maioris extractum, potentiſſima medicina, plurimis a Cl. KAEMPFIO valde laudatis medicinis, quod experti didicimus, certe et omni modo praeferenda).

Si vero acris quaedam impuritas infarctui adiuncta eſt, viſceralibus medicinis hanc acrimoniam lenientia adiungenda ſunt. Generalia nota medicis ſatis, ſed ſelecta, qualia a tanto viro exſpectari

 poſſunt,

poſſunt, primum exponuntur, poſtea methodus acrimoniam ad cutem deriuandi traditur. Retrograda exanthemata aconiti eſſentia efficaciter expellit. Venerea acrimonia praeſente, antimoniali ſapone remixtum aconiti extractum morbum ſuſtulit, ad quem mercurius non valuit. Arthriticam acrimoniam debellat guaiaci puluis cremore tartari, extracto aconiti et cortice Peruuiano remixtus, nec non antimonialis ſapo gummi ammoniaco et guaiaci remixtus. Scrofuloſam acrimoniam corrigunt aquae Schwalheimenſes, antimonialis ſapo, ſuetaque alia medicamenta, herpetum vero acrimoniam ſueta aliis acrimoniis, ſimul praeſentibus adverſa. (Haec certe non ſufficiunt. Nos, in vberrima varia ad herpetes medicamenta tentandi occaſione, vinum antimoniatum HUXHAMI, certo modo praeparatum vtplurimum, admodum efficax invenimus; ſed certum eſt, LORRIO, V. Ill. iam notante, ad omnes herpetum ſpecies vnicum medicamentum non valere). Specifica virtus floribus ſulphuris eſſe videtur ad acrimoniam a ſanguine haemorrhoidali anomalo. Cancrum JAEGERVS tinctura antimonii THEDENII ſanauit.

Ad neruorum irritationem, inprimis ab acido, valde reſpiciendum eſt. Quamuis recentiores (vano certe auſu!) antacidis medicinis omnem vim denegent, inſignes tamen et omnem exſpectationem ſuperantes effectus negari non queunt abſorbentium ſubinde ſatis ridiculo abſurdoque modo compoſitorum. Stupuit Noſter effectum pulueris ex cochlearum teſtis parati ad infantium conuulſiones. Nota ſunt, quae BOERHAAVIVS (in epiſtola ad BASSANDVM) de efficacia mixturae ſuae antacidae profert.

Si autem et omnes infarctus deceſſerunt, curatio tamen non penitus abſoluta eſt. Morbi, quos indu-

induxerunt, ob reſorptionem praegreſſam, neruorum conſenſum, caet. perdurant, viditque Noſter, ſaepius phthiſicos ſupremum diem obiiſſe, licet infarctus copioſe decederent. Ad reſolutionem tali in caſu, ſimulque ad neruorum affectionem inprimis reſpiciendum eſt. Maxime vtilis fuit tartarus emeticus cum aqua ſolutus et cum mixtura RIVERII, efferueſcentia durante, exhibitus.

Vterinorum vaſorum obſtructiones vterique p. 325. varia concrementa inde naſcentia clyſteribus ex rubiae tinctorum, leuiſtici, curcumae radicibus, rutae, chamaedryos herba, et interno myrrhae, aſae foetidae, ſaponis antimoniati et extracti hellebori nigri vſu ſanantur. Vino medicato ex vino rhenano, cinnamomo, fructibus aurantiorum immaturis, rubiae tinctorum, curcumae radicibus, chamaedryos herba et ferri limatura ad libras circiter duas epoto mulier per XVIII menſes grauida, quae poſt ſeptimum menſem nullum foetus motum perceperat, conuulſiones experta eſt, iisque ſine ſenſu durantibus cum ſonitu foetum edidit, mumiam referentem.

Cura denique exponitur infarctuum decedentium, ſymptomatumque ſubinde violentiſſimorum cum iis coniunctorum. Maxima curationis pars in ſpaſmis leniendis verſatur, et in putredine minuenda. Ad robur reſtituendum vinum Rhenanum maxime, ceu ſummum analepticum laudatur. Capiti medicamentorum quorundam a Cl. viro laudatorum praeparatio addita eſt.

Septimo capite *diaetetica curatio* continetur. p. 337. Laudantur inprimis radices et plantae oleraceae, poma, horaei fructus, vegetabilia acria, antiſcorbutica, antiſeptica, oua, haleces, carnes fumo induratae, ſalſae. Nocet aſparagus ſiccis et irritabilibus, imo ſanguinis ſputum et arthritidem concitat.

tat. Maxime efficaces ſunt lactuca, ſpinachia, poma. Lactuca inprimis atram bilem efficaciſſime temperat. — Pituitam, in debilibus inprimis, ſemen ſinapi cum aqua decoctum et ſaccharo edulcoratum egregie reſoluit.

Obſunt autem infarctibus laborantibus morbumque augent, imo progenerant, medicamenta ſanguinem inſpiſſantia et impuritates augentia, legumina omnia, cibi farinacei, male cocti, ouis, pinguibus ſubſtantiis remixti. Polentam ex farina non fermentato paratam infantibus permittere Cl. vir neceſſitate coactus eſt: ex fermentatis enim ſubſtantiis parata fermentationem, ventris inflationem, tormina excitauit. Obſunt cibi admodum nutrientes, vita otioſa exſiſtente, pinguia, dura, fungi. Noxii potus ſunt cereuiſia non (aut non penitus fermentata, quae ob inflationem, et inſignem, quam inducit partibus, grauitatem, infarctibus generandis admodum fauet) frumenti ſpiritus. Caffea non penitus damnatur. (Certe nil generandis infarctibus pituitoſis et pituitoſo-ſanguineis, atrabilariis, magis fauet, quam Caffeae rancidae tenuiſſima decoctio copioſiſſime ingeſta, inſtar omnis paene alimenti et potulenti. Dum vita ſedentaria accedit, haec infarctuum cauſa omnium maxime frequens eſt). Vita mollis et diaetae tenuis noxae, quas inprimis in iis inducit, qui forti diaetae adſueti fuerunt, praeclare pertractantur. (Et nos, dum Halae Saxonum medicinam exerceremus, Weſtphalisque ibi degentibus vtplurimum ex hypochondriis laborantibus victum tenuem, leuem, digeſtu facilem praeſcriberemus, nullum ſanare potuimus. Tandem indignabundi praecepimus cuidam admodum ex hypochondriis aegro, vt pane vernaculo et lardo ſuo veſceretur. Sic hic, ſic multi alii reſtituti ſunt, indicio manifeſto, morbos eorum a

ſolius

ſolius diaetae mutatione obortos fuiſſe. Tum, mutato victu, medicinae admodum profecerunt, quum antea obeſſe viderentur). Exponitur etiam, quantum frumenti ſpiritus abuſus ad morbos inferendos conferat, et quomodo, vbi in conſuetudinem hic abuſus tranſiit, infelicibus cupido ſpirituoſi potus detrahi poſſit. Tartarus emeticus parca doſi ſpiritui admixtus, vt nauſeam perpetuam, et vomitus aliquot concitet, maxime laudatur, nec non medicinae ſtomachum ab acido et pituita purgantes, poſteaque roborantes, nutrientes.

Vim medicam et diaeteticam inſignem limaces poſſident, coctione facile cum aqua diſſoluendi. Tales decoctiones ad morbos humorum penuria et virium iactura oriundos efficaciſſime tollunt. Febrem hecticam haec decoctio partim minuit, partim ſanauit. Eadem et oua, oſtreae, ſed modo non tam efficaci praeſtant. Demum de mineralium aquarum ad infarctus vſu agitur.

Octauum caput hiſtorias aegrorum LXIV con- p. 384. tinet, dicta in libro illuſtrantes, raras, admodum notabiles, ſed in epitomen vix redigendas. — Adiecta libro aenea tabula, rudi paululum Minerua ſculpta, coli inteſtini ſitum et cum aliis viſceribus et inteſtinis nexum exprimit.

Legentes hunc librum et relegentes mirati ſumus vehementer doctiſſimi Auctoris, practici medici in Germania vere celeberrimi, ἀκρίβειαν in obſeruando, enucleando et dilucidando morborum diriſſimorum decurſu, obſeruandi ſtudium pertinax, ſingulare, veri ſtudens, et immenſam plane rerum vtilium ſcituque neceſſariarum, omnium fere morborum diuturnorum curationem illuſtrantium copiam, ex copioſa, fida, diuturnaque obſeruatione petitam. Dolent medici, morborum diuturnorum hiſtoria et curationis methodo exacte deſcri-

ptis nos deſtitui. KAEMPFIO ſpartam mandate: res acta erit.

VI.

Geſchichte der Luftgüteprüfungslehre für Aerzte und Naturfreunde, kritiſch bearbeitet von JOHANN ANDREAS SCHERER, *der Arzneykunſt Doctor. Erſter Band. Wien* 1784. *Bey Wappler, mit einem Kupfer.* 14 *plagg. in* 8. *Zweyter Band. ebendaſelbſt.* 1785. 15 *plagg. in* 8.

i. e.

Hiſtoria doctrinae de aëris bonitate exploranda, auctore JOANNE ANDR. SCHERER.

Notum omnibus eſt, doctrinam de aëre noſtris temporibus experimentis et obſeruationibus Clariſſimorum virorum plurimum incrementi cepiſſe, multaque ex his experimentis in aegros commoda, momenti ſummi redundaſſe. Plurimis ſimul experimentis doctrina de aëris bonitate, laudabili pro variis aegris qualitate, adornata eſt. Haec experimenta omnia Cl. Auctor in inaugurali ſua diſſertatione, *eudiometria, ſiue methodus aëris atmoſphaerici puritatem et ſalubritatem examinandi Vindobon.* 1782 in 8uo colligit et in concinnum ordinem redegit, in hoc vero libro vberius expoſuit.

Primo hoc volumine modi tantum aëris bonitatem explorandi exponuntur. Primum de aëre nitroſi acidi agitur, ceu notiſſimo adminiculo, quo aëris bonitas explorari poteſt. Primam illius mentionem fecit IOANNES BAPTISTA VAN HELMONT, experimenta cum eo iam ROBERTUS BOY-

LE,

LE, MAGOW, BECHERUS inſtituere. Doctrinae de aëris bonitate exploranda verus inuentor HALESIUS eſt.

De parando nitroſo aëre vlterius agitur. Ex ſtanno cum nitri acido ſoluto copioſiſſime, ex ferro cum difficultate quadam paratur. Conformem maxime nitroſum aërem cuprum et argentum viuum ſuppeditant. Modi varii apparatusque ad hunc aërem parandum copioſe exponuntur.

Tranſitus ad *naturam et compoſitionem nitroſi aëris* eſt. Deſumta omnia ſunt ex recentiorum operibus, PRIESTLEYO, SCHEELE, LANDRIANI, INGENHOUS, FONTANA, ACHARDO, BERGMANNO, aliis, ordo tantum rerum dicendarum a Cl. auctore profectus eſt. Proprietates nitroſus aër p. 91.
has habet, vt, ſi diu ſuper aqua fontana aſſeruetur, decomponatur, ſenſimque omnes ſuas qualitates perdat, aëri ſpirabili admixtus elaſticitatem ſuam amittat, quam proprietatem iam HALESIUS detexit, aërem omnem ſpirabilem minuat, quod pariter iam ab HALESIO viſum eſt, quod ſpirabilem aërem eo magis minuat, quo minor in hoc aëre copia phlogiſti exſiſtit, quod ſpirabilem aërem eo minus minuat, quo maior phlogiſti in eo contenti copia eſt, aëremque phlogiſto perfecte ſaturatum plane non minuat.

Leges autem, quae ex his qualitatibus ſtabiliri poſſunt, hae ſunt: Aër atmoſphaericus eo purior, ſpirabilior, ſalubrior eſt, quo magis, mixtus nitroſo aëri, minuitur; eo magis vero impurus, et ad reſpirationem ineptus, quo minus ſub hac miſcela minuitur. Quilibet aër, tam naturalis, quam artificialis, qui nitroſo aëri admixtus, nullas ſenſibiles mutationes patitur, malus, nociuus, ſuffocans, lethiferus eſt.

p. 149. Eudiometrum PRIESTLEYUS inuenit: FONTANA et LANDRIANI perfecerunt. Deſcribuntur omnes eudiometri, quoad formam, ſtructuram, compoſitionem, a Cl. viris, PRIESTLEYO, LANDRIANI, INGENHOUS, DE MAGELLAN, LUDWIG, WHITE, DE SAUSSURE, SCHEELE, SENNEBIER, FONTANA, CAVALLO inuenti, modique, quibus aëris atmoſphaerici qualitates aëris nitroſi ope detegi poſſunt. Exponitur tandem modus aërem puriſſimum a phlogiſto vacuum examinandi. Explicatio iconis operi addita eſt.

In primo hoc volumine inſtrumenta ad aëris explorationem idonea deſcripta erant, iam in altero *vſus* inſtrumentorum deſcribitur. Laudatur prae aliis eudiometer a Cl° FONTANA inuentus, taxatur is, quo PRIESTLEYUS vſus eſt: maxime autem reprehenditur a Cl° SENNEBIER inuentus.

p. 24. Tranſitus ad regulas eſt in aëris exploratione obſeruandas. Licet aëre gaudeamus et inſtrumentis ad explorationem admodum opportunis, tamen habitus quidam ad experimenta inſtituenda requiritur. Intereſt inprimis *vniformia* ſemper experimenta inſtituere. Experimentis fallacibus inprimis anſam dant imperfecta eudiometri ſtructura, medii, quo aër probatur, imperfecta qualitas, habitus et praxeos defectus experimentatoris, et cauſae demum accidentales. Eudiometri vitioſae ſtructurae variae ex FONTANA et INGENHOUSIO recenſentur. Nitroſus aër ab aqua facile decomponitur, hinc in anguſtis tubis experimenta inſtituenda. Quum a variis metallis varia qualitate obtineatur, ſemper ex vno eodemque metallo aër adhibendus eſt, et quotidie nouiter praeparandus, quum ab aqua facile corrumpatur. Aquae adeo variae experimentorum euentum diuerſum aliquo modo

reddunt.

reddunt. Minuitur longe magis communis aër, ſi aqua pluuiatili experimentum inſtituitur, et miſcela valde agitatur. Praeferenda ad experimenta aqua deſtillata eſt, aut ſaltim ſemper ex vno eodemque fonte deſumta. Obeſt exacte probationi omni modo mercurius. Reſpiciendum diligenter eo eſt, vt in aquam nitroſus aër non demittatur, niſi omnibus aëris bullis ex aqua euanidis; dubium enim experimentum inde redditur. Aquae etiam certa ſemper in aequali tubo altitudo eſſe debet. Obſeruandus in aëre explorando ſimul ſtatus barometri et thermometri eſt.

Tentatus in variis locis aër ſemper opinioni de eo communi reſpondit. In ſanis locis ſanus, in male ſanis male ſanus fuit. Allegantur plurima Europae loca vrbesque et aëris bonitatis gradus in iis obſeruati. Goettingae aër fide maxime digno modo exploratus eſt, ſimulque primae tabulae eudiometricae confectae ſunt, a viris Cll. PICKELIO et LICHTENBERGIO.

Patet ex omnibus experimentis cum atmo- p. 101.
ſphaerico aëre inſtitutis, aërem ſemper determinatam quantitatem aëris a phlogiſto vacui continere, variam eius bonitatem a locis et aliis cauſis pendere; marinum aërem puriorem et ſalubriorem terreſtri eſſe; campeſtrem aërem vrbanum puritate ſuperare; aërem hyemali frigore durante puriſſimum eſſe, aeſtate vero, autumno inprimis, magis impurum; aëris bonitatem a calida in hyeme tempeſtate mutari; ventorum viciſſitudines multum ad mutandam aëris bonitatem conferre; ventos a mari venientes purum aërem, maxime ſalubrem, ſecum vehere, aridas vero et aeſtu vrentes terras perflantes nociuum aërem habere; atmoſphaerae qualitates continuo mutari.

Mutatur atmoſphaera continuo et ab effluuiis omnium eorum, quae ſuper terra ſunt, corrumpitur, phlogiſto inficitur. Hic vero aër partim a foliis plantarum purgatur, partim et a maribus ventis quaſſatis, quorum aquae aëris phlogiſton recipiunt.

p. 137. Appendicis forſan loco operi additum eſt tentamen de influxu phlogiſti in atmoſphaera haerentis in corpus humanum. Phlogiſti inſignis copia in corpore humano generatur, eius vero pars per cutaneos poros et pulmones educitur. Pulmonibus phlogiſton educi phlogiſton probat, quo aër dephlogiſticatus, dum ex pulmonibus exſpirando emittitur, impraegnatus eſt. In omnibus reſpirationis explicationibus ea fidem maximam habet, qua aëre inſpirato vitale in pulmones principium ferri, exſpiratione igneam materiam educi creditum eſt.

VII.

Meteorologie appliquée à la Médécine et à l'agriculture, ouvrage qui a remporté le prix au jugement de l'Academie Imperiale et Royale des Sciences et belles lettres de Bruxelles, ſur le ſujet propoſé en ces termes „decrire la temperature la plus ordinaire des „ſaiſons aux Pays-bas, et en indiquer les influences, tant ſur l'oeconomie animale que „végetale, marquer les ſuites facheuſes, que „peuvent avoir des changements notables „dans cette temperature, avec les moyens „d' y obvier." Par Mr. RETZ, Docteur en Médécine à Arras. On y a joint le traité du

du nouvel hygrometre comparable du même auteur, qui n'avoit pas encore eté publié, avec figures, à Paris, chez Mequignon l'ainé 1784. in 8vo mai. 242 pagg. tractatus de hygrometro 50 pagg.

i. e.

Meteorologia ad medicinam et agriculturam applicata, auctore Cl° RETZ, M. D. adiuncto de hygometro comparabili tractatu.

Medica tantum, quae in hoc opere continentur, excerpere lubet, iis, quae ad agriculturam pertinent, aliis relictis. Obſeruationes meteorologicae, Pariſiis, Atrebati, et in Inſula vrbe, Dunquercae, Hagae Comitum et Traiecti ad Rhenum barometro, thermometro, hygrometro, vdometro et anemometro inſtitutae ſunt. Tempeſtas in Belgio vtplurimum admodum variabilis, frigida et humida eſt. Terra admodum fertilis eſt, ſoli pars ſicca eſt et ſitum eleuatum habet, pars vero humida, ſtagnoſa, admodum vda eſt. Morbi acuti inflammatorii, catarrhales, cum efflorescentiis in cute coniuncti, in chronicis vero hydrops, cachexia, ſcorbutus, febres intermittentes frequentes ſunt, hique morbi peculiari ſoli qualitate in quibusdam regionibus augentur. Putridi morbi in Flandria Batauorum et Zeelandia, ob copioſa ibi putrida effluuia, frequentiſſimi ſunt. In vrbibus ſtagnis, in Batauorum terris non admodum frequentibus, vicinis putridi morbi longe frequentiores, quam in aliis, ſunt.

Phlegmaticum temperamentum vrbium incolae ſedentarii habent, iuuenibus tamen, vsque ad XXV annum, ſanguineum vtplurimum temperamentum eſt. Temperamenta in Belgio facile mutantur; p. 72.

tantur; rariſſimum tamen vbique melancholicum eſt.

Multum ad peculiares morbos generandos piſcium, ſpirituum ardentium, infuſi calidi herbae Theae, Caffeae, Tabaci, copioſus vſus valet. Artifices rure habitantes omnes bene ſe habent, vrbium vero incolae male, inprimis autem, qui mari degunt, piſcatores, iique, qui lanam in fila ducunt. Pectoris et ſtomachi morbi in his, qui ſedentariam vitam, corporis trunco antrorſum valde flexo, agunt, maxime frequentes ſunt, inprimis autem in feminis per totum diem ſedentibus et ad anteriora flexum corporis ſitum ſeruantibus.

p. 89. Altera operis parte *de influxu temperaturae aëris in Belgio in oeconomiam animalem agitur, ſimulque effectus funeſti enarrantur, qui a notabili huius temperaturae mutatione oriri ſolent.*

p. 103. Mercurio in barometro admodum deſcendente, Cl. Auctor mortes ſubitaneas, Cl. BOUCHER autem, eodem atmoſphaerae ſtatu perdurante, apoplexias et mortes ſubitaneas copioſas obſeruauit. Alio tempore mercurius in barometro ſubito deſcendit, ſanguineaeque ſtaſes in internis corporis partibus, laſſitudo, ſtupor partium, capitis grauitas, vertigo crebro obſeruatae ſunt. Aliis temporibus mercurio valde deſcendente fluxiones, rheumatiſmi, epilepſiae acceſſus, pectoris oppreſſiones, apoplexiae, paralyſes, vertigo, capitis affectiones, grauitas, ſtupor, ſanguineae in cerebro ſtaſes, capitis morbi alii, mania, delirium phreniticum febris expers, ſopor praeternaturalis, motus vertiginoſi, reſpirationis difficultas, comatoſae affectiones, aſthmatici terribiles inſultus, vt quidam ſuffocarentur, a Cl. BOUCHERO et Auctore noſtro obſeruata ſunt.

p. 116. Atmoſphaera autem nimis ponderoſa exſiſtente, aſphyxiae et affectus comatoſi, febres malignae

talibus

talibus affectibus comitatae, ſyncoptica ſymptomata, ſubitae mortes, aſphyxiae et hemiplegiae, magna ſubitanearum affectionum copia, in quibus aegri poſt venaeſectionem inſtitutam in atoniam lethalem inciderunt, ſanguinis profuſiones ex vtero, abortus, affectiones ſoporoſae, apoplexiae pituitoſae aegros ſubito iugulantes et ſenibus inprimis funeſtae, ſanguinis ex vtero profuſiones in grauidis, ſanguinis ex aliis locis profuſiones, apoplexiae copioſiſſimae, lethiferae, in quibus venaeſectio mortem attulit, graues aſthmaticorum et pectoris oppreſſione laborantium affectiones, febres putridae malignae, hemiplegia, ſenum copioſae mortes, epilepſiae, obſeruata ſunt.

Calor in Belgio inflammatorios morbos frequenter excitat, qui tamen in ephebis ſolum frequentes ſunt. In omnibus autem ſiccus calor ſanguinis ebullitionem, intenſos capitis dolores, virium proſtrationem et laſſitudinem vniuerſalem, pulſum inflammatorium, vrinas ſubrubras, linguam albam, appetitus defectum, et febrium quotidianarum acceſſus quosdam produxit. Frigus fluxiones in pectore, catarrhos cum tuſſi, inteſtinorum dolorem cum adſtricta aluo, ſubinde et renum inflammatione inducit. Viciſſitudines caloris frigorisque epidemicis morbis in Belgio raro anſam dant. p. 127.

Aëre admodum calido ſiccoque exſiſtente, dyſenteriae graſſantur, nec non febres ardentes, exanthematicae, gangraenoſae. Frigido aëre ſimulque ſicco fluxiones inflammatoriae in viſceribus, inprimis in pectore graſſantur, quae expectoratione aut critica tonſillarum ſuppuratione feliciter terminantur. Humidus aër febres intermittentes, album foeminarum fluorem, hydropem, cachexiam, ſcorbutum inducit, humidus vero ſimulque cali- p. 142.

dus

dus aër morbos putridos, tuſſes idiopathicas, febres catarrhales et peripneumonicas eſſentiales, anginas malignas, gangraenoſas, tuſſim conuulſiuam. Tali aëre exſiſtente, epidemici catarrhi vtplurimum graſſantur. Humidus et frigidus aër rheumatiſmos acutos, et febres catarrhales rheumaticas inducit.

p. 151. Aëris autem diſpoſitio miaſmatum generationi admodum fauens ea eſt, qua putredo ſubſtantiarum in terra acceleratur, inprimis ea, quae tonitrua praecedit, vbi aër ſiccus, calidus et ſtagnans eſt. Talis autem aër quum in Belgio rarus ſit, patet, morbos a miaſmatibus oriundos in hac terra admodum frequentes non eſſe, niſi miaſmata ob aëris naturalem humiditatem facilius communicentur, et ventorum ope in alia loca transferantur, quo in caſu et febres putridae verminoſae, exanthematicae malignae, gangraenoſae, carbunculis ſtipatae, peſtilentiales admodum frequentes et lethiferae ſunt. Bilioſae febres a vaporibus, quos terra exhalat, produci videntur. Populares morbi in Belgio raro valde communes ſunt. — Caetera ad oeconomiam pertinent.

VIII.

Defenſe de l'inoculation et relation des progres qu' elle a fait a Philadelphie en 1758. par THOMAS BOND, vice-préſident de la Societé philoſophique en Amérique, et Médecin de l'hopital de Penſylvanie, à Strasbourg, a la librairie academique 1784. 5 pl. in 8vo.

i. e.

Inſitionis variolarum defenſio progreſſuumque, quos Philadelphiae ab anno 1758 habuit, expoſitio.

Quod

Quod hi, qui rei publicae praeſunt, variolarum inſitionem ſua auctoritate nondum commendauerint, inde factum eſt, quod medici doctrina et meritis ſpectabiles inſitioni variis argumentis admodum ſpecioſe excogitatis obfuerint.

Politica, quae inſitioni variolarum obiiciuntur, haec ſunt: 1) Poſt variolarum inſitionem Londini plures varioloſi mortui ſunt, quam antea, 2) hinc ſequitur, variolas eadem ratione magis mortiferas euaſiſſe, qua earum inſitio vlterius progreſſa eſt. Ante inoculationem variolarum Londini ex 1000 varioloſis 80 mortui ſunt, hodie ex eodem numero mortuorum numerus 109 eſt. Hinc ſequitur, inoculationem variolarum hominibus generatim exitioſam eſſe, ſi et indiuiduis quibusdam faueat.

Inſitionis variolarum mali ſucceſſus inde potiſſimum oriuntur, quod medici in hoc negotio nimis incauti ſint, omnibus, ſine diſcrimine, variolas inſerant et in frigido regimine obſeruando excedant. — Variolae tantum inficiunt, dum maturae factae ſunt; ante hoc tempus nulla infectio locum habet, hinc et his, qui commercium cum varioloſis habuerunt, ante maturationem exanthematum variolae ſine infauſti euentus metu inſeri poſſunt.

Naturalium variolarum, poſt artificiales vere ſuperatas exſiſtentiam, Noſter non negat, et ad rei probationem exemplum Ill^mae^ comitis DE BOUFFLEURS adducit, quae, poſt ſuperatas artificiales variolas, in naturales periculoſas incidit. Rem ex veneni varioloſi, quod ſumme cauſticum eſſe dicit, mutatione quadam explicat, qua efficitur, vt venenum non vsque ad cutem perfecte penetrare poſſit. Si autem venenum varioloſum, poſt artificiales variolas inſitas, perfecte euolutum eſt, varioloſaque exanthemata cum ſymptomatibus ſuetis in loco, cui

variolae

variolae inſertae ſunt, apparuere, tunc nullus ob nouos varioloſi morbi inſultus metus eſt; ſi autem poſt inſitionem variolarum nullus ſub axilla dolor aegros inuadit, et febricula cum parco capitis dolore ingruit, quae poſt 48 horarum ſpatium diſparet, relictis in cute copioſis exanthematibus humore limpido repletis, quae quarto aut quinto die diſparent, nec ruborem nec eroſionem poſt ſe relinquunt, tunc tale exanthema veroſimiliter quidem pro varioloſo habendum eſt, verum num morbus vere varioloſus fuerit, ob exanthematis cum aliis ſimilitudinem dubitare licet. Taliter decurrens morbus ſemper indicat, venenum non ſatis profunde penetraſſe, et corpus contra futuram infectionem perfecte immune redditum non eſſe.
p. 35. Inſeruit Cl. vir aliquoties variolas filo varioloſo veneno admodum putrido infecto. Oborta eſt febricula, et exanthema, ſed varioloſum ſpurium, iterumque inſtituta inſitione, variolae artificiales verae erupere. Adducuntur et alia exempla probantia, varioloſum virus cauſis omnis generis debilitari poſſe, ſymptomataque debilitatum inducere decurſu et ſequelis a variolis vere artificialibus differentia.

Tempus, quo Philadelphiae variolae primum inſertae ſunt, annus 1758 eſt. Poſtea inſitio admodum inualuit, tandem in obliuionem incidit, vt nunc admodum langueat. Primum Philadelphiae variolae inſertae ſunt, poſtea Boſtoni, qua in vrbe ex 48 artificio varioloſis vnus periit, (ſed maxima pars eorum, quibus variolae inoculatae ſunt, e nigritarum natione fuit). Praeparatio ad morbum, quae mercurio, antimonio, caet. inſtituitur, a Cl. viro admodum laudatur, probaturque ex publicis diariis Americanis, mortes adeo praeparatorum longe parciores iis fuiſſe, qui nullam praeparationem

ſuſti-

ſuſtinuerant. Mercurium dulcem Noſter cum antimonio diaphoretico et *ſale polychreſto* exhibet (nos puluerem alterantem PLUMMERI optimo cum ſucceſſu dedimus). Multi, fama boni ſucceſſus moti, ex vniuerſa America Indiaeque occidentalis inſulis Philadelphiam ſe contulerunt, vt ibi variolarum inſitionem paterentur, in iisque ſubinde et ſingularis praeparatio neceſſaria fuit. Ichthyophagi robuſti ex ſeptentrionalibus Americae terris mercurio ſublimato corroſiuo ad praeparationem indiguerunt. Georgiae, Carolinae et Virginiae humidam et ſtagnoſam partem qui incoluerunt, mercurium acido fixatum non tulerunt. Calcinatus ſiue alcaliſatus mercurius iis ſaepe maxillae inflammationem et ſaliuationem excitauit. Obfuit et mercurius neruorum morbis laborantibus, iisque, qui putrido morbo quodam decubuerant.

Corpus ſatis praeparatum eſſe indicant muſculorum mollities quaedam, pallidus oris color, et aëris ex pulmonibus exſpirati putridus odor quidam a mercurio inductus. Aër, quem aegri durantibus variolis ſpirant, frigidus, ſubfrigidus ſaltim, corpus vero bene tectum et perſpirabile eſſe debet: aegros febre eruptiua et criſi perdurante aëri frigido exponere, exitioſum eſt. Frigidum nimis regimen, quod in varioloſo morbo hodie ob malam quandam conſuetudinem obſeruatur, cauſa eſt, quod oris ſalutaris eumque excipiens manuum et pedum tumor et ſalutaris iſta pituitae copioſa per os excretio non tam frequentes ſint, quam priſcis temporibus. p. 66.

IX.

Traité théorique ſur les maladies épidémiques, dans lequel on examine ſ' il eſt poſſible de les prevoir, et quels ſeroient les moyens de

les prévenir et d'en arreter les progres? Ouvrage qui a été couronné en Novembre 1772, par la faculté de Médécine à Paris, et auquel on a depuis ajouté quelques vues relatives à la pratique. Par Mr. LE BRUN — à Paris 1784. 17 pl. in 8vo mai.

i. e.

Tractatio theoretica de morbis epidemicis; qua inquiritur, num cognoſci poſſit, eos inſtare, ſimulque modi eos auertendi et progreſſus eorum praecidendi expenduntur.

Diſtinguit Auctor morbos epidemicos in ſimplices, parum periculoſos, malignos, ſaepius lethiferos, ſiue peſtilentiales. Tertiam claſſem peſtis ipſa efficit. Primae claſſi et conuulſiua tuſſis adnumeratur, quam ſecundae adnumeraſſemus. Secundae claſſis morbi aut inflammatorii, aut putridi ſunt (bilioſi morbi epidemici huic claſſi adſcribendi et pituitoſi ab Ill. SARCONE obſeruati penitus omiſſi ſunt).

p. 17. In cauſis morborum epidemicorum inquirendis optimam methodum hanc Noſter eſſe putat, vt ad origines omnium, quae exſiſtunt, deſcendatur, eoque modo, in ipſis adeo elementis, corporum, quae in exſiſtentiam noſtram influxum quendam habent, formatio et differentes proprietates inquirantur. Hinc ſermone primum de ſubſtantiis aut corporibus phyſicis habito, elementa corporum, eorum principia, ſecundaria, mixta pertractantur, ſubſtantiaeque, quoad partes eas conſtituentes, quoad ſenſibiles earum qualitates, et quoad varias circumſtantias in eas influxum habentes, in tres claſſes diuiduntur.

Quibus

Quibus omnibus praemiſſis, problematis primam partem Noſter pertractat, num nempe epidemicos morbos praeuidere liceat. Quum omnium, quae in rerum natura geruntur, cauſas perſpicere non liceat, facile patet, partem morborum epidemicorum praeuideri non poſſe; ſed quum et multarum cauſarum agendi modum certo ſciamus, quosdam epidemicos morbos et certo praeſagire licet: vt autem tales cauſae perfecte cognoſcantur, mineralium pars maxima regnumque vegetabile et animale quoad partes conſtitutiuas et agendi modum in corpus animale pertractantur. Pertractatur et ignis, calor, frigus, aër atmoſphaericus, quoad qualitates ſuas ſenſibiles, aqua, loci, fermentationis gradus differentes. p. 42.

Acutos morbos, a cauſa admodum irritante oriundos, omnes principiis admodum actiuis in maſſam humorum introductis adſcribi debere Noſter adſerit, alcalinis ſalibus, mineralibus exhalationibus, vinis mangoniſatis, frumento corrupto; poſſe etiam epidemicos morbos praeuideri ab aëris ſingulari qualitate naſcentes, aut dominante fructuum qualitate, locorum varia intemperie, caet. Si omnia ea vitantur, quae epidemicos morbos producunt, aut hoc modo mutantur, vt tali modo, quo epidemia producitur, agere nequeant, epidemici morbi efficaciter auertuntur. p. 120.

Praeciduntur autem epidemici morbi in ipſo ſuo progreſſu partim obſeruatione diligenti eorum, quae ad auertendos eos adhibenda ſunt, partim etiam diligenti morboque accommodata eorum curatione. (Sed in hac enarranda quantum obſeruatione, experientia et ratiocinio a SYDENHAMO diſtet Cl. Auctor, ſatis et hoc modo monſtrat, vt lectoribus paene nauſea moueatur). De varioloſi miaſmatis indole quaedam ſpeciatim exponuntur.

Vt indoles illius exacte cognoſcatur, ex Noſtri mente *chemica* illius analyſis (!) inſtituenda eſt. In inſitione variolarum varioloſum virus eodem modo debilitatur, quo acidum debilitatur, aliis
p. 172. principiis mixtum. Noſter in vrbe quadam in prouincia ſita varioloſam epidemiam per tres integros annos obſeruauit, in aegrisque, quos admodum copioſos curauit, *ne vnus quidem* mortuus eſt. (Haec omnem *veram ſanamque* fidem ſuperant. Prouinciam, vrbem, methodum, quibus tam grandia geſta ſunt, ſcire cupio). Emetica in variolis penitus damnantur. Peſtis pro putridiſſimo morbo habetur, eiusque contagium a ſumma putredine partium animalium oritur, adeoque peſtis miaſma exoticum non eſt, ſed veroſimiliter exoriretur, ſi v. g. humana cadauera omnia in vrbe quadam terrae non mandarentur. Ad peſtem praefocandam varia commendantur, quae in obſeruatorum libris melius omnia expoſita ſunt.

p. 199. Operi appendicis loco ad dictorum illuſtrationem varia addita ſunt. Placuit nobis tabula, qua morbi breuiter et ſatis bene exponuntur, qui actione ſubſtantiarum aut quoad principia ſua conſtitutiua, aut quoad qualitates ſuas ſenſibiles, aut quoad circumſtantias quasdam externas earum agendi modum determinantes agentium in corpore humano oriri ſolent. Multa quidem nimis generaliter in hac tabula dicta ſunt; conuenit tamen inprimis in rebus medicis non valde exercitatis, morbos praecipuos, qui ab hac vel illa cauſa produci ſolent, in compendio quodam coram oculis habere.

p. 226. Subinde in epidemicis morbis plurimum intereſt, vt aegrorum inter ſe commercium praepediatur. Noſter in monaſterio quodam tuſſim ferinam cum ophthalmia ſanare non potuit, dum aegrotae in communi cubiculo decumberent. In omnibus

paene

paene febribus epidemicis calida, aromatica, cardiaca ſic dicta morbum peiorem reddunt, eumque non praecauent. Aër a talibus morbis homines et a malignitate aegros optime defendit. Hic diligentiſſime renouandus eſt. Nec in ſymptomatum curatione valde diuque inſiſtendum, inprimis venaeſectio, ad morbi ſymptomata ſedanda, caute adhibenda eſt.

In omnibus epidemicis morbis, in quibus humores ſtagnant, inprimis pituitoſi et ſeroſi, vbi pulſus debilis eſt, et ſtupor adeſt, in putridarum febrium ſurditate et omnibus lymphaticis congeſtionibus veſicatoria nuchae applicata admodum proficua ſunt.

Vermes frequentem putridarum malignarum causam conſtituunt; diriſſimaque ſymptomata, conuulſiones, meteoriſmi, colicae, anthelminticis medicinis adhibitis cedunt. p. 240.

X.

Verſuch einiger praktiſchen Anmerkungen über die Eingeweide, zur Erläuterung verſchiedener verborgener Krankheiten und Zufälle, entworfen von Dr. JACOB FRIEDRICH ISENFLAMM. — *Erlang.* 1784. *in* 8*vo.* 1 *Alph.* 5 *plagg.*

i. e.

Obſeruationum practicarum in corporis humani viſcera tentamen, ad varios abſtruſos eorum morbos ſymptomataque illuſtranda.

Morborum doctrinam praeclare iam illuſtrauit Ill. auctor, vir vere doctus, editis variis diſſertationibus anatomico-medicis, nec non libris de

oſſibus *), neruis **), muſculis ***). Hoc opere corporis humani viſcera hoc modo pertractantur, vt primum anatomica et phyſiologica de viſceribus exhibeantur, poſtea morbi varii ſymptomataque ex eorum ſtructura et functionibus explicentur. Talis operis vtilitatem facile agnoſcet quisquam, cui perſpectum eſt, quam difficiles cognitu, quam ardui explicatu plerique viſcerum, inprimis abdominalium, morbi ſint.

Prima ſectione *de viſceribus in genere, eorumque naturali ſtatu agitur.* Adſerit Ill. vir iterum, neruorum morbos maxime intricatos a ſola preſſione medullaris cerebri ſubſtantiae et neruorum pendere, ſpirituoſorum actionem ex hac preſſione ſolum explicandam eſſe, inſaniam adeo ab hac preſſione pendere. Vidit in muliere melancholica, quae, caſſis aliis tentaminibus vitam ſibi eripiendi, ſeipſam ſuffocauerat, os cuneiforme caluariae prominens, acuminatum. Sequitur deſcriptio viſcerum pectoris et abdominis omnium, ſtructuram et vſum concernens.

p. 135. Altera ſectio *annotationes circa viſcera, in ſtatu praeternaturali conſiderata*, continet. Viſcera omnia in vno eodemque animalis genere quoad externam formam, ſtructuram, perfectam cum aliorum huius generis ſubiectorum viſceribus ſimilitudinem habent; ſed ſubtiliores horum viſcerum partes vaſaque tenuiora peculiarem in quouis ſubiecto ſtructuram habent. Vidit Ill. vir arteriam meſeraicam ſuperiorem in cadauere penitus deficientem. Videtur in primis ſuis originibus homo conformitatis partem magnam cum patre habere. Hinc ſumma ſobolis cum patre ſimilitudo, hinc vena frontalis in

*) vid. comm. noſtr. Vol. XXVI. p. 603.

**) vid. ib. Vol. XXIII. p. 279.

***) vid. ibid. p. 133.

in patre iracundo admodum turgida et in filio turget. Eadem ſtructurae analogia in omnibus vaſis, viſceribus, caet. locum habet. Morbi haereditarii familiis quibusdam adeo infenſi hinc origines habent, hinc explicandi ſunt. Hydrops priſcis et noſtris temporibus frequenter haereditarius ab hepatis vitio haereditate propagato explicatur. A ſimili vitio viſcerum et vaſorum arthritidis, podagrae, calculi, haereditate propagatorum origines explicantur. Vidit Ill. vir liberos ſanorum omnimodo parentum octo, dum octauum aut nonum aetatis annum attigiſſent, diabete vero corripi ab eoque necari. Vrina Theae colorem perfecte retulit, cui lactis guttae quaedam admixtae ſunt, gallinacei iuſculi ſaporem et odorem habuit.

Pulmonibus, humore excepto, qui lubricam p. 173. ſuperficiem reddit, nulla alia ſecretio adſcribitur. Haereditarii pulmonum morbi partim ex corporis, inprimis thoracis, externi ſtructura, partim et ex connata pulmonum debilitate explicantur. Admodum periclitantur haemoptyſi laborantes, ſi pater auusve eodem morbo correptus, phthiſicus demum obiit, nulla autem vitae amplius ſpes eſt, ſi et mater eodem morbo laborauit, et phthiſi periit. Vt hic tam alte haerens fomes eradicetur, opus eſt, vt matrimonium homines, qui tales affectiones metuunt, cum talibus ineant, qui oppoſitum corporis habitum habent. (His licet veritatem non denegem, generaliter tamen omnia adfirmare non auſim. Vidi videoque quotidie ſedentarios artifices, et in his tibialium praeſertim textores, haemoptyſi laborantes, filios eodem morbo adfectos progenerantes. Ob affectionis eiusque in filios propagationis frequentiam concludi nullo modo poteſt, patrem infirmos ſuos pulmones in filium communicaſſe; ſi talis valeret concluſio, opus eſ-

 ſet,

ſet, vt arte pernicioſa producta viſceris cuiusdam infirmitas, naturalis homini fiat, vt propria talium hominum ſocietati pulmonum infirmitas ſit. Multum valent ad tales morbos vitae genus filii cum patre idem, labores iidem, caet.) Familiam Ill. vir vidit, quae pilularum ſolo adſpectu vomitu et nauſea corripiebatur. —

p. 188. Conſiſtit commune ſenſorium diuerſis partibus: pons *Varolii* pars illius eſſe videtur. Connata omnibus filiis eſt ſenſorii communis ſimilitudo cum paterno, hinc animi mores, animi ſaepe vires aequales. — Apoplexiae haereditariae a venarum capitis ſimilitudine explicantur. Multis aliis, de typis, exacerbationibus, febrium decurſu, criſibus, caet. fuſe praemiſſis, ad pulmonum morbos tranſitus eſt. Probatur, phthiſeos pulmonalis ſpecies multas a ſola pulmonum relaxatione pendere, et a collectis in pulmonibus ſanguinis partibus lymphaticis, nutritiuis. Hinc et odor ſingularis, quem ſputa igni iniecta ſpirant, pus magis probat, quam eorum in aquis ſubſidentia. Purulentas in pulmonibus congeſtiones ſaepius Cl. vir vidit, easque ſaepiſſime in ſiniſtri pulmonis inferiori parte. Sequuntur phthiſium diuturnarum, cum ſalute terminatarum, pure euacuato, et iterato recurrentium hiſtoriae. Dolor vrens, lancinans pulmonum, vix tolerandus, laeſiones pulmonum ingentes a pure congeſto, puris inſignes accumulationes, caet. ſignificat. Pleurae adnati purulenti pulmones ſemper ſunt, a lympha forte extrauaſata, condenſataque. Hinc et tales concretiones poſt catarrhos frequentes ſunt. Obſeruauit Noſter tales concretiones in ſubiectis iunioribus nunquam, in adultis e contra admodum frequenter. Viro ex pedum oedemate repreſſo ſpirandi difficultas cum orthopnoea nata eſt. Aquam ſuſpicans Noſter in pulmonibus,

monibus, eos tantum naturali ſtatu paullo grauiores inuenit, vt aquae inieſti fundum peterent. (Sanguineos pulmonum infarctus vidimus, ſingularibus phaenomenis ſtipatos, lethiferos, cum tanta ſanguinis in pulmonibus collectione, vt omni exſpiratione, non tuſſi, non ſcreatu, (haec enim impoſſibilia erant,) ſanguis ſeroſus, corruptus, tenuis, qui craſſamentum ſuum amiſerat, copioſe et vi quadam educeretur. Hic morbus nouum genus morborum, nec prius antea deſcriptum conſtituere videtur, natum forte a frequentia artificiorum, quae exercentibus vix alium, quam certum corporis ſitum permittunt.) Sanguinis ſputum periodicum, omnis periculi expers in viris feminisque Noſter ſaepe vidit (nos in feminis praecipue; remanſit tamen ſemper pulmonum ex debilitate laeſio, in corporis colliquationem propenſio, inprimis in his, quibus menſtruus fluxus ſine ordine ſuccedit, aut emanet.) Vidit Noſter, abſceſſum ingentem externum perfecte maturum vna nocte penitus euanuiſſe, pure naturae ope per lotium eiecto. Puella cruris exulceratione mali moris demortua alterum pulmonem puris ſaccum referentem habuit.

In abdominis viſceribus hepar et lien frequen- p. 257.
tiſſimis vitiis obnoxia ſunt. Subinde et tumores ab hepatis loco remoti, dextrum adeo latus occupantes ab hepate indurato proficiſcuntur. Vidit Cl. Auctor icterum perfecte nigrum ab hepatis ſumma induratione, vomitum perpetuum bilioſum a pancreate ſcirrhoſo. Inſignes dolores abdominis cum vomitu ſubpurulento, bilioſo, vir paſſus eſt. Inciſum cadauer ventriculum cum iecinore concretum, abſceſſum in iecinore, caet. exhibuit. Laeſionum in viſceribus infimi ventris extremi gradus tabem vtplurimum ſecum coniunctam habent; hinc

hectica talis ſtatus improprie nimis adpellatur. Vir a renum exulceratione penitus ſanatus paullo poſt in peripneumoniam incidit. Cadauer pus in pulmonibus, alterum renem perfecte purulentum exhibuit. Sequuntur hiſtoriae variae abſceſſuum internorum occultorum, aut ſponte, aut poſt laeſiones externas natorum, feliciter vtplurimum diſcuſſorum.

p. 296. Quomodo indicationes in morbis viſcerum abdominalium formare expediat, et qua ratione indicationes vrgentes et non vrgentes diſtinguendae ſint, copioſe ex exemplis exponitur. Vidit Ill. vir ſplenem a caſu ex alto plane ſciſſum. Aeger altero a caſu die mortuus eſt. In mulieris cadauere vidit ſplenis oſteoſteatoma et cum diaphragmate praeternaturalem concretionem ab externa laeſione. Poſt lapſum ab alto in muliere ſuffocatiuus catarrhus, poſteaque reſpiratio tam velox habitualis oborta ſunt, vt ſpiratio cum pulſibus eundem numerum ſeruaret, ſine vllo aegrae incommodo. Mitralem valuulam ſciſſam ſuſpicatur Noſter.

p. 309. De ſubitaneis mortibus ab interna, abſtruſa cauſa pendentibus plura proferuntur. Laeſio, vt mors vno momento ſubſequatur, vtique admodum magna eſſe debet, vidit tamen MORGAGNI, vt alios taceam, poſt tales mortes nullas cultro anatomico detegendas laeſiones. (Nos nuper adhuc ad operarium, ſaniſſimum, admodum ſtrenuum antea, vocati ſumus, qui vere mortuus in terram cecidit, dum operi ſuo, vires corporis haud magnas requirenti, incumberet. Laeſionem ſcire cupidi, nullum illius veſtigium in cadauere detegere potuimus). Vir mediocriter ſanus ſubito mortuus in terram cecidit. Inciſo cadauere, cruoris copia in abdomine magna inuenta eſt, a ſciſſa portarum vena eo loco, quo hepar deſerit, oriunda. Incognita ſciſſurae

cauſa

cauſa omni modo fuit. — Peregrina corpora in corporis partibus haerentia aegri ſaepe ſentiunt. Polypi duo in viri corde detecti ſunt, qui viuus de vermibus in corde conqueſtus fuerat, in alius cerebro calculi inuenti ſunt, quos viuus praedixerat. Aeger, qui duritiem lapideam in abdomine ſenſerat, ſolidam materiem in colo inteſtino formatam XIV librarum excreuit.

Licet autem eiusmodi cogitationes fallaces admodum ſint, omnis tamen veritas illis denegari nequit. Vir omni modo bonus, rectus, nobilis, dum felix hilarisque videretur, omnibus cognatis et amicis vltimum vale dixit, ceu ſequenti, vt expreſſe dixit, die, moriturus. Noctem ſaniſſimus transegit. Mane ſanus ſurgens ſellaeque inſidens ſopore, morte inſequente, correptus eſt, nulla veneni ſuſpicione praeſente. Alia ſaniſſima omnique modo bene ſe habens virgo ſe praeterlapſis duobus diebus morituram praedixit, ex ſingulari circa cordis regionem ſenſu. Stato tempore in lectulo mortua reperta eſt.

Miram ſubinde et maxime leuidenſia contagia p. 336. ſtragem edunt, dum corpus ad ea pronum eſt. Vidit Noſter ab oris papuloſi oſculo cariem omnium oris oſſium, vomeris, oſſis cuneiformis, caet. ortam. A ſimili cauſa alius omnem oris carnem et oculos adeo amiſit, certo exemplo, quanta ex laeſionibus maxime vilibus mala et quam mortifera oriri poſſint. Multa ad hos morbos dauci ſuccus praeſtitit. Spaſmi veſicae vrinariae intenſiſſimi paene mortiferi a ſanguinis grumo collo veſicae impacto oriundi, vniuerſales ſanati naphta vitrioli ſunt. Ouarii hydropem a caſu ortum vidit. Eum lethalem putat, vt omnes aquarum in ouariis collectiones, quarum nullam adhuc a medicis ſanatam eſſe adſerit. In alia poſt lapſum ouarium ſine dolore tantum intu-

intumuit, vt ſeptem librarum pondus poſt mortem excederet. Modus, quo a tali cauſa ouarium tam vehementer afficitur, Noſtro admodum obſcurus eſſe videtur. — Tumidi feminarum ventres, qui poſt puerperium ſaepe remanent, vtplurimum a tumidis ouariis oriuntur, ſiniſtrum autem facilius intumeſcit et crebrius hydrope corripitur. Subinde et humores in vteri ligamentis latis collecti ventrem tumidum reddiderunt, ſubinde et aquis ſedem tela partium in ventre contentarum celluloſa praebuit. — Mobilis non ſemper ouarii tumor eſt, pelui ſubinde firmiter impactus. Diſſentiunt vtplurimum medici admodum in talibus tumoribus vere cognoſcendis. Tumorem in abdomine ſub vmbilico haerentem, capitis magnitudinem formamque referentem, alius pro mola, alius pro tumido ouario, alius pro omento ſurſum ab vtero antea grauido reuoluto habuit. Noua durante grauiditate tumor diſparuit, mulier perfecte ſana reſtitit.

p. 360. Sciſſuram vteri non tam facilem eſſe, nec durantibus vteri contractionibus ſuccedere Noſter putat, quum contractio ſciſſurae contraria ſit. Vidit poſt vim externam grauido ventri illatam dolores ad partum irritos poſtea euanidos. Succeſſit ani abſceſſus, quo plurima foetus oſſa egeſta ſunt. Rarus admodum caſus eſt, quem vidit, mulieris grauidae, quae poſt vim externam abdomini illatam ſenſu foetus deſtituta eſt et circa dextram regionem vmbilicalem dolorem ſenſit. Aliquoties poſtea grauida facta, partus ſanos enixa eſt, remanente antiquo tumore. Elapſis tandem XXV annis tumor inflammatus ſponte eſt, ſciſſusque cum pure crines et capitis oſſicula foetus perfecte formati emiſit.

Herniae

Herniae morbum admodum frequentem no- p. 368.
ſtris temporibus, quem aegri ſaepius diſſimulant, conſtituunt: hinc ad eas in viſcerum abdominalium morbis inprimis reſpiciendum eſt. Perfectam vteri procidentiam eamque lethalem poſt nixum corporis nimium Noſter in virgine vidit. — Interdicendi grauidis hi corporis motus vehementes ſunt, quibus truncus ad latera vehementer torquetur, ob vteri obliquitatem facile inde oriundam. Femina, quae nec anum leuare, nec vrinam mittere, ſine magno incommodo potuit, tumorem ex inteſtini recti diſtentione in vteri vagina habuit. — Homo, cuius inteſtina omnia in ſcrotalem herniam delapſa erant, in paralyſin amborum brachiorum perfectam incidit, perfecte talem, qualem hi experiuntur, qui pictonum colica laborant. Tumor in inguine dextro poſt mortem inciſus ſplenem continuit.

Tranſitus ad infarctus viſcerum abdominalium p. 387.
eſt, ab iisque ad febrilem febrium inprimis intermittentium materiam, quarum ſedem viſcera abdominis vtplurimum conſtituunt. Febrilem materiam non tam viſcidam, ſed admodum ſubtilem, facile excitandam eſſe putat. — Tandem de ſplenis et hepatis vitiis paucis agitur.

XI.

ERNST ANTON NICOLAI, *Hofraths und Profeſſors in Jena, Fortſetzung der Pathologie, oder Wiſſenſchaft von Krankheiten. Dritter und lezter Band. Halle* 1784. *in* 8. 790 *pagg. indice excepto.*

i. e.

Continuatio operis pathologici, ſeu doctrinae de morbis, auctore ERNESTO ANTONIO NICOLAI.

Continet

Continet hic liber, in quo Ill. Auctor plurima ex probatiſſimis auctoribus collegit morborum hiſtoriam illuſtrantia et in concinnum lucidumque ordinem diſpoſuit, doctrinam de reſpirationis vitiis admodum prolixe expoſitam. Agitur primum de reſpirationis plenario defectu, reſpirationis diuiſione, variis difficilis reſpirationis ſpeciebus, dyſpnoea, orthopnoea, aſthmate, de differentiis inter aſthma et reſpirationis difficultatem, vbi ſimul modus, quo animalia ſpirant, exponitur.

Tranſitus ab his ad cauſas reſpirationis difficilis eſt, expoſitaque aëris in reſpiratione aut facili aut
p. 37. difficili reddenda potentia, de aſthmate conuulſiuo agitur. Modi, quo minerales vapores necant, vnde ſuffocatio in febribus acutis naſcatur, exponuntur. Aſthmatis autem conuulſiui cauſae illuſtrantur, animi motus, materiae morbidae retrogradae, frigus, ipecacuanhae radicis effluuia, rheumatica materies, arthritis, ſanguinis in pulmonibus decubitus.

p. 95. Aſthma flatulentum, ſpaſmodico-flatulentum, ſiccum, humidum pituitoſum, a coſtarum luxatione, ſterni depreſſione ab occultis in pectore vitiis, aneuriſmatibus, aquis, pure, nodis, tophis pulmonum, a puluere, ab aëre in pectore collecto, catarrhale, ſcorbuticum, venereum, paralyticum, a vitiis viſcerum abdominalium, gibbo, ſtruma pendens, caet. illuſtratur.

p. 241. De aqua ſuffocatorum mortis genere auctorum opiniones copioſiſſime illuſtrantur, ſimulque de mortis genere ſtrangulatorum, vel alio modo, partu v. g. ſuffocatorum, agitur.

p. 288. *Noua ſectio* morbos cum corporis contabeſcentia coniunctos comprehendit. De phthiſeos variis
p. 301. nominibus, diſcriminibus, caet. Contabeſcentiae corporis in tales diuiduntur, quae ab humorum nimia profuſione, ſeminis videlicet, ſanguinis, et in tales,

tales, quae a non ſufficiente humorum generatio-
ne producuntur. Simul vniuerſa doctrina de de-
glutitione impedita aut intercepta pertractatur.

Illuſtrata copioſiſſime phthiſeos pulmonalis hi- p. 413.
ſtoria, cauſae morbi exponuntur, lapides, oſſa, no-
di in pulmonibus, metallicolis, piſtoribus, moli-
toribus frugum prae aliis familiares, haemoptyſis,
catarrhi, pituita in pulmonibus debilitatis collecta,
pulmonum exulceratio, haemorrhagiarum ſueta-
rum interceptio, materiarum morbidarum ad pul-
mones translatio, ſcorbutus, vermes, vlcera he-
patis, abſceſſus occulti in viſceribus abdominalibus,
caet. Tandem de febribus lentis, hecticis et ner-
uoſis agitur.

Mucoſa profluuia ſexta ſectione comprehen- p. 566.
duntur. Gonorrhoeae variae diuiſiones et ab aliis
morbis differentiae illuſtrantur, poſteaque hiſtoria
gonorrhoeae exactiſſima et elaboratiſſima traditur.
Gonorrhoeam indolis venereae non eſſe ex Cl^{i}
TODE libro potiſſimum adſeritur, nouis tamen ar-
gumentis haec opinio non confirmatur.

De fluore albo, illiusque cauſis. Eam vtpluri- p. 638.
mum a ſanguinis verſus vterum congeſtione oriri,
ſubinde et a ſpaſmo et rigiditate arteriarum ſangui-
nem ad vterum vehentium. Fluxus albi periodi,
et magis minusue acris qualitas, nec non fluxus
albus a venerea labe pendens primitiuus, et con-
ſecutiuus illuſtrantur. Tandem de differentiis
inter haemorrhoides mucoſas et gonorrhoeam
agitur.

Tranſitus ad *catarrhos* eſt, quorum notio, ſym- p. 721.
ptomata, differentiae cauſaeque exponuntur. Eos
a materia pulmonum perſpirabili ob aëris vitioſam
qualitatem intercepta Noſter deriuat. Pertractan-
tur et aliae catarrhorum origines ex primis viis,
caet. Epidemicus catarrhus anni 1782 deſcribitur,

et

et catarrhi, coryza et tuſſes in ſuas claſſes diuiduntur.

p. 765. Tuſſi conuulſiuae contagioſa indoles tribuitur adhuc dubia. Cauſam illius in primis viis latere, et pulmones ea per conſenſum tantum affici probatur.

Index in tres operis continuati partes copioſiſſimus adiectus eſt.

XII.

Herrn ALBRECHTS VON HALLER *Beyträge zur Beförderung der Geſchichte und Heilung der Krankheiten. Aus deſſen Sammlung praktiſcher Streitſchriften in einen vollſtändigen Auszug gebracht und mit Anmerkungen verſehen von Dr.* LORENZ CRELL. *Fünfter Band. Berlin und Stettin* 1784. *in* 8. 520 *pagg.*

i. e.

ALBR. VON HALLER diſſertationes ad morborum curationem facientes in epitomen redactae.

Quali et quam praeclara opera Cl. CRELLIUS in epitomandis HALLERI diſputationibus vſus ſit, omnibus notum eſt. Indubitata itaque operis inſigni vtilitate, quae in quinto hoc volumine contineantur breuiter indicare ſufficiet.

Continet autem hoc volumen diſſertationes ad ſeptimum vsque volumen collectionis Hallerianae excerptas. SEGUER ſchediaſma monitorium de iuſculo pulli lienteriae ſpecifico, SMITH de colica apud incolas Caribienſes endemia. BÜCHNER de ſcirrho meſenterii exulcerato, VATER de calculi in veſica fellea generatione, ANT. DE HAEN hiſt. anatomico-medic. morbi miri incurabilis, DELII diſſ.

hydrops

hydrops aſcites, inprimis paracenteſi feliciter curatus. BARBECK de corde occulto indeque hydrope aſcite conſequente. BRUNNER de tunica villoſa. DE BUCHWALD de diabetes curatione, inprimis per rhabarbarum. DETHARDING de haemorrhoidibus veſicae mucoſis. BERGER de vſu venaeſectionis et clyſterum in curatione variolarum. DETHARDING de facie a variolarum inſultibus praeſeruanda. CLIFTON de diſtinctis et confluentibus variolis. BORRETII obſeruat. de famoſa Anglorum variolas per inoculationem excitandi methodo. FREWEN de inſitione variolarum. ABR. VATER de antidoto noua aduerſus viperarum morſum praeſentiſſima in Anglia haud ita pridem detecta. BERTIN an ſpecificum viperae morſus antidotum alcali volatile? SCHULZE corporis humani momentanearum alterationum ſpecimina earumque cauſae. LANGHANS de conſenſu partium. SCHMIEDER de polypo oeſophagi rariſſimo a pulueris ſternutatorii Hiſpanici abuſu progenito. ZIESNER de raro oeſophagi morbo. ADAMI de materia calcarea poſt diuturnam arthritidem per vrinarias educta. GLOBBI hiſtoria et cura epidemicae febris, quae anno 1752 Tergeſtes incolas vexauit. SEELMATTER morbi circa Tobiuium familiares cum caſibus nonnullis et obſeruationibus rarioribus. HARMENS medicina Lapponum. ROSEN medicina Lapponum Lulenſium. FÜRSTENAU ſpecilegium obſeruationum de Indorum morbis et medicina. DE BUCHWALD obſeruationum quadriga.

XIII.

Dr. M. I. MARX, *Churfürſtl. Kölniſchen Hofmedicus, Abhandlung von der Schwind-Lungenſucht und den Mitteln wider dieſelbe. Eine von der Kö-*

niglichen Societät der Aerzte zu Paris mit Beyfall aufgenommene Schrift. Hannover, bey Schmidt 1784. *in* 8. 239. *pagg.*

i. e.

M. I. MARX, M. D. tractatio de phthiſi pulmonali a Regia medicorum Societate Pariſina probata.

Propoſuerat Societas medicorum Pariſina quaeſtionem: quaenam ſigna ſint ad phthiſin pulmonalem diſponentia, et qua ratione hic morbus optime aut praeueniri, aut arceri queat. In pluribus ſcriptis ad ſocietatem miſſis hic liber, vt iam ex publicis diariis notum eſt, a ſocietate prae aliis probatus eſt.

Pulmonalis phthiſis Noſtro eſt corporis extenuatio a pulmonum exulceratione producta. Differentiam phthiſeos vere vlceroſae a pituitoſa Cl. vir in eo ponit, quod in pituitoſa phthiſi morbi ſedes in glandulis bronchialibus ſit, et pulmones muco in iis accumulato tantum in peragendis ſuis functionibus impediantur. Canem vidit auctor deglutitis copioſe phthiſicorum ex pituitoſa phthiſi ſputis admodum pinguem redditum. — Vidit et in anatome viri pro phthiſico habiti omnia thoracis viſcera perfecte ſana, maſſam autem in abdomine
p. 13. carnoſam praeternaturalem, inteſtina et renes comprimentem. Plerumque in phthiſi pulmonali pulmones exulcerati ſunt; vidit Cl. vir pulmones in cadauere aliquando tam vehementer exulceratos, vt ne minima quidem pulmonum pars integra eſſet. Pulmones tamen ſubinde et in phthiſicis integri inueniuntur, copioſo licet pure excreto, cuius rei ſingularia quaedam exempla commemorantur. Periodice recurrens phthiſis a pure per vomicas

trans-

tranſſudante et in ſanguinem reſorpto pendet. Sequitur phthiſeos vlceroſae hecticaeque febris hiſtoria.

Altera ſectione *de phthiſeos pulmonalis cauſis* agitur. Vera ad pulmonalem phthiſin diſpoſitio conſtat 1) in propenſione ad haemoptyſin, 2) ad nodorum in pulmonibus generationem, 3) ad catarrhos. In his phthiſeos cauſis Cl. vir inprimis verſatur, aliis tamen non penitus ſaltim omiſſis. p. 37.

In haemoptyſeos cognitione diligenter reſpiciendum eſt, num ſanguis ex dilatato in faucibus vaſe proueniat. Princeps illius cauſa ſanguinis ad pectus congeſtio eſt, ſanguisque non ex vltimis ſolum arteriolarum pulmonalium finibus, ſed etiam per anaſtomoſin ex lymphaticis pulmonum vaſis nimis dilatatis euacuatur. In his, qui multum ſanguinis generant et fibram debilem habent, maxima ad haemorrhagias, adeoque et ad pulmonum haemorrhagiam propenſio eſt. Sanguinem autem ad pulmones inprimis determinant extremorum frigus, neruoſi in abdomine affectus, animi pathemata, ſpirituoſi potus, aetas iuuenilis et incipiens virilis. — (Aliae frequentiſſimae cauſae omiſſae ſunt.) Dyſpnoea et preſſionis in pectore poſt haemoptyſin ſenſus malum. Haec ex ſanguine in pulmonibus collecto extrauaſato deriuantur. p. 47.

Nodi pulmonum phthiſeos non inſolita cauſa ſunt, pultacei, ſcirrhoſi, lapidei, calcarei. Tales in glandulis bronchialibus Noſter inprimis inuenit. Oriuntur ex peculiari corporis ſtructura et haereditaria diſpoſitione. Cauſae ſunt lymphae tenacitas, a motu corporis deficiente, animi moerore, ciborum inſpiſſantium et potuum frigidorum vſu, frigore, caet. inducta. Oriuntur et in feminis, quibus menſes male fluunt, ſcrophuloſa acrimonia laboranti- p. 58

 bus,

bus, aut alia. Scirrhi pulmonum vtplurimum poſt inflammationes oriuntur.

p. 73. *Nodoſae phthiſeos* periodi tres ſtatuuntur, prima, tuſſicula tantum a nodis producta, ſine ſputis, altera, vbi hi nodi inflammati ſunt, tertia vero, vbi haec inflammatio in ſuppurationem transiit.

p. 80. *Catarrhi* frequentiſſimum pulmonum morbum conſtituunt. Herpes in manu retropulſus lethalem paene catarrhum pulmonum induxit. Pectoris in catarrho dolor certum glandularum pulmonalium inflammationis indicium eſt, quae facile in ſuppurationem terminatur.

p. 94. *De haemoptyſi auertenda.* Vita moderata iuuenibus maxime commendatur. Omnia, quae corpus vllo modo exagitant, vitanda ſunt. Si ſanguis magna vi in pulmones congeritur, pectus frigida, pedes autem calida aqua fouere expedit. Noxae thoracum exponuntur. Noxium etiam eſt, tempeſtate auſtera exſiſtente, pectus nudum habere.

p. 120. Curatio haemoptyſeos ſumme antiphlogiſtica ſit oportet, diaeta inprimis maxime tenuis. Vitrioli acidum omnes paene ad haemoptyſin cohibendam proprietates habet, inprimis mucilaginoſis medicinis coniunctum. Ad tuſſim, haemoptyſi fauentem, ſedandam narcotica adhibentur. Plethora imminuta, pectoris oppreſſione et febre abſentibus, cortex Peruuianus cum medicinis pectoralibus commendatur. Cortex nimis mature datus, phthiſeos originibus maxime fauet. — Ad nouos inſultus praecauendos diaeta parum nutriens, maxime vegetabilis, cortex Peruuianus, aqua Selterana cum lacte commendantur.

p. 130. Alia autem et haemoptyſeos ſpecies eſt a putrida, ſcorbutica ſanguinis diſſolutione oriunda, quam inſignis virium languor, pruritus ſub cute, maculae ſcorbuticae, anima foetida, pectoris oppreſſio

preſſio, anguſtia, cum genarum rubore et tuſſicula ſicca praecedunt. — Haec conſtitutio animo depreſſis inprimis frequens eſt. Medicina ad eam efficaciſſima vitriolum coeruleum eſt, cuius grana X. cum duabus aquae libris ſoluuntur, parciſſimaque doſi iteratis vicibus ſumuntur.

Haemoptyſin praepropere ſuppreſſam ſumma anxietas ſequitur venaeſectione debellanda.

Diſtinguit Noſter exacte inter *actiuam* et *paſſiuam* haemoptyſin. Illa tuſſicula parua, breui, titillante, notisque plethorae, haec vero, in qua vas ſanguiferum pulmonum ſciſſum eſt, ex vehementi tuſſi, haemorrhagiae copia, caet. cognoſcitur. p. 137.

Quomodo pulmones a nodis praeſeruandi ſint, p. 140. ipſique nodi curandi. Glandium quernarum toſtarum vim ad atrophiam infantum Cl. vir ſaepius expertus fuerat, hinc easdem et ad nodos pulmonum adhibuit. Valent et ad hos nodos taraxaci et radicum graminis ſuccus, Selterana aqua, terra foliata tartari, caet.

Catarrhi optime praecauentur, ſi a prima iuuentute corpus ita diſponitur, vt omni anni tempore vna eademque veſtimenta ferat, calorque artificialis conclauium nunquam valde intenditur. Ad catarrhos curandos antiphlogiſtica methodus, venaeſectio, caet. valet, methodus tamen, corpore relaxato valde exſiſtente, paulum calida neceſſaria eſt. Diſpoſitio ad catarrhos optime tollitur pectore frequenter frigida loto. — In opio caute et debite adhibito ad haemoptyſin et phthiſin auertendam vis ſumma latet. Id Noſter in tuſſi diuturna, ſicca, praemiſſis euacuantibus, venaeſectione, quotidie ad dimidium granum adhibet. — Veſicatoria ſopito aeſtu febrili adhibenda ſunt. (Alii tamen ad catarrhalem acrimoniam ad ignobiliores partes deriuandam ſtatim in initio veſicatoria bra-

 chiis

chiis imponunt. LENTINUS hanc methodum vehementer laudat.) Sale ammoniaco cum nitro Noſter in catarrho, vt in omnibus pectoris morbis cum inflammatione, vtitur, eiusque vſum vehementer commendat. Diſcuſſa inflammatione, ſalem ammoniacum cum cortice exhibet. Cortex vero, diſpoſitione ad inflammationem praeſente, non dandus eſt. Glandularum bronchialium infarctus ex catarrho reſiduos reſoluentes medicinae leuant. Subinde et *Mindereri* ſpiritus mire ad eos valet.

p. 177. In *chronica viſcoſa tuſſi* rubiae tinctorum radix praeſtantiſſima eſt. Multum etiam praeſidii in quernis glandibus latet.

p. 184. *De febre inflammatoria eamque excipiente ſuppuratione, ſeu phthiſi pulmonali proprie ſic dicta.* Ad intercipiendum morbi in ſuppurationem tranſitum venaeſectio maxime valet ſciteque inſtituta febris medela. Multa etiam camphora cum ſale ammoniaco et nitro efficit. — Setacea in pulmonum ſuppuratione maxime commendantur.

p. 193. Pure in pectoris cauitate effuſo, pectoris paracenteſis inſtituenda eſt. Vt pus in vomicis collectum euacuetur, ſueta conſilia proponuntur.

Diaeta phthiſicis talis commendanda eſt, quae puris acredinem obtundit, putredini reſiſtit, vlcera purgat, ſanat, febrim debilitat, et contabeſcentiae obſtat. Lac. Illi ſubinde aquam calcis adiungit. Fructus horaei valde laudantur; cucumerum autem
p. 201. ſuccus cum ſaccharo efficaciſſima medicina eſt, „*qua* „perfectas iam *phthiſes cum ſputis purulentis, lenta* „*febre et nocturnis ſudoribus* Noſter *ſanauit.*"

Relaxatis valde pulmonibus, ſuffimigia ex reſinis morbum leuarunt. Fixus aër inſpiratus nil praeſtitit. Equitatio, viribus aegri ſufficientibus, bona eſt, et ſuecuſſans. — Vires corticis Peruuiani et lichenis Islandici vſus ſuſtentat. Polygalae amarae

rae radix ſputa copioſiora reddidit, morbum vero non leuauit. Tuſſim opium cohibet, febrem vero vitrioli ſpiritus dilutus. — Balſamicae medicinae febrem, tuſſim, omnia augent.

De his, quae ſanationi phthiſeos pulmonalis p. 221. maxime obſunt, poſtremo agitur. Animi pathemata ſunt, exceſſus in diaeta, ſaltatio, medicamentorum incongruus vſus, vapores, pulueres varii, qui in aërem eleuantur, dum plurimi opifices labores ſuos peragunt et ab iis inhalantur, caet.

XIV.

IOHANN HUNCZOVSKY *mediciniſch chirurgiſche Beobachtungen auf ſeinen Reiſen durch England und Frankreich, beſonders über die Spitäler. Wien, bey Gräffer,* 1783. *in* 8. 325 *pag. praef. pag.* 54.

i. e.

Obſeruationes medico-chirurgicae, inprimis de noſocomiis, in itineribus per Angliam et Galliam collectae a IO. HUNCZOVSKY.

Iter ſuum Cl. Auctor Caeſaris iuſſu, vt in Chirurgia proficeret, inſtituit, Pariſiisque per duos annos commoratus eſt. Eo tempore celebratiſſima illa lis a regia chirurgiae academia inprimis agitata eſt, num ſymphyſeos oſſium pubis ſectio ad partum faciliorem reddendum aliquid conferat. Succeſſus huius operationis in Gallia, vt iam notum eſt, paene ſemper infelix, longe felicior autem caeſareae ſectionis ſucceſſus fuit. — De electricitatis contra varios morbos vi. In tumoribus albis articulorum inprimis a BIRCHIO feliciter adhibita eſt, et in menſtruo fluxu reſtituendo tam feliciter ſucceſſit, vt conceptam ſpem nunquam falleret.

Variae etiam de electricitatis effectibus in variis tumoribus, paralyſi, caet. obſeruationes in Gallia et Anglia inſtitutae recenſentur.

Introduct. p. 45. De medendi venereis morbis methodo in Gallia et Anglia adhiberi ſolita. A mercurio ſublimato corroſiuo, ſimplici gonorrhoea laborantibus dato, teſticulorum indurationem ſubinde induci. Venereos morbos in Anglia longe vehementiores magisque, quam in Gallia, rebelles eſſe.

Scrofulae in Gallia et Anglia frequentiſſimum morbum efficiunt, et in albos articulorum infernorum tumores ſaepiſſime degenerant. Radicis ireos noſtratis ſuccus tumoribus ſcrofuloſis illitus vtilis ſubinde ad hunc morbum fuit; plurima autem aquae et ſalis marini vſus praeſtitit.

In ipſo opere noſocomium Sti Bartholomaei Londinenſe primum deſcribitur. In hoc noſocomio, quod omnibus aliis palmam eripit, POTTIUS chirurgiam inprimis ocularìam exercet, nec vllo modo eo adduci poteſt, vt extractionem cataractae depreſſioni praeferat. Calculus in hoc noſocomio methodo a Cl° HAWKINS excogitata ſecatur. Articuli frequenter ibi, ob albos, quibus occupantur, tumores, praeciduntur. Hos tumores ſcrophuloſa in corpore oberrans materies producit, nec vllo modo, articulorum praeciſione excepta, ſanari poſſunt, quum reſorpta ex iis materies ſemper lentam febriculam mortemque excitet. (Bataui tamen medici colophonium cum fructu aliique cantharidum tincturam adhibuerunt.) Paralyſeos ex vertebrarum ſpinalium luxatione ortae curationes plures a POTTIO ſuſceptas vidit, illiusque per vlcera artificialia curatio paene ſemper ſucceſſit. Sic et ipſe opium cum inſigni ſucceſſu contra digitorum, pedum gangraenam adhiberi vidit, medicina tamen non ſemper ex voto ſucceſſit, inprimis in Gallia,

vbi

vbi autem haec medicina ſine omni diſcrimine ad omnes gangraenae ſpecies adhibita eſt. Venerea lue correpti omnes externo argenti viui vſu ſanantur.

Thebaicae tincturae externus vſus ad oculorum inflammationem diuturnam praeclare valet. — Mercurii dulcis methodo CLARII adminiſtrati effectus ſalutares multis in caſibus fuere. p. 41.

Noſocomiorum nauticorum Portsmouthenſium hiſtoria ſequitur. Morbi in iis ſolitiſſimi febris nautica, ſcorbutus, variolae, dyſenteria, phthiſis, venerea lues, caet. ſunt. Omnes febribus correpti vno eodemque modo, emeticis, purgantibus, cortice Peruuiano, tractantur. p. 49.

In articulis praecidendis Alanſoniana methodo in his noſodochiis vtuntur.

De noſocomiis Pariſinis. Antiquiſſimum omnium ſimulque celebratiſſimum *l'Hotel-Dieu* eſt. Peſſimus mos eſt, quod in eo plures aegri in vno eodemque lectulo decumbunt. Saepe in vno lecto quatuor aut quinque aegri decumbunt, saepiusque in vno eodemque lecto mortuum cadauer, agonizantes et conualeſcentes reperiuntur. Quum et in his, qui febribus detinentur, idem mos inualuerit, putridum inprimis contagium in vel leniter febricitantes hac arcta nimis vicinitate propagatur, hocque modo mortes in hoc noſocomio vehementer cumulantur. Nullus etiam aut malus ordo in cibis ſeruatur. Et in hoc noſocomio tumorum frigidorum in articulis inciſio ſemper lethalis fuit. In hoc noſocomio pars quinta aut ſexta aegrorum moritur, quum in Anglicis noſocomiis tantum eorum pars decima tertia ſuccumbat.

De noſocomiis bene inſtituendis regulae plurimae ex Cl° LE ROY traduntur. In caritatis hoſpitio Pariſino aegrorum magna pariter copia moritur, p. 94.

tur, plurimique, ob venaeſectiones iteratiſſimas inconſideratasque, lente conualeſcunt. In eodem noſocomio Pariſino omnes fiſtulae ligatura ſanantur; verum et in hac curatione tam inconſiderate agitur, vt non rarum ſit, tali morbo correptos gangraena oborta necari. Plurimi aegri vulneribus aut aliis morbis externis laborantes eam ob cauſam in hoc noſocomio difficulter ſanantur, quod locus, in quo putridis morbis affecti decumbunt, iis nimis vicinus ſit.

p. 133. In quibusdam noſocomiis Pariſinis trochiſci Keyſeriani ad venereos morbos adhibentur, iisque, prae mercurio ſublimato, haec vis adſcribitur, vt venereum miaſma efficaci modo deleant, ſimulque deleterios mercurii ſublimati effectus haud edant. Venereos bubones Noſter hoc modo optime ſanauit, vt primum repellentia diſcutientiaque, poſtea vero maturantia epithemata iis imponeret.

p. 159. In Rhotomagienſi magno noſocomio inſtructiſſimo pectoris acuti morbi, febres putridae malignae, diarrhoeae et febres intermittentes tertianae et quartanae frequentiſſimae ſunt. Febres in hoc noſocomio paene omnes cortice Peruuiano ſanantur. In aliis autem medendi modis medici, qui huic noſocomio praeſunt, mire, et ita variant, vt medicamentum alter imperet, alter vero, ceu ſumme noxium, repudiet. Vulnera globis ſclopetariis facta in hoc noſocomio primum venaeſectione, poſtea vero fotibus aromaticis, diſcutientibus cum ſucceſſu ſanantur.

p. 200. In milite nautico hypochondriaco, qui dira cardialgia vomituque emaciatus demum animam efflauerat, FOURNIER, V. Cl. ſitum ventriculi penitus praeternaturalem, in eoque peregrina corpora plurima, ingentis magnitudinis, ex ligno, ferro, aliis metallis, vitro, corio, caet. inuenit. De morbis externis

externis artificio quodam nefario inductis varia. Miles, cui calculus iam ante aliquot annos exciſus erat, calculi ſectionem denuo ſuſtinuit, lapide manu per vrethram in veſicam vrinariam intruſo. Alius humerum ita ligauerat, vt ingens tumor et gangraenae metus ſubſequerentur.

Mercurii ſublimati vſus in Gallicis noſocomiis plurimis phthiſin pulmonalem induxit. (Nos, quum nuper, neceſſitate coacti, iuueni cuidam, venereo morbo laboranti, cui inſignis in pulmonum diuturnos morbos phthiſinque propenſio erat, ſublimatum mercurium cum panis mica in pilulas redactum praeſcriberemus, pulmonum labem ab eo exacerbari non vidimus.)

Ex leuiſſima punctura digiti, acus ſutoriae ope, p. 257.
et ex alio leuiſſimo digiti vulnere in duobus robuſtis hominibus diriſſima ſymptomata, gangraena, mors, oborta ſunt. De noxis ex linteo carpto corrupto vulneribus indito.

Aegrorum commodis omni paene modo aptatum inſtructiſſimumque noſocomium Montispelienſe *St. Eloi* eſt. Regimen et curatio venereis morbis correptorum in hoc noſocomio vſitata deſcribitur.

Appendicis loco a Cl. Auctore tractatio *de li-* p. 297.
thotomia annexa eſt, in qua noxae ex calculi nimis accelerata extractione oriundae traduntur. Methodum Virorum Clariſſ. MAREF et LOUIS, qua altero die inciſio, poſtea vero, peractis diebus aliquot, extractio calculi peragitur, maximis extollit laudibus; nullam tamen propriam obſeruationem huius methodi, cuius noxas SCHMUCKERUS, *V. Ill.* praeclare tradidit (*vermiſchte chirurgiſche Schriften, Band III. pag.* 44 *ſeqq.*) vtilitatem probantes adfert.

Caeterum liber bene conſcriptus lectuque dignus et eam ob cauſam eſt, vt Germani medici et

chirurgi

chirurgi ex eo diſcant, quanti ſaepe quamque graues errores in medendo in noſocomiis Gallorum et Anglorum in exteris terris celebratiſſimis committantur, quantaque fides obſeruationibus in his noſocomiis inſtitutis et in publicam lucem editis habenda ſit.

XV.

CAROLI DE MERTENS obſeruationes medicae. Tomus II. Vindobonae, typis Wappler. 1784. in 8. 175 pagg. cum icone auctoris a Mansfeldio ſculpta.

Ante aliquot annos primam harum obſeruationum partem, de peſte inprimis obſeruationes vtiliſſimas continentem, doctiſſimus Auctor edidit. Hoc altero tomo epidemici Vindobonenſes ab anno 1762 et diuturni quidam morbi pertractantur, ita vt hoc modo liber in tres partes diuidatur, quarum prima epidemicos, altera acutos frequenter incidentes epidemicos, tertia diuturnos morbos continet.

p. 1. *Catarrhalis epidemiae Vindobonenſis* 1762 hiſtoria primum exhibetur. Vere tuſſis epidemica, ſubinde cum febre graſſata eſt, vt inter centum homines vix decem liberi eſſent. Morbus inflammatorius fuit. Plethorici fortesque cito ſanati ſunt, in debilioribus vero febris lenta ſaepe remanſit. Aſthmaticis et ſenibus morbus exitioſus fuit. Aluus poſt venaeſectionem mota cum aegrorum euphoria eſt. Recidiuas roborantia et aluum ſimul laxantia praecauerunt.

p. 9. *Dyſenteria anno* 1763 *Viennae graſſans.* Iulio, tempeſtate calidiſſima exſiſtente, dyſenteria vehementer graſſata eſt cum bilis in primis viis ſignis. Febris

Febris in quibusdam quotidiana, in aliis hemitritaea. Morbum ver maturius calidum, poſtea imbroſum frigidumque, et aeſtatis ſummus poſtea aeſtus induxit. Dolens in dyſentericis ad tactum abdomen venaeſectionem neceſſariam indicat. Caeterum vomitoria, purgantia data ſunt. Lubricans medicina ex cera et ſapone cum aqua ſolutis valde commendatur (ſed ſapo certe putredinem auget, nec acrimonia caret.)

Conſtitutio epidemica annorum 1774-1783. Febris rheumatica inflammatoria morbus ſtationarius fuit. Tales pleuritides et peripneumoniae inprimis frequentiſſimae. Repetita venaeſectio ſaepius, emollientia, antiphlogiſtica morbum ſanarunt. Morbum ad criſin, praemiſſa venaeſectione et phlogoſi temperata, veſicatoria dolenti loca impoſita perducunt. In interna poſt hunc morbum ſuppuratione decoctum corticis Peruuiani cum ſummitatibus millefolii et lacte bonos effectus praeſtitit. — Tuſſiculam morbo ſuperato reſiduam rebellem maſſa pilularum de ſtyrace veſperi data debellat. p. 17.

Hiſtoria febris catarrhalis 1782 *ſeu influenzae.* Catarrhalem naturam maxime morbus habuit, bilis ſignis parum conſpicuis. Propria illius ſigna fuerunt aggreſſio ſubitanea et tantus primis diebus membrorum dolor, tantaque dein laſſitudo per plures dies permanens, qualia in morbis huius generis nunquam obſeruantur. p. 40.

Febris arthritica hyemis anni 1782-1783. Opiata nocturno tempore data ſtuporem maxime ingratum produxerunt. Efficaciſſimae alias medicinae nil valuerunt. Tandem artificiales thermas cum hepate ſulphuris et aqua praeparatas doctiſſimus Auctor adhibuit, morbo leuamen maximum afferentes. p. 51.

p. 56. Altera operis parte *de variolis naturalibus* et inſititiis agitur. Theoriam de variolarum miaſmate efficaci modo ad cutem propellendo plures necaſſe, quam pyrius puluis. Praeparatio ad variolas inſerendas nulla neceſſaria; vitandum tantum, quantum fieri poteſt, dentitionis tempus in infantibus eſt. — Omnium primus Noſter in Ruſſia variolas inſeruit. — In praxi XXV annorum Cl. vir neminem vnquam vidit bis variolis veris laborantem. Naturales variolas Cl. vir eodem modo curare ſuadet, quam artificiales. Summo febris aeſtu durante aegrum e lecto ſurgere et in libero aëre eſſe iubet. Putridis variolis et confluentibus exſiſtentibus omnem ſpem in acidis et cortice Peruuiano ponit. Poſt decimum morbi diem aluus laxa ſeruatur.

p. 84. *De lue venerea.* Saliuationis mercurialis incommoda fuſe docteque Cl. vir explicat. „Vidi, inquit „p. 91, noſocomia, priuatas aedes vidi, vbi homi„nes per ſex ſeptimanas in atmoſphaera calida, pu„trida, non renouata, capite tumente ore vlcera„to foetidiſſimam cloacam referente, iacentes in „lecto atrociſſima potius ſcelera expiare, quam „morbo curari, videbantur.“ Robuſtiores hac cura ſanantur; amiſſis plerumque dentibus, debiliores maraſmo et febre lente pereunt. Et tamen morbus non integre hac methodo debellatur, ſed mitior tantum redditur.

p. 93. Sublimatum mercurium cum vini ſpiritu ſolutum Siberiae incolae iam dudum ad luem veneream adhibuerunt, vt Ill[i] quondam SANCHEZ relatum eſt, qui hanc methodum cum SWIETENIO communicauit. Sed et haec medicina non tuta ſemper, ſed intolerabilis pluribus eſt, qui neruos irritabiles habent. Nec confirmatam luem, ad oſſa vsque penetrantem, ſemper curat. Suffimigia mercurialia ab expertis merito reiecta ſunt. A pilulis

Hofman-

Hofmannianis „*tanta vidit ventriculi et inteſtino-* p. 100.
„*rum tormina, tot hypercatharſes, vt omnes medi-*
„*cos obſecret ipſarum vſum, ceu periculoſiſſimum, re-*
„*iicere.*“ (Nos ab harum pilularum vſu, quas frequenter exhibere, et debilibus ſubinde conſueuimus, talia, quod fide teſtamur, *nunquam* obſeruauimus. Cardialgiae ab iis obortae teſtantur, eas nimia copia ſumtas eſſe. Hae pilulae *prudenter a prudenti medico* datae potentiſſima medicina certe ſunt, eas tamen omnes morbos venereos non curare non nego; nam et ipſe venerea lue affectos vidi, in quibus hae pilulae ad morbum minuendum nihil penitus conferebant: ſed hi caſus rari ſunt, forſan idioſyncraſiae adſcribendi. Forte et gradus, aut modificatio veneni venerei datur, ad quam haec mercurialis medicina non valet. Sed haec alio loco vberius diſcutienda ſunt.) Methodus Cl. viri, quam tutiſſimam vocat et experientia XXIV annorum in maximo aegrorum numero confirmatam, haec eſt: Plethora praeſente ante mercurii vſum venam ſecari, ſaburra praeſente aluum duci curat. Sarſaparillae decoctum bibitur. Alterno quoque die vnguenti mercurialis drachmae duae inunguntur. Viginti quatuor vel triginta frictiones confirmatiſſimam luem eradicant. Sub octauam vel decimam frictionem ſymptomata mitiora fiunt. Saliuae profuſio aqua laxatiua Viennenſi cohibetur. Vnguentum mercuriale autem ſic paratur: Mercurii pars vna, axungiae autem duae miſcentur, per LXXX horas in mortario marmoreo teruntur et vſui ſeruantur. Si vnguentum diu ſeruari debet, butyrum cacao axungiae additur. Ill. SANCHEZ huic vnguento camphoram admiſcuit. Ptyaliſmum rariſſime excitat, ratio autem huius phaenomeni in globulis mercurialibus latet diutur-

na trituratione ita diuiſis, vt minima vaſa facilius permeare poſſint.

p. 116. Gonorrhoeae primum ſtadium antiphlogiſticis curandum eſt. Flaccidiore vrethra reddita, pilulas mercuriales Noſter aegris ex mercurio crudo cum gummi Arabico exhibet. In ophthalmia a gonorrhoea medicus operam perdit mercurialibus non adhibitis (quod et nos vidimus). Gonorrhoeae inoculatione quadam inductae hiſtoria.

p. 126. *Scorbutus* terrae marisque vnum idemque morbi genus conſtituit, et a victu ſalſo, ſeptico naſcitur; interpoſitis itaque alimentis naturae antiſepticae curandus eſt. Talem vim in braſſica fermentata latere Noſter iam dudum putauit, et opinionem ſuam ante XVII annos cum officialibus legati Vice-comitis *de* STORMONT, LANGLOIS et PRESTON communicauit. Ante aliquot annos laetus inuenit, *inuentum hoc vere ſuum*, vt in praefatione vberius probat, exoptatiſſimos in maxime diuturnis itineribus naualibus ſucceſſus habuiſſe. Scorbutus in Ruſſia frequentiſſimus eſt; cauſa in quotidiano fere piſcium carniumque ſalitarum, ſpiritus frumenti vſu, ſordido vitae genere, caet. latet. Maxime ab hoc morbo plebeios defendit braſſica fermentata. In orphanotrophio Moſcuenſi, cui Noſter praefuit, ſcorbutus frequentiſſimus peſſimus, vegetabilibus, inprimis braſſica fermentata, curatus eſt. Olera autem aegris cruda manducanda dedit, rapas, napos, daucos, poma. Inde ſymptomata inſigni modo leuata ſunt. Commendat et itinera naualia diuturna ſuſcipientibus Cl. Auctor tales radices oleraceas recentes. Maxime et rapa fermentata ad ſcorbutum valeret.

p. 143. *Quarta pars varia* continet. *Hemiplegiae electricitate curatae hiſtoria.* Plethora adfuit, eaque diſſipata electricitas demum profuit.

Incipiens

Incipiens amauroſis oculi dextri a tumore glanduloſo colli. Poſt febrem catarrhalem inflammatoriam morbus natus erat. Glandula thyroidea dextra tumens quaſi appendice adeo protendebatur, vt venae iugulari incumberet. Spongiae vſtae vſu glandularum tumores reſoluti ſimulque amauroſis ſanata eſt. p. 146.

Tetanus extremitatum inferiorum cum ſubſequente paralyſi. Sine omni cauſa manifeſta dolores in infernis articulis in viro XXX annorum nati ſunt. Poſtea tetanus harum partium atrociſſimus, dolorque intenſiſſimus. Antiphlogiſtica, paregorica adhibita ſunt, ſed incaſſum. Tandem paralyſis nata dolores ſedauit, hicque morbus debitis medicinis, reſtitutis inprimis haemorrhoidibus, excuſſus eſt. p. 150.

Angina paralytica. Talis angina Noſtro eſt, „quando nerui motores muſculorum deglutitioni „inſeruientium impediuntur agere, turbatur vna „vel plures ex actionibus, quae ad hanc functionem „requiruntur, ſicque fit angina paralytica vocan„da.“ (Non angina, ſed deglutitio difficilis eſt.) Morbum noſter gargariſmatibus ex plumbo copioſis tribuit. Electricitatem ſuaſit, quum ea in morbis a plumbo inductis ſummos effectus exſerat. p. 164.

XVI.

Entwurf einer medicina ruralis. Koenigsberg 1784. *in* 8. 102 *pagg.*

i. e.

Medicinae ruralis rudimenta.

Librum hunc in academicarum praelectionum vſum conſcripſit Cl. Auctor (METZGERUS). Quum enim ruricolarum vita maxime periclitetur, tonſoribus, agyrtis, caet. ſanitatis morborumque eorum curam maxime gerentibus, nec facile fiat,

 vt

vt ruſtici medicum adeant, hoc libro et his, qui medicinam non profitentur, theologis, aliisque prima practicae popularis medicinae rudimenta tradere adniſus eſt, non quidem vt medicos probe doctos ex iis formaret, ſed vt hoc tantum efficeret, ne nocerent, dum prodeſſe vellent. Adiectae et ſunt, quod ſatis laudare non poſſumus, mulomedicinae prima rudimenta.

Praemiſſis generalioribus quibusdam, regulisque de aëre, aquis et locis explorandis, ſex res non naturales, ceu morborum cauſae, pertractantur, in eaque tractatione ſimul diaeteticae ruralis
p. 28. prima rudimenta exponuntur. Ab his ad morbos tranſitus eſt, primum infantiles, *variolas*. Inſitionem earum pro non ab omni periculo experte Cl. vir habet, hinc, ne paſtores eam nimis commendent, ſuadet. Ad rachitidem cibi lenes, parci, millepedum ſuccus et frigida balnea commendantur, omiſſis aliis efficaciſſimis et cognitu neceſſariis medicinis, ſale, alcalinis, caet.

De febribus intermittentibus, ad quas, quod valde probamus, Peruuianus cortex, iterato prius purgantium vſu, commendatur, et acutis continentibus. Methodus medendi antiphlogiſtica ſuccincte tradita eſt. Angina (morbus ruricolis in Saxonia valde frequens et maxime lethalis) et pleuritis ſpeciatim pertractantur. Inflammatorios morbos excipiunt apoplexia, febres putridae continentes, biliofae acutae, dyſenteria, ſcorbutus, rheumatiſmus.

In externis morbis inflammationes, ambuſtiones a calore et frigore, ſuffocationes a carbonum vapore et potibus fermentantibus, ſuffocationes in aqua, vulnera, ſugillationes, morbi ex venenis aſſumtis, lipothymiae, canina rabies pertractan-

tur.

tur. Ad caninam rabiem mercurii internus vſus maxime laudatur. De parturientibus.

Altera ſectione medicinae veterinariae rudimenta traduntur. Inſitionis in boum lue ſucceſſus ambiguus fuit, ita, vt aliis cautelis contagium arcere praeſtet. Cruentus boum mictus quiete et potu mucilaginoſo curatur. p. 82.

De gangraenoſo epidemico boum et equorum morbo. Acida interne laudantur. p. 91.

Additae ſunt medicamentorum formulae. Liber penitus nobis placuit, ſed formularum pars non aeque. Arnicae flores promiſcue cum ſambuci floribus ad infuſum theiforme ſudoriferum commendantur. In mixtura refrigerante n. 8 pag. 99. *antimonium diaphoreticum*, *nitrum et vitrioli ſpiritus* mixta ſunt. (Quid aget talis mixtio? Si et, recentioribus obſeruationibus probantibus, antimonium diaphoreticum a vitrioli acido intactum manet, quid aget haec omni modo indiſſolubilis calx? Quid agent acida duo potentiſſima mineralia, in ſe agentia, combinata? Dolendum ſummopere eſt, medicos germanos et doctiſſimos rerum, quae ad ſcientiam de formulis medicis praeſcribendis pertinent, tam exiguam curam habere.)

Caeterum liber, hac macula excepta, fini propoſito, praelectionibus nempe academicis, bene reſpondet, paucisque pagellis multa bona efficaciaque praecepta continet.

XVII.

JOSEPHI IAC. PLENCK bromatologia, ſeu doctrina de eſculentis et potulentis. Viennae 1784. in 8. 428 pag. cum icone IO. ALEX. BRAMBILLAE.

Librum Cl. Auctor praelectionibus academicis accommodauit, eam diaetetices partem continentem, quae de alimentis agit.

De alimentis generatim primum agitur, adſeriturque homines ex ſola vegetabili et ex ſola animali diaeta praeter naturam affici, quod in non adſuetis quidem non negamus, verum certe in adſuetis, quum hominem ad carnes vorandas natum eſſe, partim natura, partim exempla probent.

p. 34. Alimentis omnibus breui ſylloge expoſitis, de cerealibus primum agitur Horum abuſus morbos ex pituitae nimiae collectione oriundos inprimis producit. Tritici praeſertim farina cum lacte in pulmentum cocta, ob glutinoſitatem ſuam putridam infantibus morbos peſſimos creat. Panis ex ſecali et tritico mixtus Noſtro ſaluberrimus eſt. — Hordeum mundatum, vt a Cl. Auctore deſcribitur, a perlato non differt; perlatum enim etiam hordeum ſuo tegmine priuatum eſt. Sagu farina crebro comeſta ad leucophlegmatiam diſponit. — Panis e piſis, quem omiſit Auctor, admodum difficulter digerendus eſt, et per dies nonnullos ſeruatus a ventriculo mediocriter debili vix ferri poteſt. Bunii bulbocaſtani tubera alui tormina fluxumque, quod pariter omiſſum eſt, excitant, copioſosque flatus creant. Maluam difficilem digeſtu cibum efficere traditur.

p. 81. Fungis principii nutrientis ſat magna pars vtique ineſt, quum Tartari in Ruſſia in frequentiſſimis ſuis ieiuniis ſolis fere fungis veſcantur, et robuſto tamen corpore gaudeant. Venenatae eorum qualitatis pars inde pendet, quod magna copia ingurgitati in ſtomacho intumeſcant, indeque anxietatem, colicam, ſingultum, caet. producant. Quandoque et indigeſti retinentur: dein putreſcunt, et

praeter ſymptomata priora gaſtritidem et ſymptomata gangraenoſa inducunt.

Fructuum pomaceorum, tam horaeorum, quam autumnalium, vſus et noxae bene et breuiter exponuntur. Omnes in acido-dulces, aqueo-dulces, adſtringentes et oleoſos diuiduntur.

Ad ea, quae cerealium loco, annonae caritate ingruente, adhiberi poſſunt, Bromus ſecalinus (noxia planta ſine dubio, inertiam quandam neruorum inducens, cui, annonae raritate ex nimio humore ingruente, partem morborum tunc frequentium facile tribuerem) Auena fatua, et Lolium adeo temulentum (quis haec ſemina, valde venenata, alimenti ſaniſſimi loco commendet?) Arbutus vua vrſi, Sorbus aucuparia commendantur. In eorum numero et viciam ſatiuam Cl. Auctor ponit, quae tamen ſecali remixta hordeoque ruſticis in Saxonia commune et frequens, ſed duriſſimum alimentum praebet. p. 150.

His expoſitis, ad animalia alimenta tranſitus eſt. p. 192
Generalioribus de victu animali et de variis animalem victum praeparandi modis praemiſſis, domeſtica animalia quadrupeda pertractantur, poſtea fera, ac tandem mammalia marina. Aues in granivoras, inſectiuoras et piſciuoras diuiduntur.

Piſces in fluuiatiles, lacuſtres, marinos et amphibios diſpeſcuntur. Iis, ex Cl. Auctoris mente, parum principii nutrientis ineſt, ita, vt laborioſis hominibus ab eorum eſu roboris, virium et libidinis diminutio oriatur. Ideo monachi generationi non deſtinati a romana eccleſia ad maiorem vel vnicum piſcium vſum non absque ratione legibus adſtricti ſunt. Piſces autem, quum facile putreſcentem victum praebeant, omnibus ex pituitoſa et putrida corruptione natis morbis mire fauent. p. 245.

 Eſculen-

p. 285. Eſculentorum et potulentorum condimenta in ſalina, acida, dulcia, pinguia, lactea, gelatinoſa, aromatica, extraordinaria et narcotica diuiduntur. Nigellae ſemina daturae ſeminibus admixtis ſubinde venenata redduntur.

p. 363. Potus in aquas, cereuiſias, vina, ſpiritus vinoſos, *lacta*, potulenta dulcia et calida diuiduntur. — Vinum Campanicum, quod ex quolibet vino nouello oenopolae ope ſacchari et faecis columbinae imitari ſciunt, Noſtro adſeuerante noſcitur, ſi lagena exigua vino tali impleta et vitro aqua repleto inuerſe immiſſa vinum in aquam effluere ſinat.

Liber caeterum, Suecorum more, ita confectus eſt, vt primum rerum, de quibus agitur, nomina communia, deinde generica ſpecificaque, nec non nomina germanica vſitatiſſima, poſthac proprietates, virtus, vſus et noxae indicentur, ita vt his titulis lector vno velut intuitu ſcitu maxime neceſſaria comprehendere valeat. Plurima certe in hoc libro bona, ſcituque vtilia continentur, licet et multa in eo occurrant, quae ſeueriorem critices virgam vix ſuſtineant. Illi index rerum notabilium adiectus eſt.

XVIII.

Anthropologia anatomico-phyſica edita a Dr. JOANNE WILHELMO BAUMER, in Academia Gieſſena Medic. Profeſſ. primar. — Francof. ex libraria Andraeana 1784. in 8. 1 Alph. 6 plagg.

Cum in Academia Erfurthina Cl. Auctor medicinam profiteretur, ſimulque anatomico theatro praeeſſet, inſignis humanorum cadauerum copia ſemper

ſemper adfuit, vt ſingulis annis omnes anatomiae partes tractarentur et viſa repertaque ſollicite conſignarentur. Quae cadauerum copia non ſolum vberem ad inſtruendam ſtudioſam iuuentutem materiem, ſed et ad conſcribendas haſce theſes anatomico-medicas praebuit, quibus auctorum anatomicorum probatiſſimorum, quos in bibliotheca ſua ſeruat, obſeruationes accurate citatae ſuisque inuentoribus redditae accedunt.

Materiem huius compendii anatomico-phyſiologici eiusque ordinem indicaſſe ſufficiet. Expoſita hominis natura et actionibus illius generatim, actiones primum naturales pertractantur, maſticatio, deglutitio, digeſtio, deſcriptis ſimul organis has actiones perficientibus, poſtea chylificatio cum viſceribus illi ſeruientibus.

Ab his ad actiones vitales tranſitus eſt, primum p. 50.
generatim arteriis deſcriptis, ſpeciatim vero aorta arteria et pulmonali, coronali et carotidibus earumque ramis, vertebrarum colli arteria et illius ramis, ſubclauiis earumque ramis pectoralibus et ceruicalibus, axillari eiusque ramis thoracicis, ſcapularibus ac humeralibus, humerali, cubitali atque radiali earumque ramis, aortae deſcendentis ramis pectoralibus, abdominalibus, arteriis in pelui obuiis, arteria femorali eiusque ramis.

Pertractatis arteriis, venae ſequuntur, doctrina- p. 102.
que de iis generatim breuiter pertractata, de pulmonariis, vena caua atque coronariis, capitis, extremitatum ſuperiorum, pectoris, extremitatum inferiorum et peluis venis agitur. Poſt haec vena caua inferior eiusque radices deſcribuntur, hisque pertractatis, venae portarum radices, truncus, ſinus atque rami exponuntur. Vaſorum ſanguinem continentium deſcriptionem cordis, pericardii, nec

non motus cordis atque arteriarum deſcriptio ſequitur.

p. 160. Sanguinis indole eiusque circuitu pertractato, de arteriolis ſeroſis, venis lymphaticis valuuloſis, humoribus ſeroſo - lymphaticis eorumque circuitu, glandulis, et ſecretionibus generatim agitur.

Cerebri, medullae ſpinalis, membranarumque has partes circumdantium deſcriptio ſequitur, poſtea nerui encephali, neruus ſplanchnicus magnus, vulgo intercoſtalis dictus, nerui vertebrarum, ceruicales, acceſſorii ac phrenicus, brachiales, dorſales, lumbales, obturans ac femoralis, ſacri, iſchiadicus, popliteus, tibialis, plantaris ac peroneus deſcribuntur, tandemque de neruorum actione ac ſpiritibus animalibus agitur.

p. 241. Mammarum, lactis, organorum ſemen elaborantium, ſeminis ac liquoris proſtatici deſcriptio ſequitur. Eam excipit nutritionis, excretionum generatim, partium genitalium muliebrium, naturalium ſanguinis et ſeri ex vtero profuſionum, viarum vrinariarum et lotii ſecretionis atque excretionis, integumentorum communium eorum annexorum atque excretionis cutaneae deſcriptio.

p. 293. Deinde de ſolidis partibus, fibra, tela celluloſa, membranis, muſculis, oſſibus, quo loco totum ſceleton oſſeum breuiter deſcribitur, de motibus voluntariis et muſculis ad eos pertinentibus, vbi omnes muſculi motui huic inſeruientes deſcribuntur, de ſenſationibus aliisque mentis operationibus, tactu, viſu, auditu, guſtu, naribus atque olfactu, de generatione, nutritione ac partu foetus, de rebus naturalibus et non naturalibus ſermo eſt.

Praeter ordinem parum proprii liber habet, res tamen in eo bene enarrantur, partesque anatomicorum more bene deſcribuntur. Quod ad quamuis partem, quam deſcribit, optimas icones indicit

cit Cl. Auctor, inprimis nobis placuit. Nunc in conſcribendo opere pathologico, vt in praefatione libri indicat, Cl. vir verſatur.

XIX.

PETRI CAMPER — obſeruationes circa mutationes, quas ſubeunt calculi in veſica, ex belgico ſermone in latinum translatae a JOSEPHO CSEH SZOMBATHY, M. D. Peſtini 1784. in 4. 5 plagg. c. tabula aen.

Celeberrimus auctor diſſertationem hanc academiae ſcientiarum Roterodamenſi deſtinauerat, ſed interuenerunt aliqua, quo minus ad eam transmiſerit: illius igitur translationem in latinum ſermonem editionemque Cl° CSEH - SZOMBATHY commiſit, examinata prius ab Ill. Auctore verſione, quo magis rerum momenta fideliter exprimerentur.

Cryſtalli calculorum ſubinde valde acuminati ſunt, et in ſeipſo Ill. Auctor aliquoties tales obſeruauit, inprimis dum vino rubro vteretur. Poſtquam ab eo abſtinuit, ab illis penitus liberatus eſt. Quum vino iterum vteretur, cryſtallos iterum animaduertit. Cryſtalli pleraeque cum vltimis vrinae guttis exoneratae ſunt. Aliquando in proſtatarum ſinu nonnullae morabantur intolerabilem pruritum excitantes, donec lactis inſignis aſſumta copia eas expulerit. — In finibus tubulorum BELLINI nuclei ſabuloſi formari non videntur, quum mora diuturnior vrinae in renibus et veſica iis generandis ſufficiat. — Aquam calcis et poſtea remedium D. SCHITTIK magna cum attentione in vſum vocauit, ſed vrinae conditio ne tantillum quidem fuit immutata. — Haec in praefatione continentur.

Primo opuſculi capite *de calculi generatione* agitur. In veſica et in renibus nullus calculus formatur, niſi nucleus per aliquod tempus intra horum cauum manſerit. JO. LACKEMANNUS calculum ex vetulae veſica extraxit, cuius nucleus dens erat molaris, veroſimiliter ex eiusdem ore. In nauta ligneae feſtucae, quae per inteſtinum rectum in veſicam penetrauerant, calculo nucleum praebuerunt. Calculi generatio eodem modo procedit, quemadmodum illud terreum circa ramos ſpinoſos in officinis ſalinariis colligitur, ſcilicet radiatim, verſus centrum, et circulariter, ductu parallelo, ad ſuperficiem nuclei. Oualem figuram calculi vtplurimum habent, forte quoniam plerumque nuclei eadem forma gaudent; corporis tamen et motus eidem formae fauet (non et veſicae vrinariae forma?) Calculi duri tarde increſcunt, at poſtquam ſuppurationes in renibus ſuperueniunt, multo celerius augentur. Suppurationes hae peculiaris admodum ſunt naturae, materies valde mucoſa, lactea eſt, materie pinguedinoſa, purulenta et ſanguine ſubinde remixta. Hoc modo calculi annulis coloratis varie cinguntur. Plerique calculi, etiam in Aethiopibus, cinereum colorem habent. Menſtruum nullum Ill. vir adhuc offendit, quod intus aſſumtum durae compagis calculos diſſoluere valuiſſet. In quibusdam aegris circa laeuigatos calculos noua materies colligitur cryſtallos formans, acutis apicibus praeditas. — Plerique calculi duri inſtar vrinae foetent. Molles et albi, etiam recenter ex veſica vrinaria extracti, inodori ſaepe ſunt, indicio, incrementum illud non ab ipſa vrina, ſed a materie in lotio praeſente dependere. In pulmonibus, meliceridibus, caet. ſimilis ſubinde materies obſeruatur.

Altero

Altero capite *de calculis ſpinoſis* agitur. Hi vtplurimum flaui ſunt, at duriſſimi. Calculi veſicae in principio molles non indureſcunt, quum durities a partibus dependeat, quae in vrina natantes adtrahuntur. Vidit Ill. vir calculum, cuius quidam circuli ſerrae reſiſtebant, alii molliſſimi erant, argumento, duritiem non tempori, ſed materiae ſuperadditae, deberi. — Calculi ſpinoſi veſicae latera interdum quidem vehementer laedunt, interdum vero nullum penitus dolorem concitant. Calculus decem ſpinis horridus in viri cadauere inuentus eſt, qui de calculi ſymptomatibus nunquam conqueſtus fuerat. Omnes ramoſi calculi nucleum glabrum habuerunt; nucleum durus, ſpinoſus cortex ambiit. Tale incrementum ex phyſicis legibus vere explicari nequit.

Subinde, morboſa diſpoſitione renum et veſicae praeſente, id quod ex renibus prouenit, circa ſpinoſum nuclei corticem colligitur et cauitatem ſpinis interiectam replet, donec calculus laeuis euadat. Hinc in miſerandis aegris ex ipſa calculi forma leuaminis aliquantulum!

Ipſe Ill. vir calculum talem in cadauere quodam inuenit 13½ vncias pondere aequantem, qui ſpinoſus fuerat, ſpinis poſtea ab alia materia impletis. Hae ſpinae fuerunt cauſae grauiſſimorum cruciatuum, quos ante aliquot annis ſuſtinuerat. Hic vir in matrimonio foecundo vixit, coniugemque ſuam ſaepius grauidam reddidit, et ante obitum mariti anno vno adhuc abortientem. Origo libidinis a continua calculi irritatione petenda. Vir decrepitus, ſeptuagenario maior, diu calculoſus de perpetuo penis erectione et ſeminis eiaculatione conqueſtus eſt. — Expanſos renes Ill. vir aliquoties vidit, calculis licet non magnis praeſentibus. Vreteres tamen eorundem renum ſimul expanſi erant.

Tertio

Tertio capite *de concretione paruorum calculorum in veſica vrinaria* agitur. Quum ALBINUS et ALGHISIUS de paruis calculis concretis et vnum magnum formantibus tam multa loquuti fuerint, ipſe Ill. Auctor, quum grana calculoſa copioſe excerneret, de hac re valde ſollicitus et triſtis euaſit, inprimis quum et ex recentioribus obſeruatis intelligeret, acida potentiſſima et lixiuia ſoluendis adeo matularum cruſtis imparia eſſe. Metus induſtriam ſuam excitauit, in omnibusque calculis, tam rotundis, quam ſpinoſis, nucleum ſemper tantum ſimplicem, nullamque calculorum nucleorumue congeriem obſeruauit. — Calculos exiguos ſeptem vel octo chirurgus quidam celebris e veſica extraxerat, accurato examine inſtituto affirmans, nullum calculum in veſica ſupereſſe. Inciſo vero corpore poſtea ex operatione demortui, plures calculi in veſica, in iisque inſignis quidam, deprehenſi ſunt. In alio cadauere tres calculos praegrandes nullo modo concretos obſeruauit. In podagricis magna ſubinde calculorum copia, piſa aequantium, nulloque modo concretorum excernitur. Calculi, verbo, omnes, ſiue ſpinoſi ſint, ſiue non, vnicum duntaxat includunt nucleum, nulloque modo in veſica conglutinantur. Eadem et in bilis veſica valent.

Hae obſeruationes Ill. virum valde recrearunt. Ab hoc momento probe perſuaſus eſt, ſpinoſas ſuas cruſtas ſegregatas manſuras, nec niſi titillationem exiguam et tolerabilem in vrethra dolorem eſſe producturas.

Tentamina poſtea varia inſtituit, experturus, num calculorum concretio remediis externis, inprimis iniectione, poſſet praeueniri. Matulae ſuae ſtanneae dimidiam partem probe purgatam oleo inungi iuſſit. Euentus fuit, vt cruſta in oppoſito latere increſceret quotidie, ad latera autem inuncta nulla

nulla plane calculoſa materies deponeretur. Inde concludit Ill. vir, nullam materiem calculoſam in veſicam deponi, dum oleoſa ſua, aut mucoſa materie inuncta ſit. Inde non immerito colligitur, omnibus in caſibus, quando iniectio breui cathetere abſolui poteſt, ab oleo exoptatiſſima emolumenta ſperari poſſe.

De ſequelis grandium calculorum veſicae quarto capite agitur. Calculum ipſe Ill. Auctor vidit longum pollices 3½, latum 2½, craſſum 1¾; calculum per vrethrae fiſtulam, ſolo naturae beneficio, euacuatum. Quaeſtio huc inprimis redit, quaenam ſit menſura magnitudinis calculi optato cum effectu exſcindendi? Pondus ad rem non pertinet, quod non eſt in proportione ad volumen. Proſtant quidem plurima exempla magnorum et ponderoſorum calculorum exciſorum; verum et plurimi, in quibus, rebus ſic ſtantibus, operatio adminiſtrata eſt, mortui ſunt, et magnae forcipes, longis dentibus inſtructae, calculum ſi et, quod tamen vix poſſibile eſt, frangant, tamen non caueri poteſt, quin veſicam peſſime dilacerent, hocque modo mortem inducant. Nec veſica tantum incidi poteſt, vt, grandi calculo exſiſtente, ſine veſicae laeſione forceps introduci queat. Praeterea veſica prope oſtium ſuum inciſa ſpatium plurimum tollit. Perforationem calculi in veſica, ab Ill. LE CAT propoſitam, Noſter impoſſibilem plane putat, praeſertim in calculis ſpinoſis. Optandum eſſet, vt methodus calculum findendi, non adeo forte difficilis, in vſum vocaretur. Certe docent nos murarii, quam facile lateres cocti, inprimis humidi, ad ſimplicem trullae ictum findantur. Probabile admodum eſt, calculum in veſica, totum adhuc calentem humidumque, aeque commode in fragmenta plura poſſe comminui.

Praeterea

Praeterea operae pretium erit indagare, primo, qua vi adhibita, quaque methodo calculus extra veſicam recens ac humore madens retentus in calore 90 graduum Fahrenh. findi queat? ſecundo definire iuſtam molem calculorum, qui ſub ſpe exoptati euentus poſſint ſecari, atque horum menſuram conſtituere. — Hoc modo infelicibus aegris dulce leuamen pararetur, et ad perfectionem chirurgicae artis nouum momentum accederet. (Calculi ſciſſuram in veſica, ob deficiens punctum calculi fixum, et ob noxas ex nimia preſſione verſus ſuperiora et anteriora, impoſſibilem putamus). Libro addita explanatio tabulae eſt.

XX.

Bemerkungen über die Mittel, die Geſundheit der Soldaten zu erhalten, und Feldlazarethe anzulegen, wie auch über die Krankheiten, welche die Soldaten im Lager befallen, und über die nämlichen Krankheiten, welche ſich in London gezeigt haben. In zwey Theilen verfaſſet von DONALD MONRO, *d. A. Dr. Arzt bey der Königl. Armee und im St. Georgen-Spital, Mitglied des Königl. Collegiums der Aerzte zu London und der Königl. Geſellſchaft. Altenburg, bey Richter* 1784. *in* 8v. 547 *pagg.*

i. e.

De militum bona valetudine conſeruanda, noſocomiis militaribus inſtruendis, nec non de morbis militum curandis.

Noua editio libri vulgatiſſimi, vtiliſſimi eſt, admodum aucta. Tertia inprimis libri pars nouiter acceſſit, qua de valetudine morbisque mili-

tum

tum agitur, quibus anno 1778 et 1779 caſtra prope Cox-heath munita ſunt.

Anno 1778 metus iuſtus erat, ne Galli Anglorum terras inuaderent. Hinc caſtra varia inſtructa militibus praeſidiariis ſunt. Medicus Noſter militum fuit praeſidiariorum in caſtris prope Cox-heath. Caſtrorum regio verſus orientem et occaſum montoſa, caeterum plana, decliuis, ſyluoſa fuit. Solum argillaceum, vdum hyeme. p. 127.

Tempeſtatis hiſtoria expoſita, de militum valetudine, aegrorum et variis morbis demortuorum numero agitur. Morbi obſeruati fuere febres intermittentes, variolae confluentes, alui profluuia leuiora, rheumatiſmi, tuſſes, oculorum inflammationes, crurum tumores, vlcera, herniae, ſcabies, epilepſia, venerei morbi ſymptomata, autumno catarrhi, pectoris inflammationes, phthiſes. Pedum tumoribus laborantes mercurii dulcis vſus, robore poſtea cortice Peruuiano reſtituto, leuauit; capitis dolores periodici emeticis, cortice Peruuiano poſtea dato, leuati ſunt. Gangraenoſa angina ſumme adfectos vinum rubrum leuauit. p. 134.

Anno 1779 caſtra in eadem regione iterum inſtructa ſunt. Tempeſtatis hiſtoria praemiſſa, de militum morbis hoc tempore graſſantibus generatim agitur. Petechialis febris euacuantibus, roborantibus et ſudoriferis nobilioribus medicinis ſanata eſt. Morbi obſeruati generatim ſunt febres, rheumatiſmi, (qui frequentiſſimum morbum conſtituerunt) phthiſes, febres intermittentes, angina gangraenoſa, dyſenteria, calculus, hydrops, oculorum inflammatio, crurum vulnera, vlcera, variolae, morbi venerei. p. 158.

Auguſto exeunte quidam de morbo febrili lento conqueſti ſunt. Mitioribus autem ſymptomatibus exſiſtentibus, febrem a nimia fatigatione ortam

tam eſſe creditum eſt. Innotuit vero poſtea, febrem ad periculoſum genus bilioſarum lentarum pertinere. Septembre exeunte hac febre 163 aegri in noſocomio militari laborarunt. Prima morbi ſymptomata languor, virium proſtratio, lingua alba, pulſus paruus, velox, nauſea, dolor capitis haud valde atrox fuere. Quidam ſimul alui fluxu laborarunt. Quosdam in initio ſtatim capitis dolor, nauſea, vomitus, pulſus plenus, celer durus, tormina, tentauerunt. Emetico antimoniato ſordes plurimae aeruginoſae depulſae ſunt. Elapſis diebus aliquot lingua obſcure fuſca, ſicca euaſit. Oculi torui, animi deiectio, deliquium, delirium taciturnum, murmurans adfuere. Increſcente morbo increuere linguae durities, ſiccitas, delirium, virium proſtratio. Acceſſere, morbo lethifero exſiſtente, tendinum ſubſultus, ſingultus, pulſus deliquium, extremorum frigus, conuulſiones, carus, ad mortem vſque perdurans. In quatuor aegris petechiae. — Morbus per ſex aut ſeptem hebdomades perdurauit. Ante decimum ſeptimum aut octauum diem pauci interierunt. Virium deiectio poſt decimum quintum aut ſextum diem maxima.

Qui ſupremum diem obierunt aegros morbus eodem modo, ac tabidos, extenuauerat, vlceribus forſan in viſceribus natis. Iudicari enim, aliquot hebdomadibus praeterlapſis, princeps febris viſa eſt, ſubſequentibus febre hectica morteque. Inciſi talis tabidi cadauer materiae putridiſſimae copiam inſignem in abdomine haerentis, et tam male olentis, vt chirurgus vlceris origines perueſtigare non poſſet, continuit.

p. 167. Febris decurſus euacuante antimoniato admodum mitis redditus eſt. Profuere aliquo modo ſerae emeſes, morbum tamen non admodum praeciderunt.

Profuit

Profuit ſanguinis miſſio, pulſu in initio forti, pleno exſiſtente. Raro ſanguis denſus obſeruatus eſt. — Euacuantibus adhibitis, refrigerantia cum leuamine aegrorum data ſunt, multum etiam lenes antimoniatae medicinae parcis doſibus datae profuerunt. Debili pulſu exſiſtente, cardiaca confectio, vinum, veſicatoria emplaſtra, cortex Peruuianus cum camphora vtiliter adhibita ſunt. — Emeſis ſubinde repetita neceſſaria fuit. Alui profuſione accedente cretaceus ſyrupus (in putrida febre!) cum cardiacis datus eſt.

Intermittentes febres facilem curationem admiſerunt. Periodicum capitis dolorem cortex Peruuianus ſanauit, in duobus tamen caſibus non aeque, in quorum altero emetico adhibito, ceu incantamento propulſus, ceſſit, in altero vero fortioribus purgantibus depulſus eſt.

Dyſenteriam euacuantia, poſtea opiata ſanauerunt. — Confluentibus variolis XLIX aegri laborarunt, ex quibus XI mortui ſunt; in iisque tres partium verendarum gangraena, ad quam nec cortex Peruuianus, nec vinum, nec opium valuit. Hi omnes die poſt gangraenam obortam quinto interierunt.

Haec eorum, quibus noua haec editio aucta eſt, ſumma eſt. Acceſſere vero et cuilibet capiti augmenta plurima, textui interſperſa, auctaque aliquo modo et pharmacopoea militaris eſt.

XXI.

Obſeruationes circa radicis gei vrbani ſiue caryophyllatae vires in praecipuis corporis humani affectionibus inſtitutae a RUDOLPHO BUCHHAVE. — Editio altera, nouis tentaminibus aucta. Hafniae et Lipſiae 1784. in 8vo.

Libri vtilis doctique quum nulla adhuc in commentariis noſtris mentio facta ſit, quae in eo contineantur, breuiter expediamus.

Inſtituere varii Daniae medici experimenta infinita, vt medicamentum inuenirent indigenum febri profligandae tam aptum, vt cortex Peruuianus, inprimis vero HEVERMANNUS et FABRICIUS, viri quondam clariſſimi, qui vero omnes ad corticem Peruuianum coacti redierunt. Caſu tandem Cl. Auctori caryophyllatae radix in mentem incidit. Experientia edoctus didicit, vires radicem poſſidere adſtringentes leuiter et alexipharmacas. Adſtrictione fibram laxam roborat, alexipharmaca vi reſoluit et ſpaſmis obeſt. Gaudet et virtute putredini contraria. Febrifuga virtus ab adſtrictione pendet, et ab alexipharmaca, ſpaſmis contraria radicis vi. Febrem ſubinde medicamenti doſis minima fregit; recidiua poſt eius vſum nunquam viſa. Nec ſtrictiore admodum diaeta in eius vſu opus eſt. Eſſentiae radicis vncia dimidia aut vna partitis temporibus ſumta, decoctum ex radicis drachmis ſex paratum, pulueris drachmae tres ad febrem debellandam ſufficiunt. Maiorem doſin quartana requirit. Conducit et in diarrhoea, dyſenteria, albo fluxu, flatulenta colica, morbis ſeroſis ſpaſmodicis, malo hyſterico, haemorrhagiis, languore virium poſt febres, tuſſi conuulſiua.

Medicis Havnienſibus radicis vſus in initiis admodum arriſit, rei nouae cupiditate forte ductis. Friguit tamen poſtea ardor, tandem penitus exſtinctus eſt. Cauſam Noſter adſcribit immodicae laudi ſibi a TODE, V. Cl. tributae (quod tamen nos recte perſpicere non poſſumus) et malae radicis collectioni, praeparationi, caet. (Sed deeſt forte ſubinde et radici ad morbos virtus, quam, quod pace Cl. Auctoris dixerim, occupatus opinione, in

medica-

medicamento nimis amplam vidit. Talia ſaltim obſeruata Actis ſocietatis Regiae medicae Hafnienſis inſerta ſuadere videntur. Magno certe ſemper medicinae detrimento fuit, quod medici in nouis medicamentis adhibendis verſantes talia a medicamento ſe vidiſſe vana imaginatione ducti putauerint, quae prudentior et frigidior poſtera aetas non vidit, quod medicamentis vires vniuerſales adſcripſerint, quum certas tantum, certis limitibus circumſcriptas, haberent).

Poſt primam editionem libri publicatam radicem in nautico noſocomio Noſter frequenter adhibuit. Pericula in dyſentericis et diarrhoea chronica laborantibus facta auſpicato euenerunt. — Aduerſarios poſtea radix nacta eſt, in iisque Cl^um^ TODE; nec litterae a Noſtro ad plurimos Daniae medicos miſſae, quibus radicis vſum iis commendauit, quid valuerunt. Radix tamen poſtea a Daniae medicis quibusdam adhibita, et ab exteris laudibus debitis ornata eſt. — Haec ad hiſtoriam medicamenti pertinentia in prooemio continentur.

Ipſum opus obſeruationum enarrationibus omnino conflatum eſt. Primum febres intermittentes enarrantur plurimae, multifarii generis, maxime tamen tertianae, omnes fere hoc medicamento profligatae. Sanationum febrium intermittentium ſimplicium, hoc eſt nullo alio morbo complicatarum, nec malignarum admodum, ſi diuturnitatem excipias, numerus CXXXV eſt, in quibus ne vlla quidem hiſtoria occurrit, in qua medicamentum aut pigrioris paululum, aut inertis plane efficaciae fuit. Palam fatemur, nos hoc admodum mirari; ſuperaret enim, ſi vera ſunt, quae Cl. vir protulit, caryophyllatae radix efficacia corticem Peruuianum omni modo, mercurium, verbo omnes ad morbos, ab inuenta medicina, laudatas ſpecificas medicinas.

 Febrium

p. 105. Febrium hiſtoriae ſequuntur aliis morbis complicatarum. Sanauit radix quotidianam febrem cum alui conſtipatione, tertianam cum phthiſi pulmonali et haemoptyſi, aliam cum arthritide.

Sanauit idem medicamentum morbum periodicum conuulſiuum, aegro ſanae rationis experte, a quotidiana febre ortum, dolorem in hypochondriis periodicum cum pectoris oppreſſione ſumma et animi defectione, capitis dolorem periodicum, ſudores periodicos intenſiſſimos, cephalaeam huius generis, ſudores matutinos periodicos, epilepſiam periodicam cum enureſi.

Sequuntur intermittentium febrium immorigerarum, quae cortici non cedentes geo obedierunt, et geo fruſtra adhibito cortice ſanatae ſunt, hiſtoriae. Hiſtoriae gei prae cortice Peruuiano vim probantes quatuor aut quinque ſunt, ſed omnes ita concinnatae, „*vt clare perſpicere vnicuique liceat,* „*vim gei et virtutem non in febre modo domanda, verum etiam in roboranda et exoneranda aluo illam* „*corticis longe exſuperare.*“ Vt verbo rem comprehendamus, hiſtoriarum, in quibus geum parum valuit, numerus admodum paruus eſt.

p. 124. Tranſitus ab his ad acutas febres eſt. Adhibuit geum in febribus petechialibus, malignis, putridis, remittentibus. Non nocuit pharmacum, ſed multum profuit vbique, vires erigendo, pulſum inſtaurando, putredini reſiſtendo, diarrhoeas ſymptomaticas compeſcendo, verbo, vim et robur corpori conciliando. Adferuntur plures poſtea hiſtoriae gei vſum ad febres putridas, remittentes gaſtricas, malignas, periculoſiſſimas probantes.

Morbi ſpaſmodici ſequuntur. Valuit caryophyllata ad tremorem a terrore, hyſtericos motus, hypochondriacam affectionem cum imaginatione perturbata, arthritidem cum hyſterico malo, conuulſiuos

ſiuos motus, hyſtericam affectionem cum colica, pectoris oppreſſionem ſpaſticam, arthriticos rheumatiſmos conuulſiuos, epilepſiam, neruorum debilitatem, vertiginem cum peruerſa ratione, moerorem immodicum, hyſtericum malum cum chloroſi, cardialgiam, vertiginem hypochondriacam. Epilepticorum medicamento ſanatorum hiſtoriae plures occurrunt. Multa etiam praeſtitit in arthritico rheumatiſmo, paralyſi, conuulſiua tuſſi, in qua corticem Peruuianum virtute ſuperauit, dyſpepſia, diarrhoea, dyſenteria, gonorrhoea, leucorrhoea, variis haemorrhagiarum generibus, haemoptyſi, ſanguinis vomitu, menſtruo fluxu immodico, nimis diuturno, lochiis ſanguinis veram profuſionem minantibus, menſtruo fluxu inordinato, vteri haemorrhagia, ſanguinis ex vtero profuſione in grauida, tuſſi ſtomachica cum menorrhagia coniuncta. Haemorrhagias vteri inprimis ſanauit medicamentum a laxitate fibrarum et potu nimis calido ortas.

Sequuntur phthiſeos pulmonalis hiſtoriae. Si his vera rectaque fides eſt, gei radice cum Islandico lichene decocta ſanantur tales phthiſes, quas nullum forte adhuc medicamentum ſanauit, „*exulcerationes videlicet pulmonum cum purulentis ſputis, magnaque aſtheneia.*" Noxas tamen ſubinde in phthiſi conſummata medicamentum attuliſſe ait, aucta inflammatione, intenſa febre, expectoratione ſuppreſſa.

Addita operi experimenta ſunt, quibus vis medicamenti putredini reſiſtens probatur. Putredini, vt naturali modo cogitari poteſt, admodum reſiſtit. Cortice (qui experimentis in mortuis corporibus inſtitutis a multis ſuperatur, in viuis vero corporibus alia antiputrida medicamenta omnia ſuperat)

perat) potentius in putredine cohibenda, corrigenda eſt.

p. 253. Adiectae ſunt operi litterae Cll. virorum, AASKOW, qui febres intermittentes admodum rebelles, quartanas medicamento hoc curaſſe refert, idque ſpecificum putat, cortici Peruuiano non cedens, imo eum ſuperans; CALLISEN, qui febres intermittentes eadem radice cito tutoque fugauit; BANG, qui medicamentum ad febrem continuam remittentem, putridam febrem, tertianam duplicatam cum ſucceſſu adhibuit; SCHOENHEYDER, qui eandem medicinam ad tuſſim conuulſiuam vtilem inuenit et TODE, qui ad intermittentes febres validas radicis virtutes teſtatur.

Cautelae additae docent, radicem verno tempore fodiendam eſſe, ſpecificam vim violaceae plantae medullae ineſſe, radices caute ſiccandas eſſe, ne volatilis ſui principii partem amittant. — Icon plantae addita eſt, ad naturam delineata.

XXII.

Dr. DANIEL NOOTNAGELS *Handbuch für praktiſche Aerzte. Erſten Bandes, Erſte Abtheilung. Hamburg* 1784. *in* 8*vo.* 12 *plagg.*

i. e.

Enchiridion medico-practicum.

Multa in operis limine pollicetur iuuenis vir, ſe omnia antiqua nouaque, omnia ſcitu digna, neceſſaria medico (quis haec vnquam in orbe terrarum comprehendit?) exhibiturum. Vindobonae praxin didicit in Pazmanniano noſocomio, nec non in eo, quo fratres miſericordiae aegrorum curam gerunt. In hoc aegri magis periclitantur, ob noſocomium

ſocomium minus commodum, vdum, non mundum ſatis, aëre impuro magis inquinatum. Hinc et in hoc noſocomio putrida febre plures necantur.

Sed quaenam profert noſter? Incidet forte in promiſſoris vani culpam, dum aequi lectores in libro praeter excerpta quaedam nil noui inuenient, eaque excerpta ex Germanorum medicorum operibus praeparata ſunt. Nec eſt, quod imperfectum talem laborem (non enim omnem medicinam continet) tam neceſſarium putemus, quum in bibliothecis excerptisque Cl. Virorum GESNERI, BLUMENBACHII, SCHLEGELII eadem, ſed non tam fuſe contineantur, nec ſemper penes excerptorem omnis rei praeclare geſtae fides ſit, quum ab alio vtile putetur, cui alii parum momenti tribuunt. Hinc nunquam eo res deueniet, vt talibus librorum laciniis librorum bonorum copia ſuppleri poſſit. Continentur autem in hoc faſciculo ſequentia:

ERNESTUS PLATNERUS de temperamentis, ex aphoriſmis Cl. viri philoſophicis.

MARCI HERZ morbi proprii deſcriptio, ex Cl. MORITZ opere periodico ad pſychologiam ſpectante. Morbus admodum notabilis e malignorum genere fuit. Deſcribuntur a Cl. viro tantum animi mutationes a morbo inductae.

IEITTELES de febre neruoſa, ex obſeruatis eius medicis.

De febre puerperarum, ex diario medico Gallico: *Journal de Médécine.*

SANTHESSEN de bilioſa febre epidemica, ex actis Suecicis.

LENTIN de angina polypoſa, ex Cl. viri obſeruatis medicis.

PLOUCQUET de ophthalmia, ex actis Naturae Curioſorum.

SCHEIDEMANTEL de linguae inflammatione, ex eius obſeruatis.

LENTIN de variolis epidemicis, ex iam citato libro.

DE LASSONE de medicinis quibusdam ad variolas efficacibus, comparatu facilibus, ex hiſtoria ſocietatis Regiae medicae Pariſinae.

VAN WOENSEL de variolarum inſitione.

KREBS de febre miliari, ex Ill. BALDINGERI promtuario.

SCHERF de diarrhoeae diuturnae curatione, ex Actis Naturae Curioſorum.

BURGGRAVE de fecibus et lotio per vaginam vteri excretis. Ex caſibus b. viri ſelectis.

STEVENSON de podagra.

MURRAY de oeſophagi et ventriculi vitiis quibusdam, quibus tranſitus alimentorum praepeditur. Ex actis Suecicis.

Morbi vehementis ſpaſmodici hiſtoria. Ex Ill. BALDINGERI promtuario.

LORRY de pinguedine in corpore humano. Ex hiſtoria ſocietatis Regiae medicae Pariſinae.

POUPART de herpete. Ex peculiari libro.

De verminoſo quodam morbo. Ex Ill. BALDINGERI promtuario medico.

HEYER de oleo caieput. Ex Ill. CRELLII diario.

BINDHEMI de ſapone camphorato. Ex eodem.

XXIII.

Von dem ausſetzenden Puls, einigen andern Pulsarten und Angelegenheiten des Herzens. Eine ſemiotiſch-praktiſche Erläuterunsſgchrift vom geheimen Hofrath und Profeſſor DELIUS. *Erlangen*, 1784. *in 8vo. 8 plagg.*

i. e.

i. e.

De pulſu intermittente, aliis pulſuum quibusdam generibus et cordis affectionibus. —

Proluſionis anno 1764 ab Illuſtri viro conſcriptae *de pulſu inteſtinali* verſio cum permultis additamentis eſt.

Pulſuum mutationes ſemper mutationes in cordis humani contractione et dilatatione probant, eaeque partim a neruis cordis, ab irritabilitate, ſenſibilitate, partim et a motibus cordi a ſenſorio communi communicatis pendent. Pulſum ſubinde Ill. vir in carpo non percepit, ob arteriae alienum ſitum, translocationem, caet. Organicos pulſus ſaepius obſeruauit, inprimis dicrotum, narium haemorrhagiae indicem. (Nos vterinum pulſum ſatis frequenter in his obſeruauimus, quae congeſtione ſanguinis ad vterum, ſanguineo vteri infarctu, caet. laborarunt.) Vadoſus mollis, inciduus pulſus criticos ſudores ſaepe praenunciauit. Intermittentem pulſum ſaepe vidit cruditatibus, flatibus praeſentibus, diarrhoea a ſudore ſuppreſſo inſtante, hinc et inteſtinalem talem pulſum medici vocarunt. Sed vitae vim lapſam ſaepe etiam talis pulſus ſignificat. Ipſe adeo b. HALLERUS ex intermittente pulſu medico, amico ſuo, mortem ſuam inſtantem praenunciauit.

Talis itaque pulſus, licet vitam ſubinde deficientem notet, ſubinde tamen omni periculo vacat. Ipſe Ill. Auctor in corpore ſuo exhauſto aut flatibus laborante eum ſaepius expertus eſt. (Dum anno praeterlapſo icteri tunc epidemici initiis laboraremus, poſt quinque pulſationes ſexta ſemper defecit. Reſtituit pulſum cum corpore cremoris tartari vſus et copioſa eo tempore, ob frequentes

aegros rurales, equitatio). In peripneumonia fere ſanata pulſus intermittens cum virium inſigni deliquio poſt frigus imprudenter corpori admiſſum obortus eſt. Reſtituit pulſum aegrumque alui fluxus. Sequuntur hiſtoriae plurimae pulſus intermittentis eumque excipientis diarrhoeae. Subinde et aliae excretiones talem pulſum excipiunt, ſubinde ab aneuriſmatibus, polypis cordis, magnorum vaſorum vitiis, caet. oriundum.

Tandem regulae exponuntur, ad pulſui tranquillitatem naturalem conſeruandam et reſtituendam. Eae partim ex diaetetica depromta ſunt, partim et ex iuſta animi adfectuum moderatione.

XXIV.

De febribus annuis, et in ſpecie de febre aeſtiua anno 1783 in noſocomio S. S. Trinitatis Vindobonenſi obſeruata deſcriptaque a FR. XAV. HAEBERL. M. D. Monachii. 1784. in 8. 126 pagg. et tabulae ſex tempeſtatis hiſtoriam continentes.

Praemittuntur generalia de epidemiis generatim, de aëre morbos epidemicos inducente, et epidemicis morbis ab aëris qualitate determinatis, nota ſatis, ſermone non admodum eleganti expoſita.

p. 43. Sequitur aeſtiuae febris deſcriptio. HUXHAMUM Noſter imitatus, tempeſtatis hiſtoriam cum morbi hiſtoria coniunxit. Aegris Maio menſe ferme omnibus facies tenuiter flaua, os amarum redditum eſt. Iunio menſe febris benioſa vera, ſimplex vtplurimum, ſubinde et inflammatoria graſſata eſt. Inflammatio hepar vtplurimum tentauit. Iulio phlogoſis intenſior et putredo in bilioſis conſpicua. Complures depoſitio tantum bilioſa, cum febricula corri-

corripuit. Auguſto petechiales, miliares papulae frequenter apparuerunt. Febres biliofo-putridae hoc menſe perfrequentes. Septembre inflammatio febri bilioſae iterum adiuncta eſt occulta, circa praecordia. — Octobri intermittentes febres complures apparuerunt.

Epidemia in vniuerſum mitior fuit iis, quas STOLL, *V. Ill.* obſeruauit. Pectus pluribus bilioſe inflammatum eſt. Hi thoracis oppreſſionem ad ſternum, ſupra ſcrobiculum cordis, thoracis cauo, non ventriculo, reſpondentem, alii dolorem lateris punctorium ſenſerunt. Diſtinguuntur hae adfectiones a vere inflammatoriis febribus charactere remittente, reſpiratione difficili quidem breuique, attamen minus praeciſa, ſputis aut nullis, aut bilioſis, tuſſi minus moleſta, pulſu non forti, non duro. Vermes durante epidemia ſponte copioſe deceſſerunt. — Bilioſae febres putridae in his factae ſunt, qui morbum bilioſum neglexerunt, aut in his, quibus morbus vires nimis fregerat. Laudantur ad febres curandas roborantia eccoproticis iuncta (ad putredinem?) ad inflammationem bilioſam vero arcanum duplicatum. (Hoc ſaepe non ſufficit. Tota medendi methodus rudi nimis Minerua delineata eſt.) Ad putredinem arcendam remedia antiſeptica cum emollientibus remixta (radix altheae cortici Peruuiano! emollientia vero ſola in putridis febribus data inſignes virtutes ſubinde poſſident; vidimus ſola foliorum maluae decoctione febres putridiſſimas ſanatas) commendantur.

Colicam pictonum Noſter frequenter obſeruauit. Oritur in omnibus iis, qui plumbum vllo modo tractant, fundunt, caet. Facilior curatu eſt, quae a magnis plumbi doſibus tumultuarie ingeſtis oritur et tumultuarie ſaeuit. — In methodo medendi reſpiciendum eo eſt, vt ea, quae in morbo a tempeſta- p. 68.

tempeſtatis concurſu effecta ſunt, auferantur. Subinde, omnibus irritis, opium conatus vomendi ſedauit, aluum reſtituit.

Epilepſiae ſanationes plures enarrantur euacuantium ope peractae. Omnes ex Auctoris ſententia epilepſiae, dum bilis regnat, a bile ſunt.

Dyſenteriam ſporadicam, ſiue potius inteſtinorum rheumatiſmum, Decembre, Ianuario menſe obſeruauit, aeſtate non admodum frequentes, methodo antibilioſae obtemperantes. In cadauere dyſentericae omentum ſuppuratum, inteſtina a pure eroſa reperta ſunt. In alio cadauere omentum inflammatum, inteſtinorum latera admodum craſſa inuenta ſunt. Febris, vt noſter recte iudicat, in curatione dyſenteriae inprimis aeſtimanda eſt, ſed dubitamus, quin, vt adſeritur ab eo, omnis inflammationis dyſenteria, dyſenterico tempore apparens, expers ſit. Si inflammatio adeſt, ea ante omnia reſoluenda.

p. 93. Sequuntur morborum hiſtoriae durante epidemia aeſtiua obſeruatorum. Ruſtici inflammatorio pulmonum morbo ſimulque bilioſo demortui cadauer pulmones exhibuit, dextrum inprimis diriſſime inflammatum, rubicundum, ponderoſum, ſub cultro ſtridentem. Abdominis viſcera omnia inflammationis expertia.

XXV.

HIERONYMUS DAVID GAUBIUS *Anfangsgründe der mediciniſchen Krankheitslehre. — Aufs neue aus dem Lateiniſchen überſezt, mit einer Vorrede, einigen Anmerkungen und dem Leben des Verfaſſers verſehen, von Dr.* CHRISTIAN GOTTFRIED GRUNER. — *Berlin, bey Heſſe.* 1784. *in* 8. 376 *pagg.*

i. e.

i. e.

HIER. DAV. GAUBII Inſtitutiones pathologiae medicinalis, ex latino verſae, praefatione, annotationibus quibusdam et vita auctoris inſtructae, a Cl°. GRUNERO.

Praefatio Illuſtris editoris docet compendiorum vtilitatem, et qualia quantaque ad vere bonum et vere vtile compendium concinnandum requirantur. Pathologica inprimis compendia admodum pauca proſtant, bonitatis nota gaudentia, adeoque GAUBII inſtitutiones noſtris adhuc temporibus optimae, vnicae et in pathologicis rebus vere claſſicae ſunt. Primum anno 1758 editae ſunt *), anno 1763 paululum auctiores recuſae. Tertiam editionem molitus eſt beatus vir, ſed mors ſenem praeuenit, libro ad paginam vsque 256 aucto aliquo modo et emendato. Additamenta haec et emendationes b. viri IO. DAV. HAHNIUS, vir quondam celeberr. tertiae editioni Lugduni Batauorum anno 1781 editae addidit.

Primam doctiſſimi operis verſionem DAN. ANDREAS DIEBOLD, medicinae Doctor Argentoratenſis, molitus eſt, ſed admodum malo cum ſucceſſu; opus enim nec latinum nec germanum eſt, ita, vt facile perſpici poſſit, editorem nec vernaculae nec latinae linguae, nec rerum in libro contentarum gnarum fuiſſe **). — Verſionem ſuam illuſtris editor ſtylo mentique beati Auctoris probe accommodauit, adnotationes quasdam adiecit, textum in capita et ſectiones redegit, vitamque b. viri ex actis ſocietatis Regiae medicae Pariſinae addidit.

*) vid. Commentar. noſtror. Vol. VIII. pag. 426.
**) vid. ibid. Vol. XXV. p. 712.

XXVI.

Dr. IACOBI IOANNIS KLINT commentatio anatomica de neruis brachii. Goettingae, apud Vandenhoek. 1784. in 4to. cum tabula aenea chartae formae regalis impreſſa, nitidiſſima.

Diſſertatio inauguralis Cl. viri eſt, quam ſuadente praeceptore ſuo, Ill. WRISBERGIO, ab eoque conſiliis, libris, cadaueribus adiutus conſcripſit. Nerui brachiales ſeorſim ita pertractantur, vt primum nomina optimaeque deſcriptiones, deinde ſynonyma exponantur, poſteaque figurae meliores citentur. Tunc propria Cl. Auctoris deſcriptio ſequitur.

Capite primo *neruus muſculo-cutaneus* deſcribitur. Inſignes mutationes ſanguini a neruo hoc concitantur, quum brachii magnae venae arteriaeque axillaris comes ſit. Antequam coraco brachialem perforat, neruus muſculo-cutaneus ramum mediocrem emittit principio alterius bicipitis muſculi inſertum, qui vero non conſtans eſt.

Sequitur altero capite *neruus medianus*. Ex omnino plexu, ad quem plures hic neruus fibras nerueas, ſtatim in initiis ſuis ſuppeditat, oritur inſignis ramus mere ſubcutaneus, et in cute etiam finitus, a nemine hactenus annotatus. *Ramum ſuperficialem* mediani appellat. Certus numerus ramorum ex trunco mediani ortorum vix, natura non conſentiente, iniri poteſt. Enarrationem tamen et deſcriptionem Cl[i] CAMPERI naturae conuenientiſſimam inuenit.

Axillari neruo breuiter pertractato, *radialis* deſcribitur. Hic neruus frequentes ramos inter pollicem et indicem digitum demittit. Hoc cautum fecit

fecit Ill. WRISBERGIUM in adminiſtranda variolarum ſecundum methodum Waglero - Gattianam inſitione.

Quinto capite *neruus cutaneus internus minor*, *vel vlnaris*, deſcribitur, qui cum cubitali connexus eſt ex eodemque pariter originem capit, vti cutaneus ſecundus, ſeu internus plerorumque auctorum, tertius neruus cutaneus verus et conſtans ab aliis praeteruiſus ab Ill. WRISBERGIO *cutaneus minor internus* dictus. Hunc neruum nec optimae tabulae, nec accuratiſſimae deſcriptiones exhibent. Paucis eum VIEUSSENIUS tetigiſſe videtur. p. 35.

Originem ducit nouus hic neruus ex communi illo neruorum faſciculo, qui medianum, muſculocutaneum, cutaneum internum maiorem et cubitalem gignit, cum cubitalis fibris praecipue connexus. Derelinquit cubitalem ad altitudinem plus quam pollicis, ſupra egreſſum cutanei interni maioris, ipſo hoc cutaneo medio paullo tantum minor. Dirigitur ſtatim verſus interiorem humeri partem et venam axillarem grandem, cui fortiter annexus eſt. Procedit dein ad anteriorem latiſſimi dorſi, teretis maioris et anconaei longiſſimi partem. In regione arteriae brachii profundae truncus in duos ramos dehiſcit: minor, *poſterior*, in poſteriorem cutem tranſit: maior, *interior* et *anterior* nominandus, in interuallo, quod caput primum et ſecundum anconaei relinquit, immediate ſub cute deſcendit, cubitali neruo fere parallelus, verſus tendinem communem extenſoris cubiti et proceſſum anconaeum vlnae excurrit et in eo itinere vix ſurculum emittit, tacto autem extenſoris cubiti communis tendine repetitis diuiſionibus in cutem diuiditur.

Laeſionibus et irritationibus huius nerui graues et acutos dolores adſcribendos Cl. Auctor putat,

tat, ſi externae laeſiones regionem anconaeam adfecerint.

p. 43. Cubitalis nerui primum conſtantem ramum ſubcutaneum ex cubitali Noſter adpellat: quartus ramus, praecedentibus maior conſtans egregiusque propter nexum cum arteria vlnari praecipua attentione dignus, a WINSLOVIO aliquantiſper tactus, a recentioribus vero neglectus eſt.

Neruus cutaneus internus cum mediano commercium habet. Sequitur tabulae elegantiſſimae, exactiſſimae explicatio fuſa.

Propria tantum quaedam, quae in praeclaro libro continentur, excerpſimus: Quae ad deſcriptionem neruorum admodum exacte factam pertinent, extrahi vix patiuntur.

XXVII.

ULRICH CHRISTOPH SALCHOW *beſchreibt die vierzigjährige, ſehr merkwürdige Krankheit des Herrn Etatsraths* VON JESSEN, *über deren Urſache die Meynungen der Aerzte bis an ſeinen Tod getheilt geweſen ſind. Altona, bey Hellmann.* 1784. *in* 8. *mit einem Kupfer.* 131 *pagg.*

i. e.

Hiſtoria morbi admodum notabilis per XL annos perdurantis auctore VLR. CHR. SALCHOW.

Virum a calculoſo patre progeneratum conamina haemorrhoidalia ſaepe vexarunt, poſtea mictum cruentum expertus eſt. Deceſſerunt et mucoſae per vrinam haemorrhoides. Anno 1742 ſubito ingenti lumborum dolore correptus eſt, quem ELLERUS pro haemorrhoidalibus conaminibus habuit, anno 1754 dolores recruduerunt, cum

inſigni

inſigni perinaei, ani et vrethrae, durante lotii emiſſione, dolore. Ab anno 1763 dolor lumborum intenſus non fuit; conqueſtus aeger tantum de lancinante dolore eſt, dum lotium mitteret. Adfuit in perinaeo ſimul induratio, aluus dum deponeretur, teneſmus. Subinde dolor intenſiſſimus redditus eſt, vrina guttatim profluente. Vrina ſedimentum albidum, copioſum, denſum demiſit. Ex tali ſedimento leuamen morbi. Arena in lotio nulla, calculoſae diſpoſitionis nulla veſtigia. Attamen adſeritur, calculos minutos, rubicun- p. 13. dos, ſaepe deceſſiſſe. Diuiſa ſtatim medicorum opinio fuit, alii calculum adeſſe, alii deeſſe, adſeruerunt. Cathetere nil calculoſi detectum. Calculoſam renum diſpoſitionem et haemorrhoidalia conamina WERLHOFIUS accuſauit. Vuae vrſi herbam commendauit, quae et ad tempus proficua fuit. Vlcera veſicae alii accuſarunt; craſſiora tamen veſicae vrinariae latera, examine cum cathetere inſtituto, inuenta ſunt.

Frater aegri eodem modo adfectus demum p. 74. periit. In veſica nullus calculus inuentus eſt, ſed peritonaeum cum veſica vrinaria in regione ſuper oſſe pubis ſita firmiter coalitum, veſica admodum diſtenta, lateribus craſſitie digitum aequantibus, proſtata tumida, dura, vreteres dilatati, in renibus puris inſignis copia reperta ſunt.

Aegri ſtatus per plures annos morbidus quidem, ſed doloris expers fuit. Tandem anno 1780 ſubito renis ſiniſtri dolore tanto correptus eſt, vt vix ſellae inſidere poſſet. Eum oleum caieput cum liquore anodyno minerali HOFFMANNI ſedauit.

Vltimo morbo perfrigerium origines dedit, idque excipiens catarrhalis febris, cum pertinaciſſima tuſſi, conatus ad vrinam emittendam perpetuos excitante coniuncta. Haec ſymptomata omnia ri-

cini oleum egregie ſedauit. Tandem ſummis doloribus emaciatus et perpetuis ad vrinam conaminibus, guttis vrinae ſanguineae, ichoroſae redditis, vomituque continuo a renum forte exulceratione vexatus, ſupremum diem obiit.

Inciſo cadauere, ſiniſter ren concrementum lapideum, fabam referens, continuit, in dextro hydatides obſeruatae, ipſe vero materiam vlceroſam continuit. Vrinaria veſica calculum continuit $5\frac{1}{2}$ vncias pondere aequantem, reniformem. Proſtata glandula flaccida, interne ſuppurata fuit.

XXVIII.

LEOPOLD M. A. CALDANI'S, *Lehrers der theoretiſchen Arzneykunde und Zergliederungskunſt zu Padua — Phyſiologie des menſchlichen Körpers, aus dem Lateiniſchen überſezt, und mit Anmerkungen und einer Vorrede begleitet von* FRANZ AMBROS REUSS, *der W. W. und Arzneyk. D. Prag, bey Goerle,* 1784. *in* 8. 582 *pagg.*

i. e.

LEOP. M. A. CALDANII phyſiologia corporis humani, ex latino ſermone translata cum annotationibus. —

Merita CALDANII in rebus phyſiologicis ſumma et latinorum exemplorum in Germania raritas editorem ad verſionem inſtituendam commouerunt. Accedit, quod compendia omnia phyſiologica aut rem nimis ſuccincte expeditam contineant, aut non quae in ipſa natura humana agantur, ſed proprias auctorum opiniones, ſubinde veritati contrarias, contineant, in quam culpam inprimis Cl. JADELOT ex editoris mente incidit. Annotata editoris ſatis copioſa excerpta potiſſimum

ex

ex auctoribus continent, proprii parum. Verſio ALEXANDRO BRAMBILLAE, Auguſtiſſ. Imperatoris chirurgo primario, inſcripta eſt, et in chirurgorum inprimis, latinae linguae ignarorum, vſum edita.

XXIX.

Fortgeſezte Nachricht von einem merkwürdigen mediciniſchen Rechtshandel in Münſter, nebſt der Behandlung des vom Bonniſchen Collegio medico am 8ten Jul. 1782 geſprochenen Urtheils. — Dresden und Leipzig. 1784. in 8. 62 pagg.

i. e.

Litis medicae iudicialis hiſtoria continuata. —

Rixarum hiſtoriam continet inter medicos Monaſterienſes WIRTENSOHN et FRIES motarum. Ius penes WIRTENSOHNUM ſtetit, veritatem ex FRIESII partibus fuiſſe in hoc opuſculo adſeritur. Ex tota contentione hoc patet, quod in regionibus, quae legum medicarum celebritate quadam gaudent, aequitas medica ſubinde rara, ius ambiguum ſit.

XXX.

Mémoires de la Societé des ſciences phyſiques de Lauſanne. Tom. prémier. An. 1783. à Lauſanne, chez Mourer. 1784. 4. p. 322.

i. e.

Acta Societatis ſcientiarum naturalium Lauſannenſis. Tom. I.

Societas haec aliarum, quas Heluetia iam produxit, aemula phyſicam praeſertim, quam vulgo appellamus, chemiam et hiſtoriam naturalem vlterius excolendi finem ſibi propoſuit, et ſi quidem ex primo hoc publico teſtimonio iudicare liceat, non ſpernendos ſuae diligentiae ſpondet fructus.

p. 1. De decompoſitione et noua compoſitione lapidum ope virium naturalium peracta, auct. Com. G. de RASUMOWSKI. Comprehendit ſcilicet ſub nomine virium naturalium vires aëris, aquae et ignis, et multa exempla rupium et montium earum vi arroſarum et deſtructarum enumerat; perſuadet ſibi Illuſtriſſ. Auct. non niſi humidi aut aquae interuentu ſalia in aërem recipi poſſe, et aërem ſolum vix aliquid in deſtruendis petris et montibus efficere; conatus id praecipue exemplo muri cuiusdam ex lapide arenario, cuius generis argilla caementi inſtar eſt, exſtructi prope vrbem Lauſannenſem probare: Nos, quamuis concedamus, in hoc caſu, aquam, qua aër in hunc locum per ventum adfectus grauidus erat, multum ad hunc murum deſtruendum feciſſe, et aërem aquae conſortio ſtipatum celerius validiusque agere, quam quidem aërem ſolum, vix tamen, tot aliis exemplis refragantibus, impetrare nobis poſſumus, vt credamus, aëris ſolius in mutationibus iſtis producendis vim nullam eſſe.

p. 9. Tabula animalium quadrupedum, ad ordinem affinitatum naturalium compoſita, commentario vberiori explicata, Auctore I. P. BERTHOUT VAN BERCHEM. Miramur eruditionem egregii iuuenis, qui, ſi eo tramite pergat, hiſtoriae animalium multa eaque eximia pollicetur; dolemus tamen, quod ex lectione huius libelli coniicimus, libros potius legiſſe, quam naturam ipſam, et inter libros, qui in eundem cum ipſo collimabant

bant ſcopum, non paucos, praeſertim germanorum noſtrorum naturae ſcrutatorum neglexiſſe. Diſpoſuit animalia quadrupeda 1) in ea, quae duobus et pedibus et manibus gaudent, qualis eſt homo; 2) in ea, quae quatuor manus habent, quo refert ſimias; 3) in quadrupeda ambigua fiſſis pedibus, quae pedibus anterioribus ad inſtar manuum adhibitis cibos ad os admouent; huc refert glires LINNAEI; 4) in quadrupeda proprie dicta fiſſis pedibus, quo feras refert; 5) in quadrupeda pedibus bifidis; hic pleraque animalia domeſtica atque edulia, et reliqua ruminantia militant; 6) in quadrupeda pedibus vngulatis, hic, quo iure, neſcimus, etiam bradypi; tranſitum porro ad adfines animalium claſſes declarare conatur; diſſerit de cauſis varietatis hominum, tum de natiuis varietatibus, quarum nouem ſtatuit: 1) lapponicam; 2) tataricam, quam tamen non ſatis a priori diſterminat; 3) ſinenſem, quo etiam incolas Iauae refert; 4) incolas inſularum Formoſae et Marianarum; 5) Europaeam; 6) incolas Moluccarum, Aſiae meridionalis et Africae ſeptentrionalis; 7) nigram; 8) cafram; 9) Americae meridionalis. Animal Gnou tranſitum facere a boue ad equum, camelopardalin a camelo ad ceruos.

Deſcriptio machinae igne agitatae, ad eleuandam absque piſtilli ope aquam, atque exſiccandas, quae lacubus Neocomenſi, Biennenſi et Moratenſi interſitae ſunt, vligines accommodatae, auct. *François;* adiuncta ſimul icone. p. 51.

Conſideratio foſſilis, *belemnitae* dicti, et petrefactorum quarzoſorum, vna cum coniecturis quibusdam formationem rupium primitiuarum ſpectantibus, auct. Com. G. de RASUMOWSKI. Enarrat primo, quae alii iam de belemnitae origine aut ſomniarunt, aut verius dixerunt; WALCHIO tamen p. 54.

 et

et SCHMIDELIO, qui multum ſane in enucleanda iſtius foſſilis origine elaborarunt, ne nominatis quidem: Naturam belemnitae ſemper eandem eſſe; neſcimus equidem, quid hoc ſibi velit, habemus autem ipſimet belemnitas in lapidem calcareum, alios in lapidem ſuillum conuerſos, alios pyritas, alios ferri minera calciformi factos; archetypum belemnitae non poſſe eſſe teſtaceum quoddam orthoceratitae aemulum, quia indubitata non raro cernuntur veſtigia, mollem olim fuiſſe; habemus tamen cochleas et conchas dura ſatis teſta munitas, quae quum inter foſſilia comparent, compreſſa quaſi videntur; annon veriſimile eſt, belemnitae teſtae, probabiliter longe teneriori, idem accidiſſe? alios belemnitae archetypos nudos ac liberos, alios teſta munitos maria olim peragraſſe. Molles etiam animalium partes, imo integra id genus animalia, a natura nonnunquam in lapidem conuerti, multis exemplis adſtruit; nollemus tamen alcyonia huc referre; quae enim inter foſſilia vulgo hoc nomine inſignita ſunt, archetypos ſuos in molli Alcyonii LINN. genere habere, perquam dubitamus. Belemnites ſubdiaphanus, quem Illuſtriſſ. Auctor in Ruſſia minori deprehendit, et tanquam ſpecimen belemnitae teſta ſua orbati deſcribit: Belemnites ex monte Iura, forma ſua fuſum aemulans, cuius archetypus animal non teſtaceum fuiſſe Auctori videtur. Forſan archetypum belemnitae adhuc in maribus noſtris verſari, quamuis hactenus ignoratum. Memorat praeterea lignum in lapidem argillaceum mutatum in Finnia ſuecica, in lapidem arenarium in Ruſſia meridionali repertum, lignum a vermibus adroſum in quarzum lacteum conuerſum in littore Belgiae deprehenſum, quod poſterius etiam icone illuſtratum exhibet; errat tamen, ſi praeter GESNERUM neminem deſcripſiſſe lignum

aut

aut alia in quarzum conuerſa putat; praeter alios plura eiusmodi deſignarunt Eques Nobilis a BORN et Clariſſ. FUCHS. Omnes geologos hodiernos, duce Illuſtriſſ. Com. a BUFFON, montes noſtros primarios pro opere fuſionis vitri praeparationi aemulae habere, falſo ſibi perſuadet Auctor; ipſe putat, mundum noſtrum ante creationem non fuiſſe, niſi turbinem materiae, omnia corporum principia ſegregata continentem, et multum certe accedit eius explicatio ei, quam Generoſ. a GLEICHEN haud ita pridem ſuggeſſit; quos appellamus primarios, eſſe quidem antiquiſſimos montes, ſed quemadmodum reliqui, ex ſedimento natos; continere igitur poſſe corpora organica, in lapidem commutata.

Deſcriptio ſpecierum quarundam nouarum aut minus cognitarum roſae, et nouae ſpeciei aceris (quarum etiam icones exhibentur,) auct. REYNIER. Multum vtique laboris huic generi impendiſſe videtur Clariſſ. auctor, ſed difficile vtique erit, quamdiu, quinam ſint conſtantes characteres, in alio atque alio ſolo, coelo, hortulani artificio inuariabiles, cum plena certitudine nondum ſit determinatum: tres hic deſcribit, quas putat, ſingulares a LINNEO nondum definitas roſae ſpecies; 1) *vernam*, alias maialem a florendi tempore dictam, in locis montoſis et ſterilibus, et prope Lauſannam in loco Roſiaz creſcentem, roſae alpinae ſatis adfinem, aſt ſpinis, caule minus ramoſo, ramis longioribus, fructu globoſo ſtipulis inuoluto diſcrepantem; 2) *repentem*, in locis pariter ſterilibus et ad ſepes naſcentem, ad eam, quam HALLERUS Hiſt. ſtirp. Heluet. indig. n. 1102 prope accedentem, ſtylis tamen glabris, et caule repente (humilem etiam tribuit ſuae HALLERUS) ab ea diuerſam; et 3) *multifloram*, in ſepibus et lucis vallium alpinarum prouenientem, foliis obſcurius virentibus a p. *67*.

canina, cui propior eſt, floribus corymboſis ab omnibus reliquis roſae ſpeciebus diſtinguendam. Accedit ſpecies aceris, ab Auctore *Acer vernum* nuncupata, et in rupibus ad pedem alpium protuberantibus naſcens, ala, qua ſemina cingantur, a reliquis ſpeciebus facile diſcernenda; non enim lateribus adhaeret, ſed apici.

p. 72. Deſcriptio noui lapidis, oculus mundi dicti, auct. Com. G. de RASUMOWSKI. Enumerat experimenta, quae cum eiusmodi lapide, qui, dum ſiccus erat, lactis opacitatem et colorem mentiebatur, ipſe inſtituit. Euentus idem fuit, quem in ſuis experimentis viderunt b. DELIUS et Ill. BRÜCKMANNUS.

p. 76. Iter in regionem Vevaci et partem Valeſiae inferioris ſuſceptum ac delineatum a Com. G. de RASUMOWSKI: Inter pagum S. Saphorin et oppidum Cully rupes brecciae, vt loqui amant, ex fragmentis marmoris viridis, baſaltae (vel potius ſchoerli) petroſilicis, et lapidis arenarii inter ſe conglutinatis compoſitae; deriuat illas Illuſtriſſ. Auctor a calcarea Iurae montium catena, quae vallem, in qua lacus Moratenſis iacet, cingit. Mons calcareus *Thomay*, ex quo torrens *de Baen* oritur; in apice eius, prouti etiam infra templum pagi Montreux, rupes tufacea, *Seque-plian* dicta, ex cuius vertice pluuiae ad inſtar in peluim ad radicem eius poſitam delabitur aqua, muſcos ibi vegetantes cortice lapideo hinc inde quaſi ex globulis conflato obducens. In vliginibus *Chautin* aqua hepar ſulphuris ſapiens. Inter pagum Goita et arcem Chillon ſtrata marmoris nigri venis albis variegati. Amoena vallis, quam Rhodanus percurrit, ab initio ob vligines inſalubris videtur; prope Aigle innumera lapidum rotundata fragmenta, quae fluuium iſtum a ſummis alpibus procedere ſatis ſuperque teſtantur; vallis iſta ab oppido Bex ad urbem S.

Maurice magis magisque anguſtatur; prope poſteriorem tres rivi Rhodano ſe immergunt, quorum aqua amara eſt et nigricans. Prope pagum Vionne primum apparuit Auctori ſaxum fornacum, ex quo magna montium valeſiacorum catena conſtare ipſi videbatur, quamuis duritie, mutua partium proportione, micae colore perquam vario; dubitamus tamen, *veri* granitae venis, vti Ill. Auct. vult, vnquam fuiſſe variegatum; prope cataractam *Piſſevache* rimas eius aſphalto oppletas reperit, impuro quidem, flammam tamen ſatis facile concipiente: prope *Martigny* montes ex ſaxo cotario conflatos eſſe deprehendit; eo loco, quo arx Batia ſita eſt, ſtrata alabaſtri ſpurii albi et teneri, et prope pagum Charraz egregium gypſum arenarium, quod effoditur. Torrens Dranoſa enormes maſſas ex montibus ſecum rapit, pleraſque granite conſtantes, licet montes proxime cingentes ex ſaxo fornacum conſtent. Prope *S. Branchier* metallifodina, acceſſu tamen adeo difficili, vt galena, per quarzum granulatum diſſeminata, vix effodi cum fructu queat. Montes vallem prope *Bagnes* circumuallantes, ſtrato ardeſiae tegularis, in Valeſia ad inſtruenda aedificiorum tegmina ſatis vulgatae, tecti: prope vicum *Chaux de Serrage* metallifodina, ex qua cobalti minerae variae eruuntur; inter S. Branchier et Bagnes fodina, ex qua argenti viui minerae prodeunt: prope *Lidoles* aurifodina, in qua poſteriore regione, et quidem in valle monti S. Bernardi finitima cobalti quoque et arſenici minerae inueniuntur: in Valeſia quoque ſuperiori fodinae, altera plumbi, altera cobalti, haud ita pridem colebantur.

De reagentibus, et eorum vſu in analyſi aqua- p. 95.
rum mineralium, auct. STRUVE. Primo definit dexterrimus Auct., quid ſub eo nomine intelligi

velit, et putat, nomen iſtud denotare omnia, quae talem effectum in aquam mineralem edunt, et ex eo ad partes aquam ingredientes concludi queat; percurrit eo fine ea corpora, quae nuperius b. BERGMANN eo titulo commendauit, et cautelas quasdam, tum in praeparandis, tum in adhibendis illis neceſſarias, proponit. Chartam ſucco heliotropii tinctam rubeſcere etiam, ſi aquae acido aëreo praegnanti immittatur; calcarea terra, aëre fixo onuſta, non immutari colorem, quem curcuma aut aquae, aut chartae conciliauit, ea tamen, quemadmodum etiam magneſia, mutari colorem a ligno fernambuco impertitum, ipſumque ruborem, quem ab aceto contraxit heliotropii ſuccus. Ferri, ſi quidem dephlogiſticatum ſit, praeſentiam tinctura gallarum non indicari; conducere autem e. g. in eo etiam caſu, vbi certi eſſe volumus, num omne ferrum acido aëreo diſſolutum ſit; tunc enim, poſtquam aquae calcis ope omnis aër fixus ſegregatus eſt, ad illud detegendum adfunditur; alium etiam colorem producere, ſi aqua praeter acidum aëreum et ferrum nihil; alium, ſi praeterea adhuc alcali contineat. Alcali phlogiſticato, ſi quidem bene praeparatum, inprimis cum alcali cauſtico paratum ſit, ferrum ex acido aëreo non deturbari poſſe; poſſe igitur ea ratione explorari, an ferrum eius acidi, an alius cuiusdam ope in aqua diſſolutum ſit; ceterum eo ferrum quoque dephlogiſticatum deiici; debere autem parcam eius copiam inſigni aquae copiae ſemel et ſimul adfundi: Parciſſimam acidi nitroſi adhuc adhaerentis copiam efficere poſſe, vt acidum ſacchari non omnem ex aqua, ſi praeſertim parca inſit copia, praecipitet terram calcaream: Terram ponderoſam ſalitam fallere interdum poſſe: Vt ſciamus, an argentum vel argentum viuum ex acido nitri per alcali, aquae inhaerens, vtrum

vtrum per acidum ſalis praecipitetur, opus eſſe, vt ſolutio praedominans habeat acidum, quo, ſi quando adſit, ſaturari illud alcali queat; quod vitrioli acidum ex ea ſolutione deturbet, lente pulueris ſpecie ſubſidere; aquam calcis ab alcali fixo efferueſcente perinde turbari, ac ab aëre fixo. Alcohol vini nequaquam omnia ex aqua praecipitare ſalia, quae ſpiritu vini non ſoluuntur, quo Clariſſ. Auctor praeter ſalia vitriolica atque alcalia fixa efferueſcentia omnia media refert, quae ex connubio cuiuscunque acidi mineralis cum alcali nata ſunt, et praeter tartarum vitriolatum, ſeleniten et ſalem mirabilem Glauberi nullum, et de his etiam aliquid in latice ſupernatante remanere: Quod ex argenti viui in aqua forti facta ſolutione ope acidi vitriolici praecipitatur, ſuperadfuſa aqua bulliente flaueſcere; ſelenitae vel parciſſimam copiam ea ſolutione celerius prodi, quam quidem terra ponderoſa ſalita; niſi aqua vitriolici ſalis quid contineat, materiam extractiuam nullam huic ſolutioni inducere mutationem; ſi praedominetur in ea acidum, et ſolutio in calore parata ſit, eas ſolummodo aquas nigrum praecipitare ſedimentum, quae hepar ſulphuris continent; eandem mutationem etiam inducere ſolutioni mercurii ſublimati corroſiui albi, quae tamen, ſi cum aquis aëre hepatico foetis confundatur, album deponit ſedimentum. Etiam ab aqua verum ſulphuris hepar continente arſenicum album flaueſcere, ſed lentius, quam ab aqua aëre hepatico grauida. Alcali volatile cauſticum eo etiam nomine in examinandis aquis mineralibus egregium eſſe, quod ferrum forma metallica praecipitet; ſaturni ſaccharo, martis vitriolo, ſapone carere nos poſſe; vitrioli concentrato acido acidum aëreum non ſemper extricari. Praeter haec a b. BERGMANNO eum in finem iam commendata corpora

pora ad manifeſtandum alcali fixum ſalem amarum, aut vitriolicum, aut, ſi omne vitrioli acidum abeſſe debeat, muriaticum, eo, quod neque terris, neque ſalibus vitriolicis in aqua haerentibus decomponi poſſit, et, modo aqua antea ad dimidium vsque incocta fuerit, ſalem armoniacum praedicat; ſi alcali volatilis nullum euidens ſatis indicium ſe prodat, iubet ſupra vitrum, in quo commixtio facta fuit, obturaculum vitreum, debili ſalis acido madidum teneri, quod, ſi cum alcali volatili in contactum veniat, ſtatim fumabit; acido ſacchari nudo ad decomponenda ſalia calcarea praefert alcali ſaccharatum; hepati ſulphuris vulgari ſpiritum fumantem Beguini, ſaponi factam eius in vini ſpiritu ſolutionem, ſaccharo ſaturni plumbum acido nitri ſolutum, martis vitriolo vitriolum cupri; ad decomponendum alumen, ſi quando inhaereat, iubet aquam in vaſe aeneo coqui.

p. 110. Libellus de nebulis electricis Iunio et Iulio anni 1783 viſis, et de terrae motu die 6. Iul. eiusdem anni Lauſonii obſeruato, auct. Dr. VERDEIL. Accuratiſſimis obſeruationibus tum tempeſtatem anni mox praecedentis, tum praegreſſam anni eiusdem, tum rem ipſam, cuius in inſcriptione fit mentio, barometro, thermometro, hygrometro, electrometro ipſisque reagentibus chemicis inſtitutis illuſtrat, et euidentiſſime praeſertim demonſtrat, non ex Calabria adueniſſe admirandum illud meteoron, quum interſitae regiones multae nihil, aliae magis adhuc ad ſeptentrionem vergentes citius id conſpexerint: Neque humida erat nebula, neque alias nociuas in ſe habebat partes; nec ſapore vllo, neque odore imbuta, magis transparens, quam aliae conſuetae nebulae: Altitudo mercurii in barometro et thermometro per omne illud tempus, quo nebula iſta aërem obſcurabat, ter de die notata;

notata; in illo maxima per omne illud tempus erat $10 + \frac{8}{12}$ lineam vltra 26 pollices, minima vix tres $\frac{3}{12}$ lineas vltra 26 pollices, minor, quam quidem vnquam per decem praegreſſos annos Lauſonii fuerat obſeruata: Calorem minimum per omne illud tempus thermometrum in modum Clariſſ. DE LUC fabrefactum denotabat 9°, maximum 22°. De ventis eo tempore aërem agitantibus; de immenſa extenſione illius nebulae. Motus terrae duabus ſe prodebat concuſſionibus, alia atque alia vi in aliis atque aliis Lauſonii regionibus agentibus; barometro nullam in aëris grauitate factam mutationem, thermometro caloris imminutionem monſtrante, ventis nequaquam mutatis, nebula euaneſcente, poſt reduce. Deducit Clariſſ. Auctor nebulam iſtam ab aqua, magna eo tempore copia et in terra et in aqua latente, caloris adminiculo in vapores eleuata, et fluidi electrici in ſuperioribus aëris prouinciis accumulati ope in ea forma conſeruata; eius enim inſignem penum in nebula ipſa adfuiſſe, experimentis demonſtrat; a ſubito, qua nebula gaudebat, electricitatis augmento et quaſi ſuperſaturatione proueniſſe illum terrae motum ſibi perſuadet; excedentem enim iſtius fluidi copiam, quum adhaerere globulis iſtis vaporum non amplius poſſet, ſubito terram intraſſe, illos ſecum abripuiſſe, et transeundo per alias atque alias in terrae ſinu deliteſcentes materias fulminis ad inſtar concuſſiones illas excitaſſe.

Obſeruationes de modo praeparandi nonnulla p. 138.
reagentia, ad examen aquarum mineralium adhibita, auct. STRUVE. Docet hic ſagaciſſimus Auctor magna cum cura, quae exempli loco eſſe poteſt, parationem alcali phlogiſticati, alcali fixi aërati, alcali volatilis tam aërati, quam cauſtici, acidi ſacchari, nitri et vitrioli concentrati, ſolutionis vi-

trioli

trioli martis in aqua, argenti et plumbi in acido nitri, ſalis amari et ſalium, quae terra ponderoſa ingreditur, alcoholis vini, ſpiritus ſaponis, chartae tinctae, et tincturae gallarum; certiſſimum enim eſt, diſcrimen in examine eiusdem aquae a pluribus ſuſcepto potiſſimum ab incuria reagentium confectione pendere. Praeparat autem ſibi alcali phlogiſticatum Clariſſ. Auctor ſequentem in modum: digerit caerulei Berolinenſis (procul dubio contuſi) maiorem copiam, quam quidem ad ſaturandum alcali opus eſt, (nonne potius eſſet pondus eius certius definire) cum lixiuio cauſtico, (quam diu?) traiicit liquorem per filtrum, et traiecto pauxillum acidi cuiusdam adfundit; vnde caeruleſcit; ſuperfundit nunc omnem calci viuae in puluerem tuſae, ſubinde cum ea agitando; horis aliquot elapſis denuo per triplicatam chartam griſeam traiicit, et ſi tranſire renuit, parca aqua calida (an diſtillata?) diluit; quod nunc per chartam transpluit, ab acidis ne hilum quidem mutatur, et ne miculam quidem ferri continet; et ſi quando propter nimiam chartae laxitatem quaedam ferri particulae una transeunt, mox in fundum cadunt. Commendat etiam loco lixiuii cauſtici aquam calcis et magis adhuc alcali volatile cauſticum, tum quod facilius ea puritate, qua hic opus eſt, haberi poſſit, tum quod materiam tingentem multo potentius extrahat, tum quod non adeo facile atteratur; quod vt in alcali, priori ratione phlogiſticato, euitet, ad ſiccitatem vsque inſpiſſatum in lagenulis vitreis firmiſſime obturatis aſſeruat, et ſi adhibere velit, pauxillum eius in aqua pluuiali diſtillata diſſoluit: addito vini puriſſimo ſpiritu praecaueri id non poſſe, ſibi perſuadet: Vt omne metallum praecipitetur, iubet huic alcali, antequam adhibeatur, aliquantum acidi cuiusdam, ſed puriſſimi, addi;

addi; plerumque enim acida, quae audiunt mineralia, ferro eſſe inquinata. Acidum ſacchari etiam cum aqua forti vulgari parat, ſex ad octo eius partes cum vna ſacchari igni et retortae committendo, adfundendo toties latici cryſtallis ſupernatanti nouum acidum, donec nullae amplius ex eo prodeant; omnes cryſtallos, vt ab omni nitro acido liberet, toties aqua diſtillata ſoluit et denuo in cryſtallos cogit, donec nullum amplius acidi nitroſi odorem eructent, et forma ſicca adhibet: Ad acidum nitri puriſſimum obtinendum, non iubet modo nitrum puriſſimum ſumi, et retortae collum a vitrioli acido liberari, ſed ad huius vnam partem tres illius recipi. Argentum, quamuis facie metallica indutum, modo ſubtiliſſime diuiſum ſit, in cupri conſortio tum aceto, tum alcali volatili cauſtico ſolui; ad ſoluendum plumbum opus eſſe acido nitri temperato, ſi quidem tam forte ſit, vt dimidium ſui ponderis argenti ſoluat, duas eius partes tribus vel quatuor aquae diluendas eſſe; absque calore externo paratam praefert Auctor aliis: id examine aquarum acidum ex vitriolo, non ex ſulphure extractum, quippe longe impurius, adhibendum eſſe; ad probum alcohol impetrandum, ex vino parandum, et modo, a LUDOLFO deſcripto, aliquoties de aqua abſtrahendum eſſe; ad ſpiritum ſaponis parandum non conducere ſaponem cum pinguedine quadam animali confectum. Ad ſeparandam ex ſpato ponderoſo terram carbonum puluere addito opus quidem eſſe, ſi alcali adhibeatur cauſticum, non autem ſi vulgari vtamur, et antequam adfundatur acidum, materiam igne toſtam aquae ope eluendam eſſe: Vt ſolutio vitrioli ferrei non contineat, niſi ferrum phlogiſticatum, quatuor partes vitrioli ferrei cum vna parte ſcobis ferreae in ſedecim partibus aquae coqui, et elapſis 8 - 10 minutis

nutis per chartam traiici iubet Clariſſ. Auctor. Vt alcali fixum purum habeat, tartarum crudum in carbonem conuerſum, poſtquam refriguit, cum aqua coquit, lixiuium ad ſiccitatem inſpiſſat, in aqua aëre fixo ſaturata ſoluit, et in cryſtallos cogit; ad parandum alcali volatile aëratum ſalem ammoniacum cum quatuor cinerum clauellatorum, ad parandum cauſticum cum calcis viuae quatuor partibus igni committit; poſteriorem tamen prius ea aquae copia exſtinguit, qua opus eſt, vt in puluerem dilabatur.

p. 149. Deſcriptio nouae minerae ferri albae, auct. Com. G. de RASUMOWSKI. Ex Sina in Belgium venerat externo habitu lapidem potius referens, quam mineram, licet ſatis ponderoſa; proxime certe accedere videtur ad alabaſtrum, quod recentiores calcareum appellare geſtiunt; manifeſta tamen, ſiue ſicca, ſiue humida tractetur via, ferri largius inhaerentis indicia praebet.

p. 152. Deſcriptio ſpecierum nonnullarum geranii, auct. REYNIER. Illuſtrat hiſtoriam et differentiam *geraniorum diſſecti*, *columbini*, *puſilli*, *rotundifolii et mollis;* adiicit ſpeciem *maluaefoliam*, quae a BAUHINO et TOURNEFORTIO iam memorata, a b. LINNEO omiſſa ipſi videtur, ad vias, in vallibus alpinis, et in ipſis alpibus obuia, maiore omnium partium, et florum inprimis ambitu primo iam intuitu a puſillo diſcrepans.

p. 158. Obſeruationes et experimenta, occaſione eccleſiae cathedralis Lauſonienſis fulmine ictae inſtituta, auct. VERDEIL. Praeter exactiſſimam omnium, quas fulmen produxit, mutationum enarrationem, et egregia ex iis deducta corollaria, memorat etiam, quae ferro eius vi percuſſo contigerint; aliquae tantummodo eius quaſi ſquamae magnetis indolem nactae erant.

Conſide-

Conſideratio generalis atque obſeruationes nouae examen aquarum mineralium ſpectantes, auct. STRUVE. Diſcrimen inter particulas in aqua ſuſpenſas et in ea vere diſſolutas, enumeratio earum, quae in alterutro ſtatu frequentius occurrunt; nitrum, quamuis non ignoremus, dari aquas, quibus indubie inhaeret, his frequentioribus accenſere aquarum contentis, nos dubitaremus, quemadmodum etiam poſtea Clar. Auctor inter ea allegat, quae paulo rarius occurrunt. Diſpeſcit ſcrutinium aquarum mineralium 1) in illud, quod fit per ſenſus; 2) in illud, quod fit ope reagentium; 3) in illud, quod fit analyſi; ſigna eorum, quae aqua continet, ex minore vel maiore pelluciditate, permanente aut fugaci, ex colore, praeſertim ſedimenti in receptaculis; ſigna inhaerentis ſulphuris (et, ſi quidem abundet aëris fixi) ex odore; ſigna ex ſapore aquae depromta. Examen per reagentia debet inſtitui cum aqua eo momento, quo ex fonte hauſta eſt, cum aqua, quae, poſtquam hauſta eſt, per aliquot horas aëri libero expoſita ſtetit, cum aqua parumper inſpiſſata, et cum aqua, quae ebulliit, et traiiciendo per filtrum ſedimento depurata fuit. Modus detegendi in aquis materias alcalinas; aqua, quae recens colorem chartae fernambuco tinctae in caeruleſcentem commutat, et poſtquam ebulliit, aquam calcis, cui adfunditur, non turbat, terram quandam abſorbentem continet; modus in ſalia media genuina, terrena et metallica inquirendi; ferrum absque alius menſtrui interuentu nunquam obuenire in aquis; ſi alcali ſimul illis inſit, a gallarum infuſo potius rubeſcere, quam violae colorem adipiſci; ſuadet alcali phlogiſticatum acidulatum adhiberi; vt experiatur, an ferrum aquae inhaerens, dephlogiſticatum ſit, nec ne, iubet laminam chalybis politam aquae immitti, et hanc co- p. 178.

qui, donec media tantummodo eius pars ſuperſit; ambiguum valde nobis videtur arſenici praeſentis ſignum, ſi aurum ab aqua adfuſa poſt aliquod tempus forma metallica praecipitetur. Modus, quo ſulphuris hepar, aër hepaticus ac fixus in aqua manifeſtari poſſit; deſtrui a nitri acido adfuſo odorem, quem aqua hepate ſulphuris foeta ſpirat, augeri a vitrioli et ſalis culinaris acido; inſtituenda tamen eſſe haec experimenta cum magna aquae copia; ſi aqua non contineat niſi aërem hepaticum, neque vitrioli purum, neque ſalis acidum phlogiſticatum, odorem eadem, aut augent, aut minuunt, vel aquam turbidam reddunt. Multas aquas, v. g. thermas Valeſiae, et alias frigidas Aſtracaniae, quamuis non acidulas, aërem tamen fixum continere, quem ad fontem numeroſarum, aſt exiguarum bullarum forma cum ſibilo elidant. Nunc progreditur Auctor ad analyſin proprie ſic dictam, qua ſcilicet, quantum vniuscuiusque materiae in ſe complectatur aqua, definiri certo poſſit. Diuidit hanc ſectionem, reliquis, vti nobis quidem videtur, minus perfectam 1) in modum ſeparandi partes volaticas; 2) in modum ſeparandi eas partes, quae facile decomponuntur, aut ſeparationi reliquarum obſtant; 3) in modum ſeparandi partes fixas et inuariabiles. Vt aëris hepatici copiam determinet, vni portioni aquae nitri acidum adfundit, et pro ſingulo grano praecipitati inde ſulphuris quatuor illius aëris pollices numerat. Modo BERGMANNI aërem fixum aquae innidulantem vapores etiam aquoſos ſecum trans argentum viuum rapere, et hos in argenti viui ſuperficie in aquam condenſatos multum aëris fixi abſorbere, cuius praeterea portio, quae videlicet retortam replet, in calculum non veniat; potius igitur eſſe, aërem iſtum, calore ex aqua expulſum, trans aquam calcis agi, poſtea

cum

cum ea concuti, et pro 120 granis delabentis tum terrae calcareae 75 grana aëris fixi aſſumi. Poſſe etiam ad determinandam aëris fixi copiam, ſi quidem certum ſit, nullum inhaerere alcali, aquam absque ambagibus cum quatuor aquae calcis partibus commiſceri, et tum per filtrum traiici; ſi alcali ineſſe indicent reagentia, experimentum iſtud bis, cum aqua eo momento hauſta, et cum aqua, poſtquam ebulliit, inſtituendum, et quae in poſteriori periculo in fundum cadit terram, ab ea, quae in priori deiicitur, ſubtrahendam eſſe. Rationem partium ſal ammoniacum conſtituentium iuſtius indicatam eſſe a WENZELIO, quam quidem a b. BERGMANNO. Principiis, quae facile euaporatione poſſunt decomponi, accenſet Auctor ſulphuris hepar et ſalia metallica; haec igitur, antequam euaporatio fiat, ſegregari iubet. Salem ſedatiuum, quo tamen frequentius occurrit nitrum, cryſtalliſatione ſeparat a reliquis principiis, quae alcohol vini ſubeunt, calcaream terram ab acidis, quibus nupſit, ſacchari acido per alcali ſaturato, terram ponderoſam tartaro vitriolato in aqua diſtillata ſoluto, et his demum ſeparatis ope alcali cuiusdam fixi magneſiam. Ad determinandam alcali mineralis aquae inhaerentis copiam ſuadet, vt ſalis amari definita, ſed ſaturando illi alcali plus quam par, tripla aquae diſtillatae copia ſoluta cum aqua confundatur, et ex terra, quae in fundum deiicitur, alcali inhaerentis copia diiudicetur; magneſiam ſolutione in aqua aëre fixo impraegnata a terra aluminis ſeparat; ſalis Glauberi, quam aqua ex eo, quod poſt euaporationem aquae ſupereſt, extraxit, copiam adfuſo nitri acido terra ponderoſa ſaturato, ſalis communis adfuſa, poſtea argenti facta in eodem acido ſolutione definiri ſuadet. Seleniten ſeparari etiam poſſe a ferro ac terris puro ſalis communis acido, quod

praeter ſiliceam terram et ſeleniten reliqua omnia diſſoluat. Addit denique Clar. Auctor ex WENZELIO et BERGMANNO depromtas tabulas, quibus ratio partium alia atque alia ſalia media, terrena et metallica conſtituentium, portio aquae, et aëris fixi, quam continent, et illa, et magis adhuc alcalia et terrae, neceſſaria ad ſaturanda alia atque alia acida aliorum atque aliorum alcalium terrarumque copia, neceſſaria ad ſaturanda alcalia fixa pura tum acidorum, quae vulgo audiunt mineralia, tum aëris fixi copia, et denique metalli aliis atque aliis praecipitatis inhaerens copia determinatur.

p. 211. Tractatus de methodo peculiari, ſolanum tuberoſum et rapas colendi, auct. D. VAN BERCHEM patre. De commodis culturae iſtius in ſolum ipſum redundantibus; rapas linea recta ſeriebus ſolani interſeri iubet.

p. 218. Obſeruationes generales de climate Lauſonii, et euentus obſeruationum meteorologicarum ſpatio decem annorum in hac vrbe inſtitutarum, auct. VERDEIL. Egregia certe huius vrbis topographia medica; non enim ſolum exactiſſime notauit atmoſphaerae, ſiue grauitatem, ſiue calorem, ſiue ventos et alia meteora reſpicias, ſtatum ac variationes, et in tabulas redegit, quibus vno intuitu conſiderari illa poſſint, ſed ſequente tractatu.

p. 245. Obſeruationes de conſtitutione aëris et morbis per annum 1783 Lauſonii graſſatis easdem aliis atque aliis in locis eodem tempore factas continuauit, denuo per ſingulos menſes, ſingulis diebus notatis, in tabulas redigendo, morbos epidemicos, decurſum atque exitum, medicationem, quam inuenit feliciſſimam, mortes, quas intulerunt, maſcule atque ingenue deſcripſit, et numerum eorum, qui ſingulis menſibus defungebantur, adiecit.

XXXI.

Collection de mémoires chimiques et phyſiques par Mr. QUATREMER D'ISJONVAL. Tome prémier. á Paris. chez Didot le jeune. 1784. 4. p. 310.

h. e.

Collectio tractatuum chemicorum ac phyſicorum, auctore QUATREMER D'ISJONVAL. T. I.

Continet hic tomus quinque commentationes, quarum quatuor hiſtoriam naturalem ac chemiam ad agriculturam, artes et mercaturam adplicatam propius ſpectant.

Prima iam anno 1777 ab Academia Regia Scientiarum Pariſina praemio coronata analyſin et ſcrutinium chemicum pigmenti Indigo, quale vulgo in vſum rei tinctoriae venale proſtat, tradit. Primo deſcribit frutices, quae illud largiuntur, alterum genuinum (franc), alterum ſpurium (bâtard), tempus, modum, cautelas, quibus reſecantur, facilem eorum fermentationem, media, quibus iſta promoueri, prolongari, et nocentiſſima putrefactio arceri, pigmentum ipſum condenſari queat, agitationem ſcilicet, decantationem et quietem; inſtrumenta et vaſa, et officinas, quibus paratur, formatur atque exſiccatur. Deſtillatione in retorta vitrea loricata inſtituta, impetrauit Cl. Auctor ex iſtius pigmenti vnciis quatuor praeter carbonis ſpongioſi reſidui vncias duas et drachmas quatuor cum dimidia, aquam odoratam, ſpiritum alcalinum volatilem, et oleum empyreumaticum vireſcens, partim in aqua ſubſidens, partim ei ſupernatans; carbo aperto igne combuſtus non reliquit, niſi tres cinerum drachmas, cum acidis efferueſcentium, et manifeſta ferri contenti indicia prae ſe ferentibus; aci- p. 3.

 dis

dis vegetabilibus non mutari colorem indigo, expertum ſe eſſe teſtatur Clar. Auctor, neque, quod nobis quidem pigmentum cum alcali tartari et aqua parumper coquendo aliter viſum fuit, ab alcalibus neque volatilibus, neque fixis, quae, de quo nobis perſuadere vix poſſumus, ſi cum aliis experimentis comparemus, cum pigmento illo deſtillata, nullum extricaſſe volatile alcali Clar. Auctor aſſeuerat; viuaciorem, durabiliorem ac ſaturatiorem fieri lanae tincturam, profundius in omnem eius compagem penetrare, ſi ſolutioni indigo in ſex partibus olei vitrioli factae vna adhuc pars alcali fixi addatur. Vini ſpiritui perinde ac aetheri et aquae colorem fuluum impertitur indigo, colore ipſius natiuo inde intenſiore reddito, et ſplendidiore, ita, vt indigo dominicenſis nunc guatimalenſi penitus eſſet ſimilis; iuſtiſſime ex his concludit Clar. Auctor, particulas eas haec fluida tingentes non eſſe niſi reſiduum particularum flauarum, quas caeruleis miſtas in fermentante indigofera herba, continua agitatione ſeparare animus eſt; quo plus materiae iſtius ſupra dicti latices extrahunt, eo deterius, quo minus, eo melius eſt noſtrum pigmentum; ſuadet propterea Clar. Auctor tinctoribus, vt emendent ſuum pigmentum, comminutum et ſacco linteo incluſum aheno aqua repleto immittant, hanc, vt leniter ebulliat, excalefaciant, et eo vſque nouam denuo aquam adfundant, dum nullum amplius colorem extrahat. Deterius eſſe hodiernum Indigo antiquo, adeo, vt ad eundem effectum tinctorium edendum dupla copia opus ſit hodie; cauſam non latere modo in malis fraudibus eorum, qui illud fabricantur, ſed in peiori etiam plantae ipſius in regionibus, in quibus conficitur, conditione; ſolum ipſum a fertilitate, quam mox a caeſis et concrematis Americae meridionalis et inſularum ſiluis

monſtra-

monſtrabat, receſſiſſe, et multum degeneraſſe; obiter praeterea ſolis languidis mancipiorum brachiis coli; aratro ſubigendum eſſe, et fimo impinguandum, quo omnes plantae, quarum pars pretioſa in cortice aut foliis ſita eſt, vigorem ſuum recuperent. Suadet praeterea omne Indigo bene ſiccatum, quemadmodum Guatimalenſe, animalium pellibus, aut ciſtis ligneis quadratis intus charta munitis incluſum Europam vehi, et cuborum loco in formam parallelepipedorum, eiusdem ceterum craſſitiei ſecari; alias in tranſitu ad portus Galliae pigmentum de centum libris duodecim, et dum ex his in vrbes mediterraneas transfertur, adhuc 5 - 6 amittere; aut niſi penitus ſiccatum ſit, nouam ſaepius recrudeſcentem fermentationem ſubire, vehementer excaleſcere, magnas aquae guttas exſudare, et albo quaſi ſitu effloreſcere, quo tingendi eius facultas multum imminuitur. Sequitur deſcriptio vaſorum, in quibus ſericum tingitur noſtro pigmento, et totus operandi modus; vituperat Cl. Auctor modum multorum tinctorum, qui, dum tinctura aheno contenta colore ſuo minui incipit, ſericum, quod clariore caeruleo colore imbuere conantur, intingunt; ea enim ratione et tincturam citius longe exhauriri, et vix vnquam colorem viuacem et durabilem ſerico impertiri. Pigmentum Dominicenſe inficiendo ſerico ſufficere. Procedit Clar. Auctor ad tingenda eo pigmento fila linea et bombycina, cui fini ſimiliter pigmentum Dominicenſe par eſt, quamuis ex eius ſpeciebus optimum eligi debeat; et tandem ad tingendam lanam et telas ex ea contextas, quae, ſi color viuax et clarus eſſe debeat, pigmentum Guatimalenſe poſtulant. Contemplatur poſtea mala, quae in labore ipſo accidere artifici poſſunt, et praeſcribit remedia iis tum praecauendis, tum emendandis apta,

 experi-

experimentis ſtabilita. Si color tincturae ad ſericum adplicandae in aheno euaneſcat, iubet immiſceri decoctum furfurum cum vncia dimidia mercurii ſublimati corroſiui albi, vncia ſacchari candi, vnciis quatuor cinerum clauellatorum, et vncia rubiae: Si tinctura ſubito in aheno nigra, et ſubtus, ſi agitatur, aurea appareat, odor acerrimus excitetur, omnes venae cum ſpuma caerulea euaneſcant, neque agitatione reſuſcitari queat, lana, quae imbui debebat, aut plane non tingitur, aut colore ſordido griſeo inaequali; minus adhuc, adeo, vt tinctae iam telae, ſi iniiciatur, colorem demat, ſi tinctura hactenus optimae conditionis protinus lixiuii colorem induat, et, in ſignum verae putredinis, teterrime foeteat, nulla agitatione corruptelam imminuente; feliciſſime tamen poſteriorem reſtituit, diei ſpatio, dum aut calcis viuae iniectis circiter libris octo, violenter agitaret, aut paſtae iſatidis tenerrime contuſae libras triginta, tum coctam in duabus peluibus cum luteolae libris duabus, totidem rubiae atque vnciis circiter quatuor furfurum, atque aqua recenti temperatam aquam infunderet, agitaret, calore externo 12°, interno circiter 70° obtectam ſibi relinqueret, altero die adhuc calcis viuae per cribrum traiectae libras duas, et elapſis ſex horis eiusdem adhuc libram vna cum binis indigo libris adderet; prius dum ahenum una cum contenta tinctura iteratis vicibus calori exponeret, quo ſcilicet fermentatio aucta, et calcis ſuperabundantia deleta fuit, quamuis, quum primis vicibus id tentaret, irritum aut funeſtum euentum metueret. Alcalia aheno ingeſta viuaciorem per omnem liquorem diffundunt tinctum, vitrioli acidum laboris ſucceſſum retardat. Colorem etiam ſubito omnem exuit tinctura, quum ſex vncias olei vitrioli, cum vncia dimidia boracis, vncia cinerum clauellato-

rum,

rum, et eadem indigo copia commiſtas infunderet, recuperauit a calcis viuae libris tribus iniectis, perdidit denuo ab illa miſtura, recuperauit iterum calcis ope; ex eo concludit Cl. Auctor, partes, in quibus color reſidet, nunquam eſſe per eiusmodi mutationes deſtructas, ſed ſolummodo quaſi diſſolutas, per adaequata praecipitantia denuo euoluendas; videri autem deſtructas initiis putredinis, colorem corporum organiſatorum toties delentis, et in hoc caſu a defectu calcis profectae, quae ſi addatur, vlteriorem eius progreſſum facile cohibet. Si noua tinctura in aheno paretur, plus ſemper calcis addendum eſſe, quam quidem vulgo praeſcribitur; quoties multum flauet, vtprimum excalefacta et agitata fuit, calcis additamento opus eſſe; ad caloris gradum magis attendi ſuadet, quam quidem ad temporis elapſi ſpatium. Bonam etiam iſatidis eligendam eſſe paſtam, quae quippe difficulter conteratur, interiore fractura colorem vireſcentem offerat, et primis momentis tincturae aheno contentae non niſi fuſcum colorem conciliet; reiiciendam eſſe, quae facile inter digitos teratur, terrae colore intus imbuta ſit, et primis diebus tincturae colorem valde flauum impertiatur. Quo compactiores et duriores ſint lapides, ex quibus coquatur calx, eo meliorem eſſe huic tinctorum vſui; eius ad trecentas vel quadringentas iſatidis libras non opus eſſe initio, niſi decem vel duodecim libris, et poſtea non addendum eſſe vltra quinque vel ſex libras.

Analyſis paſtae iſatidis et examen curatius motuum inteſtinorum in aheno, in quo lana colore caeruleo inficitur, obtingentium; commentatio lecta coram Academia Scientiarum regia d. 10. 13. et 17. Dec. anno 1777. Supplementum, vti quidem Cl. Auctor ipſemet indigitat, prioris ſcripti. p. 85.

 Motus

Motus illos non oriri ab indigo, oriri potius a paſta iſatidis, aut ſi haec eligatur, quemadmodum in Normannia, a paſta reſedae. Iſatis in Gallia Narbonenſi culta; delectus et meſſes foliorum; praeparatio in molendina et vlterior, quamuis ſimilis, rudior tamen, quam praeparatio pigmenti indigo, qua pars, in qua color reſidet, ab omnibus reliquis ſeparatur; obtinuit quidem deſtillando ex omni iſatidis paſta aquam, alcali volatile, et oleum empyreumaticum leue conſiſtens, obtinuit autem ex eadem paſtae copia alia atque alia proportione; in cineribus multas deprehendit ferri particulas. Salis communis acidum vapores primo momento ex paſta expulit, et virorem ex ea contraxit; nitri acidum leni calori cum ea expoſitum aliquot demum momentis elapſis leuiter ebulliit, et colorem croceum miſturae impertiit; vitrioli acidum vehementer et diu cum ea efferbuit, intumuit atque exaeſtuauit, et cum ea quaſi in pultem vniformem nigram abiit, cui aqua temperatae quum telam crudam immitteret, colore viridi valde claro et ſatis durabili imbuta rediit; aqua cum ſordido colore rufo materiam extractiuam, reſinoſam, et adeo oleoſam eliquat, et ea praegnans facillime putreſcit. De lixiuio tinctorio (*Waidnüſſe*), quam praeter paſtam iſatidis aqua, calx viua, furfures atque indigo ingrediuntur. Aquam puram, eamque quidem ebullientem praeſtare aquae variis additamentis grauidae, 20-30 eius menſuras vni iſatidis ſuperadfundendas eſſe; mucilaginis ope, paſtae adhuc inhaerentis, oleum et partes tingentes emulſionis ad inſtar in aquam ſuſcipi, vnde, agitata aqua, tanta ſuboritur ſpuma, et tinctura ipſa ſuperiora petit, ac ſegregata venarum ſpecie comparet; telae etiam lixiuio intinctae colore caeruleo infectae inde redeunt, aſt illud ſibi relictum iam 20-24 horarum

ſpatio

ſpatio computreſcit; quo minus id fiat, atque vt tanto plenius omnes extrahantur partes tingentes, calx additur, quae 2 - 3 horarum ſpatio egregios iam exſerit effectus; agit calore, quem aquae immiſta excitat, ignea acrimonia, qua fibras paſtae conſumit, et partes colorantes ex his tricis liberat, exacuit inhaerens alcali, et ad vnionem cum partibus oleoſis ac reſinoſis ſubeundam aptius reddit, poſteriores, vt aquae nubant, efficit, ſuperabundans denique oleum abſorbet; quum tamen breui temporis ſpatio viua eſſe deſinat, renouanda ſaepius eſt; quodſi nimia inſit, nigreſcit lixiuium, et quamuis agitetur, nullam amplius ſpumam agit; tum enim paſta denſo cortice ſiue vernice obducitur, quae nihil materiae tingentis adſcendere ſinit, et omnem aëris acceſſum arcet; calx autem pro more ſuo in ſuperficie liquidi in pelliculas abit; ſi deficiat calx, aqua et calor absque omni mora in iſatidem agunt, et materiei, iam in corruptelam iſtam procliuis, putredinem accelerant, alcali volatile velocius maiorique copia euoluitur et abit; hinc tela nunc intincta, non, vti alias, viridi, ſed mox caeruleo redit tinctu. Furfures viſcoſa ſui parte et paſtae, quae eam perdidit, mucilaginem ſuam reddunt, et vniuerſo lixiuio ſpiſſitudinem quandam conciliant, quae, quo minus partes tingentes ſubſidant, obſtat, forſan has telae ipſi firmius agglutinant, et igneae calcis vi moderantur, corticali autem ſui parte oleum ſuperfluum abſorbent, et ſecum praecipitant. Antequam America detecta fuerat, in Gallia quoque paſta iſatidis vnicum pigmentum caeruleum bonae notae erat; cuius ſine interuentu indigo neque ſplendentem, neque durabilem impertitur colorem. Lixiuium tinctorum nimia calcis copia vitioſum, neque pruinis, neque vrina, neque tartari cremore emendari poſſe; opti-

me

me tamen ſucceſſit reſtitutio, quum aquam, quantum quidem dimidia pars aheni tinctorii capiebat, in alio vaſe cum furfurum libris ſex aluminisque libra dimidia coctum vna cum ſedimento aheno ingereret, et cum liquore in eo contento agitaret; quamuis altero demum die fauſta illa mutatio contingeret. Rubia nihil hic efficit, niſi ſuperabundantem exhibendo mucilaginem, quae quid et quomodo agat, Auctor iam expoſuit; idem ipſi praeſtitit decocta cum recenti et genuino lini oleo aqua, magis adhuc ſuperfluam eſſe luteolam.

p. 124. Inquiſitio in media, quibus intercedens inter margam, cretam, lapidem calcareum et terram oſſium, hactenus a plurimis chemicis communi terrarum calcarearum nomine comprehenſa, diſcrimen definiri poſſit. Haec etiam Cl. Auctoris commentatio, quemadmodum alio tempore iam retulimus *) anno 1781 et quidem a regia Scientiarum Academia Rotomagienſi praemio fuit coronata. Primo de partibus haec corpora conſtituentibus et differentiis eorum per menſtrua et ignem definitis. Margam ex variis terris alluuione natam eſſe, ex omnibus igitur, quas quidem abripere ſecum aqua valet, aliquid in ſe continere; compactiorem iam eſſe cretam, quam margis quoque acceníet, eo quod particulas argillaceas contineat; nos tamen, quamuis negare nolimus, non raro argillae pauxillum inhaerere cretae, vt margae appellatione digna ſit, maiore opus eſſe argillae inhaerentis copia, putamus; ad centum pedum profunditatem deprehendi prope Remos; lapidem calcareum olim, ſicuti ſub noſtris oculis cretam, ex ruderibus teſtaceorum eſſe natos; ipſum marmor Carrarienſe hos agnoſcere natales, ſed quum induruerit, antequam aquae alias molles adhuc particulas aduexerint, non inquinatum eſſe argilla, ſed puriſſimum, ab omni etiam,

*) vid. comm. noſtr. Vol. XXIV. p. 718.

etiam, quam b. BERGMANNUS in eo ſe deprehendiſſe aſſerit, ſecundum Cl. Auctoris et nunc etiam Ill. de MORVEAU experimenta, magneſia liberum; ſub terra oſſium intelligit terram acido ſuo innato quaſi liberatam. In marga praeter argillam et terram calcaream magneſiam etiam et pauxillum quarzi reperit; prior $\frac{3}{5}$ efficiebat. Cretam hiſpanicam (ſub quo nomine nos quidem vulgo longe aliud mineralium genus, ad ſteatiten propius accedens, intelligimus) reliquis eſſe puriorem, neque continere vel miculam quarzi; hoc etiam carere cretam campanicam; ex lapidibus calcareis examinauit Cl. Auctor Pariſienſem, alium de Montereau, Burgundiacum, et marmor Carrarienſe, et in vulgatioribus quidem ſat multum argillae deprehendit, non parcam particularum quarzoſarum copiam, et aliquid ferri, quod in Burgundiaco maiore paulo copia aderat; nitri et ſalis communis acidum vix vnquam a vitrioli acido adeo pura eſſe, vt ſcrutinium ſolutionis argenti ſuſtineant (ſuſtinet tamen, ſi huius ipſius ope depuratum fuerit prius); magneſiam ſemper in ſuperficie ſoli, aut certe non profunde latere, quoniam natales ſuos cauſis nobis propioribus debeat. Calcareos nunquam nimis vri poſſe, dum calx ex iis coquitur in furnis in eum ſcopum exſtructis, calcem vero deterioris indolis praebere, ſi ignis nimium, aut debilis, aut inaequalis ſit; vulgatiores lapides calcareos extremo igne fundi, marmor Carrarienſe atque oſſium terram nequaquam, ſuis periculis didicit Cl. Auctor. Calx viua aut exſtincta cum oleo oliuarum ſubacta et igne violentiore denuo vſta maiore cum impetu aquam ſubiit. Sequitur nunc examen harum materierum habita ratione vſus, quem agriculturae atque artibus praeſtant. Marga non impinguari ſolum, neque calefieri, quod nimis parum terrae calcareae contineat

tineat

tineat (videtur hic Cl. Auctor in eo peccare, quod eandem ſemper ſeruari a natura proportionem, quam quidem in ſuo ipſe examine inuenit, ſibi perſuadeat; dantur vtique margae, in quibus calcarea terra, dantur aliae, in quibus argilla dominatur); aëratam praeterea ineſſe margae, eo ipſo inertem; terram argillaceam eſſe terram vegetabilem per excellentiam, ſi aëri parumper calido in acidis debilioribus exponatur, putrefieri (quid hoc ſibi velit, nos neſcire ingenue fatemur), et ſic tum argillam, tum margam fimi loco inſeruire poſſe, quae refrigerio ceterum potius noceat, quam calore; cretam praecellere margae; egregios autem calcis viuae, et in pratis Gratianopolitanis gypſi calcinati vidit effectus. Fullonum opera initium fieri ſolutionis lanae; argillam (tamen optimae Anglorum ſunt argillae ſatis purae) nimis tenaciter adhaerere telis, terram calcaream puram pinguibus non eſſe affinem, et nimis cito per compagem telae tranſire; hinc margam apprime aptam eſſe; dominantem materiam calcaream nocere non poſſe. Omnes terras calcareas capellis, quas appellant, inſeruire poſſe, praeſtare tamen vegetabilem et animalem, modo ſint puriſſimae. Duritiem caementi vulgaris in ſumma calcis poſt vſtionem tenuitate, in ſumma aquae et aëris fixi amiſſi auiditate, et in pondere ac preſſione ſita eſſe; impuriores lapides calcareos, praeſertim ferruginoſos, aptiorem caemento calcem exhibere; margam tamen nimium continere argillae. De calcis vſu in re tinctoria; praecipitare quaſi materiam tingentem, acido ſolutam; aëre fixo potiſſimum conſtare ſpumam; hunc, ſi labor ſuccedat, ex atmoſphaera abſorbendum eſſe per calcem adiectam; calcem igitur tantummodo ex puriſſimis lapidibus coctam, vti experimentis etiam demonſtrat, huic labori impendendam eſſe, atque incer-

incertitudinem et calamitates tinctorum non raro niti praua atque inepta calce, quale exemplum Cl. Auctor allegat. Suadet igitur, vt et lapides, ex quibus coquitur, et calcem ipſam explorent tinctores, antequam ſuis tincturis adhibeant. Ipſum calcis per abſorptum ex aëre ambiente aërem fixum in cretam reditum efficere, vt tinctus ſit longe durabilior. Lixiuium ſaponariorum notabilem calcis portionem ſibi iunctam ſeruare, quae ad condenſandum ſaponem multum faciat, dum ſpatulis agitatum et conquaſſatum cum oleo aërem fixum imbibat, et, ſi ſapo aut aqua frigida, aut vini ſpiritu ſoluatur, ſe manifeſtet; ſalem tartari cum oleis non niſi difficillime in ſaponem ſolidum concreſcere: alcalia ut conſolideſcant, nihil efficere, niſi aërem fixum; dum olea ranceſcant, aërem fixum inhalare (monſtrant tamen alia experimenta, reſtitui priſtinae bonitati poſſe ſubminiſtrato ipſis aëre fixo).

Appendix huius commentationis enarrat caſum artificis, qui tibialia lanea ſulphuris fumo dealbaturus denigrari et corrumpi vidit; vitium iſtud quidem emendatum fuit, lauando ea in aqua aut vitrioli acido, aut facta aluminis in aqua ſolutione acidulata, ſed cum manifeſto mollitiei detrimento; detexit Cl. Auctor, ob anguſtiam loci et totum operandi modum ſulphur eum in finem accenſum non libere ardere, non igitur vaporis acidi ſpecie, ſed plurimum certe florum ſulphuris ad inſtar eleuatum a lanae poris recipi, qui ſaponi commixti ſordidos illos colores efficiant; ceſſante cauſa ceſſauit etiam effectus. p. 202.

Inueſtigatio mediorum, quibus nitri et ſalis culinaris acidum cum magneſia combinari intime, et ſalia regularia et permanentia obtineri poſſint, lecta coram Academia Scientiarum regia anno 1780 et 1781. Primo enarrat Cl. Auctor, quid alii iam fecerint: p. 205.

cerint: ſumſit ille ſal amarum pellucidiſſimum, aqua ſolutum iterum in cryſtallos coegit, ex his primas et pulcherrimas elegit, et ſolutas aqua cum tartari ſale aqua pariter ſoluto, nullo adhibito calore externo confudit; praecipitata ſic, tum a calcarea terra, tum ab omni pinguedine, quae redactioni in cryſtallos obſtat, purae terrae, adhuc humidae, nitri acidum adfudit, terra ſaturatum euaporando reliquit primo a ſuperſtite adhucdum alcali nitrum vulgare, poſt ea cryſtalli ſpeciem, minus tamen perfectam, tandem, quicquid etiam tentaret, maſſam ſalinam informem, flaueſcentem, facile deliqueſcentem; cryſtallos illas minus perfectas denuo aqua diſtillata ſoluendo obtinuit elegantiſſimas clariſſimas cryſtallos, priſmata tetraëdra referentes, ad 3 - 4 lineas longas, ne in humido quidem loco humeſcentes, ſed potius effloreſcentes, excolores, praeter amaritiem refrigerantes; cauſam, cur magneſia nitrata alias deliqueſcat, latere in terra calcarea, qua magneſia rariſſime careat. Vt haberet magneſiam, acido ſalis ſoluendam, ex ſale amaro ope lixiuii ex ſoda hiſpanica parati praecipitare tentauit; principio tamen liquor commixtus non turbabatur (procul dubio propter magnam aëris fixi ſodae adhaerentis copiam, quae magneſiam praecipitatam denuo ſoluit), et praecipitatae tandem terrae ſupernatans liquor euaporando maiorem ſemper terrae copiam adhuc in fundum dimiſit; pars tamen magneſiae ſalitae non deſtructa in lixiuio remanſit, qua ſalem amarum ſaepius inquinatum eſſe conſtat; cubos illa mentiebatur, ſi rhomboidea latera excipias, quae offerebant cryſtalli, in aëre neque ſoliditatis, neque claritatis aliquam iacturam facientes; quales etiam ſaturando ſalis communis acidum magneſia, inſpiſſando, et maſſam refrigerio conſolideſcentem iterato ſoluendo acquiſiuit. Vt magneſia

tanto

tanto certius pura ex ſale amaro praecipitetur, iubet parcam tantummodo alcali copiam addi, et ad ſummum dimidiam ſalis amari adhibiti partem praecipitari; terram etiam, poſtquam quidem elota, ſed dum adhuc madida eſt, ſolui. Quod ex ſalis fontibus Montmonotenſibus allatum ſit ſub nomine ſalis marini calcarei ſal, non eſſe niſi magneſiam ſalinam, omni nota cum ea conueniens, quam terra calcarea cum ſalis et nitri acido gignit; ſalia deliqueſcere ſemper, et vix in cryſtalli ſpeciem coire. Eo, quod poſteriora ſalia tantopere concupiſcunt aquam, et tantam eius copiam abſorbent, non ſalia modo ex connubio magneſiae cum iisdem acidis nata, ſed et tartarus vitriolatus aliaque aquae minus auida per ea, quemadmodum ſal amarum per ſeleniten, ſalem ammoniacum ſecretum, et ſalem mirabilem Glauberi; magneſia ſalita per ſalem febrifugum Syluii cryſtallorum forma praecipitantur, neque, ex cuiuscunque mineralis acidi connubio cum magneſia ortum ſit, per vllum horum ſalium praecipitantur. Magneſia nitrata calci ſalitae miſta hanc in ſua dirimit principia. Acidorum mineralium proxime adfine magneſiae eſſe ſalis culinaris acidum. Terrae etiam aluminaris cum nitri et ſalis communis acido impetrari, permanente cryſtallorum forma, poſſe.

Tentamen de notis, quae goſſypium ex aliis atque aliis mundi partibus allatum diſtinguunt, et de diſcrimine exinde promanante in vſu, quem artes faciunt, praemio coronatum ab Academia Scientiarum regia anno 1784. Primo de locis, in quibus goſſypium naſcitur, de diuerſitatibus lanae ex eo depromtae, et de cauſa harum diuerſitatum. Poſtulat certe goſſypium coelum calidum, adeoque feliciſſime ad 16-18 pedum altitudinem in planis ardentibus Siami, Surattae, Agrae excreſcit, et quod p. 229.

his in oris pluuia nunquam irrigatur ſolum, tenerrimam optimamque exhibet lanam; hinc diſcrimen iam intercedit inter goſſypia regni Siamici et Mogolenſis, indica et perſica; in calidiſſimis illis regionibus lana etiam cum eximio ſplendore et ſtupenda ſubtilitate ſaturatum atque in rubedinem vergentem flauorem habet coniunctum, quem quidem colorem Cl. Auctor ab eadem cauſa deducit, quae his in plagis et hominum cuti ſuum inurit pigmentum, et elegantioribus atque magis variis coloribus auium inficit plumas; calorem eſſe principium vitae, quo magis a ſeptentrione ad mitius coelum deſcendas, eo vegetiorem et feraciorem in producendis tam animalibus, quam vegetabilibus, eſſe naturam. Hominem colore obſcuro relucentem perfectiſſimum eſſe ſui generis vix concedet Cl. Auctor, qui maius alborum Europaeorum, ſiue animam, ſiue corpus ſpectes, robur prae tinctis illis a natura gentibus nouit. Bonitatis illas notas, debiliores tamen, inueniri adhuc in goſſypio Acrae, Cypri et Alexandriae, filis tamen iam breuioribus et craſſioribus conſpicuo, quam quidem Bengalenſe, ſed meliore, quam quidem Smyrnenſe et Theſſalonicenſe, in quo rubor omnis penitus euanuit. Vtique coli, quemadmodum in Calabria aliisque regni Neapolitani partibus, ita etiam in inſulis Siciliae et Maltae goſſypium, ſed his in regionibus Indiae indigenam arborem humi repere. Maltae incolas magnam quoque extranei goſſypii partem in fila trahere; in Sicilia tantummodo inter vrbes Ema et Agrigentum abunde coli, et Septembri Octobrique meti; in aliis etiam aridis apricisque eius inſulae locis, in vniuerſo littore ab Alicante ad Paſſaro protracto, et in tractu quam maxime meridionali coli cum fructu poſſe. Colitur goſſypium in Braſilia (a Luſitanis) et ad fluuium Maragnon, feliciſſi-

feliciſſime in Cayenna, abunde Surinami, annuum tamen, ſiliqua tenuiore magis oblonga, quam quidem Siamicum, lana craſſiore quidem, quam in Suratenſi, multo ſubtiliore tamen, quam in turcicis, et rubicunda; de diuerſitate climatis in eadem ab aequatore diſtantia ex inaequali fluuiorum et montium directione, cuius exemplum praebent terrae fluuio Maragnon et Senegal appoſitae, ex ſiluis et lacubus interiacentibus, quas caedi et exſiccari in Americae meridionalis parte gallica ad felicius colendum goſſypium ſuadet Cl. Auctor. Bonitate inferius eſt goſſypium, in inſulis Martinicae, Guadalupae, S. Dominici lectum, reliquis in America cultis; modus, quo in his inſulis ſeritur ac colitur; morbus, quo ſiliquae delabuntur, *coulure* dictus; larua voraciſſima muſcae fertiliſſimae in regionibus calidioribus inſularum vna nonnunquam nocte integros deuaſtat campos; in inſula S. Dominici goſſypium ſiliqua et granis, quae complectitur, magis oblongis, ceteris potius eſt. In Aſia et Africa fructus goſſypii raro hiat, niſi ſemen penitus maturuerit; in aliis regionibus pluuia ſaepius, vt ſerius dehiſcat, efficit; in illis regionibus ſinguli fructus loculi tria, in America quatuor ad ſeptem ſemina complectuntur; lanam illam ex interiore ſeminum compage exſudare atque effloreſcere. Tempeſtas pluuia non ſemen modo magis intricat lanae, ſed colorem etiam huius et reliquam indolem deprauat. Aquae nunc in vegetationem influxum declarat Cl. Auctor et nimia vi et copia irruentis noxas; ex expanſione vaſorum nimia deducit maiorem lanae craſſitiem, ex nimia ferri copia, quae cum ipſa ingreditur, ſordidum eius colorem. Etiam vt in molendina a ſeminibus liberetur, ſiccitatem conducere; deſcriptio eius molendinae, quae in Americae inſulis vulgo adhibetur,

et conſilia eius emendandi. Optimum goſſypium Siamenſe a Sinenſibus fere omne ad fabricandas telas *Nankin* adhiberi; eius et reliqui indici vix aliquid in Europam vehi, plurimam partem ab incolis ipſis texi; quicquid ipſis ſupereſt, in Europa ab Heluetis, quos liberis illis Indiae gentibus ſatis ſimiles inuenit, in telas pulcherrimas, *Mouſſeline*, compingi, quas artifices Rhotomagienſes, goſſypio ab inſula S. Dominici allata vtentes, ſatis ſcite imitentur; poſt indicum goſſypium princeps eſſe Cayennenſe, hoc bonitate ſequi Dominicenſe, porro (bonitatis ordine ſeruato) Acrenſe, Cyprium, Smyrnenſe, et Theſſalonicenſe. Linum et cannabin, tanquam producta orae magis ſeptentrionalis, maiore gaudere longitudine ſpecifica, quam goſſypium; Goſſypium flaueſcens Americae aut coquendo cum lixiuiis aut aëri exponendo facilius dealbari, quam Smyrnenſe. Flauedine morboſa facile exui poſſe lotione cum aqua ſaponis aut lixiuiis alcalinis repetita, et poſtea exponendo in prato viridi aëris atque lucis efficaciae, nam a primis illis lotionibus ſaturatius tinctum redit; ferrum enim, abs quo color dependet, praecipitatur, et tum, quum aëri exponitur goſſypium, ita ſoluitur aëre fixo, quo atmoſphaera noctu nunquam non eſt grauida, roris aqua diſſoluto, vt omnem colorem deponat. Appendix huius tentaminis aliquas Cl. Auctor theſes vlterius illuſtrat, et aliorum teſtimoniis confirmat. Genus goſſypii cum ſpeciebus botanice definitum, cum aliqua ſynonymorum a LINNEO citatorum emendatione. Goſſypium molucarum vtrumque a RVMPFIO recenſitum ab omnibus LINNEI ſpeciebus differre. Compendium eorum, quae P. NICOLSON in ſua inſulae S. Dominici deſcriptione de eodem genere habet. Speciem quandam Cayennenſem (*Cotanatté*) nondum adhuc memoratam eſſe

dolet

dolet Clar. Auctor. Solum pingue meſſes goſſypii largiores reddere, indoli eius perquam nocere, indigo ferum poſcere ſolum pingue, nunc igitur ſolo depauperato in inſulis Americae gallicis minus laete ſuccedere; ſyluarum caeſarum in his inſulis noxae; goſſypium bengalenſe in his ſatis cito degenerare.

XXXII.
Noua phyſico-medica.

De *medicamentorum quorundam ad morbos varios vi*, ACKERMANNUS, Vir Clariſſimus, haec nobiscum communicauit.

Plura in medicina caſu inuenta ſunt, vtiliſſimaque ſubinde ab ignotis hominibus. Scabiem, morbum foedum, diuturnum, inprimis dum homines vexat, qui plurimum inter ſe commercium habent, curandi methodum tutam, facilem, et quod maximum eſt, *certam*, alchemiſta quidam, cuius adeo nomen nos latet, inuenit. Omnis curatio in vnguento conſiſtit ex vitrioli albi et florum ſulphuris partibus aequalibus cum oleoſa quadam ſubſtantia parato, quod palmis, binis per diem vicibus, diligenter infricatur.

Lauri baccarum puluerem inuentor medicamenti adiici iuſſit, quem tamen ad vim medicamenti neceſſarium non vidi. Oleum baccarum lauri BUCHHOLZIUS, V. Cl. eligit, baccarum pulueris loco, ſed hoc additamento medicamentum commode carere poteſt, quum, vbi hoc fit, efficaciae particula illi haud detrahatur.

Primum adhibuit hoc vnguentum JASSERUS, V. Cl. chirurgus exercitus Regis Boruſſorum militaris, mirando hoc ſucceſſu, vt infecti morbo milites omnes, quorum curatio plurium menſium ſpatium requirebat, elapſis hebdomadibus duabus aut tri-

bus a morbo liberati penitus prodirent. Eandem medicamenti efficaciam omni modo confirmatam vidit Ill. SCHMUCKERUS *), eademque videre viri Clariſſimi BÜCKING, BUCHHOLZ, alii. Malos a repulſo ad internas partes ſcabioſo veneno ab hoc vnguento effectus nemo hactenus vidit; omnes protinus a morbo, ſine omni aduerſa valetudine inſequente, liberati ſunt.

Ego vero, qui medicinam in oppido exerceo, in quod opifices ſedentarii plurimi, textores inprimis, ex vniuerſa fere Germania confluunt, taedio ſummo diuturni admodum morbi et aliis facile communicandi adfectus, hac curatione ſtatim vſus ſum, hoc ſucceſſu, vt infectos morbo praeterlapſis a medicamento primum adhibito vix tribus hebdomadibus perfecte ſanarem, liberos a morbo, ſed facile eo ob commercium nullo modo interdicendum, communes lectulos, communia vaſa culinaria, lintea, caet. inficiendos omni modo praeſeruarem. Methodum JASSERI perfecte ſequutus puluerem ſimul omni die ſumendum praecepi, ex ſulhpuris floribus, antimonio crudo, et nitro depurato, vt morbidam materiam ab internis viſceribus foras propellerem.

Voto penitus reſpondit methodus. Pueri autem quidam quum omnem internorum medicamentorum vſum reſpuerent, ſolum externum medicamentum adhibui, interne diaetam morbo conuenientem et diluentem potum praecepi. Succeſſus idem fuit, nec vllum ab externo medicamento incommodum.

Hoc modo aegrorum copiam ſatis magnam a morbo foedo cito tutoque ſanaui, pulueris tamen interni vſum, ſi vllo modo fieri potuit, non neglexi.

In

*) v. Cl. viri opus *vermiſchte chirurgiſche Schriften. Band* III. pag. 170.

In aegrorum hoc morbo adfectorum ſumma copia duo fuere, in quibus ſpe certa mea excidi. Puella ſex annos nata hoc morbo, quo vniuerſa familia laborauit, adfecta nullum in medicamenti vſu ordinem ſeruauit, vnguentum mox adhibuit, mox, pro genio ſuo, omnem medicamentorum vſum neglexit. Ita accidit, vt, quum praeterlapſo ſueto tempore, quod ad curandum requiritur, illam conuenirem, ſorores, diligentes magis in vſu vnguenti, a morbo prorſus liberas, hanc vero puellam ſcabie adhuc adfectam, ſed aridis papulis, nec admodum copioſis inuenirem. Praecepi diligentiorem vſum: ſed iterum omnia neglexit, medicamentum ſaltim ſine ordine adhibuit. Contagii vim medicamentum ſtatim ſuſtulit, translatus enim morbus ad alios, cum quibus vixit, amplius non eſt, ſed morbum non penitus. Elapſis menſibus ſex papulae quaedam in manibus ſuperfuere, verum non contagioſae, manus autem vnguentum tumidas, aſperas, ſciſſas, ſed ſine omni vlceratione, reddidit.

Accidit ſubinde, vt hac methodo totum corpus a ſcabie ſtatim liberaretur, in pedibus autem cruribusque papulae pertinaciter reſiderent. Plantis pedum vnguento adplicato, hae partes a morbo perfecte liberatae ſunt. Aegros vidi, qui vnguentum ob foetorem ferre non poterant, alios habui, quibus opificium, quod tractabant, vnguenti vſum interdicebat, zonarios, in metallis poliendis frequenter occupatos, tinctores. His, vt plantis pedum vnguentum infricarent, praecepi, eodem ſubitaneo certoque omni modo effectu. In tinctore tamen quodam, qui per plures annos morbo laborauerat, protractiore vſu vnguenti, quod plantis adplicabatur, opus erat. Locorum, quibus medicamentum adplicari conſueuerat, tumor, rubor, ſciſſurae, papulae reſiduae, non a morbida materia in his partibus

 praecluſa,

praecluſa, ſed ab vnguenti vi irritante pendere videntur, quod facile ex eo probari poteſt, quod hoc modo adfecti, ſanata in corpore ſcabie, morbum in alios, cum quibus arctiſſime viuunt, non communicent. Opus hinc eſt, vt hoc modo adfecti ab vnguenti vſu abſtineant, manusque fotu detergente, emolliente, farinaceo, foueant.

Satis frequentem morbum *articulorum albi tumores* conſtituunt, quorum curatio difficilis admodum, ſaepius nullo modo poſſibilis eſt. Vidi chirurgos tales tumores feliciter ſubinde curaſſe muria, in quibus haleces ſeruantur, igne calefacta diligenter impoſita. Plura ſaltim ab hoc medicamento, quod iam PURMANNUS, chirurgus Vratislauienſis quondam celebris, laudauerat *), praeſtita in ſalutem aegrorum vidi, quam medicamenta ſummis laudibus ab hodiernis medicis decantata praeſtitere.

Tales tumores nuper vidi in iuuene XX annorum, textore, extenuati admodum et ad tabem proni corporis habitus. Tumuit illi, ſine omni externa cauſſa, alterum genu, cum dolore quodam. Adplicuere chirurgi, quos tumoris natura latuit, plurima ex reſoluentium, emollientium, maturantium claſſe, ſed incaſſum. Vocatus demum ego, morbique natura perſpecta, colophonii externum vſum tentaui a chirurgis Batauis, VAN LIST **) aliisque ſummis laudibus ornatum. Omnia ex eorum conſilio diligenter peracta ſunt, ſed ſpe, quam conceperam, excidi. Minui quidem tumor primis, dum adplicaretur medicamentum, temporibus, viſus eſt, ſed increuit poſtea patellam partesque internas et externas genu occupans.

Inuaſit

*) *Lorbeerkranz der Wundarzney. Kap.* 20.

**) Verhandelingen van het bataafſch Genootſchap der proefonder vindelyke Wysbegeerte te Rotterdam. T. 2. p. 129.

Inuaſit poſtea idem tumor alterius cruris, quod ſanum hactenus perſtiterat, articulum, tandemque et articulum, quo humerus cum radio et vlna connectitur. Increuit ſimul tabida diſpoſitio, pulmones ab eodem ſine dubio humore, qui articulos occupauit, adfecti ſunt. Obiit tandem iuuenis phthiſi pulmonali adfectus.

Adhibui etiam in aliis colophonium diligenter ad hunc modum, quem VAN LIST, V. Cl. praecepit, ſed hoc effectu ſemper, vt tumor in initiis minui videretur, poſtea increſceret. Sanauit ex his tumoribus quosdam halecum muria poſtea impoſita, non ſpernenda certe ad hunc morbum medicina, qui vero, vt ex hiſtoria ſupra allata patet, non ſemper localis eſt, ſed ab ipſo corpore male adfecto pendet.

Penitus ignota hactenus hanc vniuerſam corporis adfectionem curandi methodus eſt, eamque ob cauſſam, quae ipſe ex exemplis didici, breuiter transſcribam. Dulcamarae ſtipites copioſe cum aqua potos diu adhibui, ſed ſine plurimo ſucceſſu. Retardaſſe tamen videntur morbum cum lacte poti aut cum ſero lactis decocti, inprimis in his, quibus ad tabem propenſio fuit. Quibus duratum magis corpus fuit, guaiaci ligni fortem decoctionem praeſcripſi lacte remixtam, ne corpus exſuccum nimis a guaiaco redderetur. Contuliſſe quaedam ad tumoris ſolutionem haec decoctio videtur, ſed quanta, dicere non licet, quum quaedam et externo medicamentorum vſui adſcribenda ſint. Dedi quibusdam etiam herbae aconiti extractum, cum copioſa herbae fumariae decoctione, ſed, licet fumariae herba ad tumores et exulcerationes ab internis vitiis pendentes plurimam efficaciam habeat, vſu mihi paene quotidiano comprobatam, nullo cum ſucceſſu. Plura forte a mercurio et antimonio exſpectanda:

ſtanda: ſed has medicinas adhibendi opportunitas mihi defuit.

Vt de externis morbis aliis quaedam tantum addam, tricolorem violam ad cruſtam lacteam aliquoties cum eo ſucceſſu, quem STRACKIUS notauerat, adhibui, ſubinde tamen etiam ſine omni ſucceſſu dedi. Nec ad alia vlcera aliosque cutaneos morbos haec planta tantam efficaciam habet, quantam nuperi in ea vidiſſe iactant. Ad pedum autem vlcera inueterata praeclare valet phellandrii aquatici ſemen cum aqua vegeto-minerali Goulardi decoctum, inprimis in mulierculis, quibus ex grauiditate crura intumuerunt et exulcerata ſunt. In vlceribus crurum a diſpoſitione corporis atrabiliaria ortis externus huius decoctionis vſus praeclarus omni modo eſt, inprimis ſi interne ſoluentia ſaponacea, tonum inſtaurantia adhibentur.

Vlmi medium corticem ad herpetes aliquoties potandum dedi, ſed ſine multo effectu. Saponaceam tamen vim decoctio manifeſtam habet, hinc forte omni effectu non deſtitutam *). In rheumatiſmo venereo, qui femur vexabat, incaſſum adhibitis medicinis plurimis, leuamen quoddam attulit interne et externe copioſe adhibita.

Internos morbos copioſiſſimos hoc anno curandos habui, tuſſim conuulſiuam, morbillos, variolas, febres biliofas putridas, caet. de his autem omnibus plura dato opportuno tempore alio perſcribam: vnicum noto, me arnicae radicem in ſumma febrium bilioſarum putredine, in ſumma virium vitalium proſtratione, in puluere cum camphora copioſe (in difficili caſu quotidie ad vnciam) datam

*) Primum hunc corticem laudauit LYSONS in *medicarum transactionum* altera parte. Epiſtolam de eius efficacia diario Pariſino (Journal de Paris 1783. n. 255.) inſeruit Cl. BAUNAU.

datam tam efficacem comperiſſe, vt decantatiſſimis putredini aduerſis et vires inſtaurantibus medicamentis omnibus palmam omni modo praeripiat.

Diuturnos morbos notabiles plures curaui curoque, ſed quin plura de his ſubnectam, tempus vetat. Perſcribam tamen ex aduerſariis aneuryſmatis hiſtoriam ob ſymptomata antecedentia ſatis notabilem.

Vir L. annos natus ſedentariae vitae ad annum vſque XXXV. admodum deditus, poſtea tamen corporis motui, ſed non vehementi, indulgens, probam bonamque vitam agens, ante plures annos rheumatiſmo articulorum infernorum intenſo corripiebatur, poſtea perfecte reſoluto, remanente tamen ad rheumaticos adfectus diſpoſitione, quibus, ſi corpus frigido aut humido aëri exponeret, aut corporis transſpirationem ſupprimeret, ſtatim adfectus eſt, ſed exiles hi morbi libertatem negotiorum aegro qualemcunque permiſerunt.

Anno 1783 dolore adfectus eſt intenſo nucham occupante, ab occipite ad verticem vsque progrediente, ad ſcapulas transeunte, intenſiſſimo, omnem ſomnum praepediente, ſimulque febricula cum ſiti quadam et pulſu naturali paululum auctiore. Seueris diaetae praeceptis aeger diligenter obtemperauit, medicamenta diluentia, ſaponacea vegetabilia diligenter ſumſit, hoc effectu, vt febris quidem perfecte ſileret, dolor vero, mitior paululum redditus, pertinaciter remaneret. In vſum vocata ad hunc dolorem omnia ſunt, quorum efficacia ex propriis et aliorum obſeruatis mihi conſtitit. Tandem thermas Carolinas ſine omni ſucceſſu adiit. Redux alios conſuluit, ſed morbum, quem rheumatiſmum inueteratum putabam, nulla mitigauit medicina.

Anno

Anno 1784 exeunte me adiit iterum, aſthmate diriſſimo et reſpiratione difficillima hoc inprimis modo adfectus, vt ſpiritus ſibilum referret. Pulſus, caetera omnia bona, naturalia. Perſtitit nuchae ſcapularum et occipitis adfectio: aſthmatis eosdem, quos harum adfectionum, fontes eſſe putabam: ſed omnibus medicinis nihil profeci. Alios conſuluit.

Martio menſe 1785 ineunte me iterum adiit, deglutitionis difficultate admodum vexatus. Perſtiterat aſthma. Demum, dum omnia ſymptomata ſedulo perpendo, tumorem ſibi cum deglutitionis difficultate in ſiniſtra colli parte, quae aſperae arteriae vicina eſt, natum eſſe refert. Quem dum examino, carotidis arteriae aneuryſma detego manifeſtum, aſperam arteriam, et oeſophagum comprimens. Manifeſtae nunc rheumatiſmi rebellis, aſthmatis, deglutitionis difficilis origines, ſed morbi curatio nulla. Diaetam, alia conuenientia praecepi, vt vitam humana arte non ſeruandam protraherem. Tumor, quem nuper iterum vidi (Iulio menſe 1785.) mole ouum anſerinum fere aequat, attactus manifeſte ſummeque pulſat, adeo vt et viſu pulſus commode percipi poſſit. In cute tumorem tegente venae varicoſae plures, ab emplaſtro forte impoſito, cuius vſum interdixi. Aſpera arteria larynxque in dextram partem propulſa. Clauicula foras in ea parte, qua cum ſterno connectitur, propulſa, pulſans, a pulſatorio tumore ſubtus iacente. Deglutitionis, reſpirationis difficultas admodum magna. Pulſus aequalis penitus, ſed auctus admodum accedente corporis motu, vel minimo. Saniſſima caetera omnia, licet mors nulla arte auertenda fores continuo pulſet.

Ex quaeſtionibus, quas Societas patriotica *Milani* congregata, die XXX menſis Septembris, anni 1784 propoſuit, plures res oeconomicas attinent, quas praeterire iubet inſtituti ratio; nonnullae autem, quarum ſolutio cognitionem phyſico-medicam poſtulat, a nobis indicandae ſunt. Atque talis quidem eſt haec: Qua ratione et methodo conſtruenda ſunt vtenſilia in culina neceſſaria, ſic, vt incommoda, ſanitati noxia, caueantur, eademque ſanitati, et vſui quotidiano magis apta fiant. (*In qual maniera e con qual metodo ſi poſſano coſtruire gli utenſili di cucina, affine de prevenirne gl'inconvenienti, e combinar meglio in eſſi la ſalubrità, l'economia e la commodità?*) Praemium eſt 50 numorum aureorum Italicorum.

Deinde: exponere hiſtoriam naturalem eorum inſectorum coleopterorum aliorumque, quae viti aliisque plantis damna inferant, qualis eſt *Curculio Bacchus*, aliaque, atque indicare methodum optimam damna haec vel praecauendi, vel imminuendi: (*eſporre la ſtoria naturale di quegli ſcarabaei, che apportano graviſſimo danne alle viti ed ad altre piante, detti da noi vacchette, carnghe o garzelle; e indicare il metodo piu ſicuro ed economico, per diſtruggerle o diminuirne il danno.*) Praemium eſt quinquaginta numorum aureorum.

Denique: conſcribere pharmacopoeam pauperum, quae comprehendat catalogum pharmacorum, parui pretii, rationibus et hiſtoria ſimplicium additis, aptumque regno Lombardorum Auſtriae. (*una farmacopea de poveri mugia conſiſtente in un catalogo di remedi di poca ſpeſe, ma ragionata e adattata alla Lombardia auſtriaca.*) Praemium eſt 100 numorum aureorum Italicorum.

Reliquas quaeſtiones oeconomicas vel Italiam ſolam ſpectantes mittimus. Leges, quae in mittendis commentariis obſeruandae ſunt, cum iis,

quas

quas aliae Academiae proponunt, omnimode conueniunt.

A *Göttingenſi* ordine medico quaeſtio promulgata erat: oleorum vnguinoſorum alia magis, alia minus, prout ab artificibus, ita et a medicis vario ſcopo opportuna vulgo cenſeri, res nota eſt: quum tamen in haud paucis promiſcuo vſui locum eſſe ſagaciores exiſtiment, ad ſedandum hocce diſſidium experimenta haud parum facere ordo medicus arbitratus eſt, quibus olea huius generis in re medica vſitata ratione notarum ſenſibus obuiarum, grauitatis ſpecificae, calorisque in ea efficaciae, miſcibilitatis cum aqua ope commodi adiuuantis, effectus eorum in ſulphurea, ſalia et metalla, quae medii cenſus ſunt, item virtutis in vermes inſectaque viua inter ſeſe conferantur.

Quodſi in votis habendum fuit, vt, cum reſpectu ad medicinam habito, quaeſtio propoſita eſſet, auctor commentationis tam doctae experimentorum ſuorum rationem, conſilium ac vim curatius ad ea praeparata, quae in materia medica iam recepta vſu ſunt, vel formulas medicas, quae ad lectos aegrorum praecipiuntur, retuliſſet, vtque ea, quae ex eius experimentis inferri ac colligi poſſunt, dilucidius exponendo lectoris ſtudium cognoſcendi adieciſſet; ingenii tamen ſui ad noua inuenta felicis et pertinaciſſimae in chemicis laboribus exſequendis induſtriae ſpecimen propoſuit eximium: ex his itaque cauſſis ordo medicus decreuit eamque ſententiam tulit, vt commentatio cum lemmate: *Nec caſia liquidi corrumpitur vſus oliui*: praemio condicto ornaretur. Schedula reſignata, nomen exiit: JOACH. DIETR. BRANDIS, Hildeſienſis: altera proxime ei accedere pronunciata eſt, cuius auctor, JUSTUS ARNEMANN, Luneburg. mox nomen profeſſus eſt.

In

In annum 1786 hanc quaeſtionem propoſuit facultas medica Gottingenſis: In irritabilitate animali, a qua niſi omnis, ſaltem maxima ſane pars principii in corpore noſtro actuoſi pendet, varia ſuperſunt, quae pleniorem poſcunt eruditorum expoſitionem; deſiderat ergo ſolidam, experimentis et obſeruationibus ſuperſtructam reſponſionem ad varias quaeſtiones: 1) in quanam elementorum corporis animalis parte haeret vis irritabilis? 2) qui ſunt veri certique fines inter tonum STAHLII et irritabilitatem HALLERI: 3) quibus adminiculis, ſiue a climate, aëre et vitae genere, ſiue a cibo potuque, ſiue a medicamento deſumtis, effici poteſt, vt, ſi torpida languet, aut plane deficit, excitetur et augeatur? vel ſi nimis efficax ſit, temperetur et coërceatur? 4) quale inuicem obſeruatur commercium irritabilitatem inter et neruorum ſyſtema in doctrina affectuum animi, temperamentorum et in genere principii actuoſi corporis animalis, vllo cum fructu adhibendum?

XXXIII.

Index librorum phyſico-medicorum, qui anno 1780 prodierunt.

Acta Societatis Jablonouianae varii argumenti ab anno 1775 ad annum 1779. Tomus V. Lipſiae. 4. (Pauca, neque adeo notatu digna habent, quae inſtitutum noſtrum attingant.)

Schriften der Berliner naturforſchenden Geſellſchaft. Erſter Band. (vid. comm. noſtr. Volum. XXIV. p. 657.)

Commentationes Societatis R. S. Gottingenſis. Vol. II. (Primum vid. comm. n. V. XXVI. p. 87. de hoc proxime referemus.)

Nouveaux memoires de l'academie royale de Berlin, année 1780. (priora Volumina vid. c. n.

Vol.

Vol. XIX. p. 683. et dec. III. Suppl. II. p. 195. ſequentium epitome quantocius tradetur.)

Berliner Beyträge zur Landwirthſchafts - Wiſſenſchaft. 4ter Band. Desgl. 5ter Band. 1tes - 5tes St.

Gemeinnütziges Fränkiſches Magazin, oder Sammlungen merkwürdiger nützlicher Grundſätze und Erfahrungen aus der Naturlehre, Naturgeſchichte, Arzneykunde, Moral, Landwirthſchaft etc. 3tes Stück. Nürnberg. 8.

Neue Sammlung nützlicher Unterrichte, herausgegeben von der k. k. Geſellſchaft des Ackerbaues, und der nützlichen Künſte im Herzogthum Krain. Erſter Theil. Laybach. 4.

Monatlicher Haus - und Landwirthſchaftskalender auf das Jahr 1779. *Septbr. Octobr. Wien.* 12.

Neue philoſophiſche Abhandlungen der Bayeriſchen Akademie der Wiſſenſchaften. Zweyter Band. München. 4.

Acta Academiae Electoralis Moguntinae Scientiarum vtilium, quae Erfurti eſt, ad an. 1778 et 1779. Erfurti. 4.

Mémoires de l'academie imperiale et royale des ſciences et belles lettres de Bruxelles. Tome III. à Bruxelles 4.

Hiſtoire de la Societé royale de Médécine, années 1777 et 1778. à Paris. 4.

Hiſtoire de l'academie royale des Sciences, année 1777, avec les Mémoires de Mathématique et de Phyſique pour la même année. à Paris. 4.

Mémoires de mathématique et de phyſique, préſentés a l'academie royale des ſciences par divers ſavans et lus dans ſes Aſſemblées. Tome IX. à Paris. 8.

Mémoires de la Societé établie à Génève pour l'encouragement des arts et de l'agriculture. Tome I. ſeconde partie. à Géneve. 4.

Journal

Journal de Phyſique, par Mr. ROZIER. à Paris. 4.

Kongl. Svenſka Vetenſkaps - Academiens nya Handlingar för AÖR 1780. Stokholm. 8. (vid. comm. noſtr. Vol. XXVI. p. 3.)

Der königl. ſchwediſchen Akademie der Wiſſenſchaften Abhandlung aus der Naturlehre, Haushaltungskunſt und Mechanik: aus dem Schwediſchen überſezt von A. G. KAESTNER. 35*ter Band. Leipzig. gr.* 8.

Noua Acta regiae Societatis Scientiarum Vpſalienſis. Vol. III. Vpſaliae. 4. mai.

Samling af Rön och Afhandlingar rörande Landbruket. Vol. III. Stokholm. 8.

Verhandelingen van het Geneeskundig Genootſchap, onder de Zinſpreuk: Servandis Civibus. Vyfde Deel. Amſterdam. 8.

Verhandelingen uitgegeeven door de Hollandſche Maatſchappye der Weetenſchappen te Haarlem. XIX. Deel Harlem. 8.

Verhandelingen van de natuur en geneeſkundig correſpondantie in de vereenigte Nederlanden opgericht in's Haag. I. Deel. B. I. Haag. 1780.

Letters and Papers on Agriculture, Planting, etc. ſelected from the Correſpondence Book of the Society inſtituted at Bath for the encouragement of Agriculture. Lond. 8.

Progreſſi dello ſpirito umano nelle Scienze, e nelle Arti. Milano. 8.

Réflexions ſur les epoques de la nature. Brochure. à Paris. in 12.

Apologia del Sign. GIOV. ARDUINO contro il manifeſto fatto inſerire dal Sign. Conte MARCO CARBURI, circa la fuſione del ferro malleabile. 8. ſ. l.

The Garden Muſhroom: its Nature and Cultivation. By JOHN ABERCROMBIE. London. 8.

FRANZ CARL ACHARD *chymiſch-phyſiſche Schriften. Berlin.* 8.

Biographical Memoirs of Medicine in Great Brittain from the Revival of Literature to the Time of Harvey. By JOHN AIKIN. London. 8.

Practical Obſervations upon amputation and After-treatments. By EDWARD ALANSON. London. 8.

Deutliche und gründliche Anleitung zur Salmiakfabrik, welcher dem ägyptiſchen an Güte und Preiſe vollkommen ähnlich iſt. Von W. C. ALBERTI. *Berlin und Leipzig.* 8.

An inquiry into the cauſes, that have hitherto retarded the advancement of agriculture in Europe. By J. ANDERSON. 4.

Obſervations on the theory and cure of the venereal diſeaſe. By JOHN ANDRE'E. 8.

Avis aux citoyens, ſur les cauſes, les divers caracteres et les vrais remedes de l'aveuglement, de la ſurdité, et des principaux accidens veneriens, maladies tres frequentes, et rarement bien gueries. Par Mr. ANDRIEU. à Paris. 8.

Recherches ſur la rage; par Mr. ANDRY, nouv. edition. à Paris. 8.

Oeuvres du M. BOSC D'ANTIC, D. M. contenant pluſieurs memoires ſur l'art verrierie, ſur la fayancerie, poterie, l'art des forges, la mineralogie, l'electricité, et ſur la médécine. à Paris. II. Voll. 12. avec Fig.

Eſame della compenetrabilita della luce eſpoſta in dialoghi de LUCILLO ANTITIPICO. Neapoli. 8.

Agricultura di Sardegna compilata, eſcritta colla ſua diviſione in parti cinque dal Cav. e Dott. D'ANDREA MANCA DELL' ARCA SASSARESE. Napoli. 4.

Galan-

Galanterie Mineralogie und Vorſchläge zur Naturgeſchichte für Damen, von C. F. ARENSWALD. *Halle*. 8.

La conchyliologie, ou l'hiſtoire naturelle des coquilles de mer, d'eau douce, tereſtres et foſſiles, par Mr. D'ARGENVILLE, troiſieme edition, par MM. FAVANNE DE MONTCERVELLE, pere et fils. Tom. I. II. à Paris. fol.

BAEUMLERS *mitleidiger Arzt*, 5te *Auflage. Frankfurt*. 8.

BAJONS *Abhandlungen von Wunden, Entzündungen und Geſchwüren, und deren Behandlung in heißen Ländern. Aus dem Franzöſiſchen. Erfurt*. 8.

Oſſervazioni ed eſperienze intorno al bagno di montatuto fatte dal Dottor GIUSEPPE BALDASSARI. Siena. 4.

Sylloge ſelectiorum opuſculorum argumenti medico-practici; collegit et edidit ERNESTUS GODOFREDUS BALDINGER. Vol. V. Gotting. 8.

EIUSD. *neues Magazin für Aerzte*. 2*ten Bandes* 1*tes*, 2*tes Stück. Leipzig*. 8. (vid. comm. n. Vol. XXV. p. 474. ſq.)

Diſſertation ſur l'education phyſique des enfans depuis leur naiſſance juſque à l'age de puberté. Ouvrage qui a remporté le prix, par Mr. BALLERFERD, nouvelle edit. par Mr. DAVID. à Paris. 8.

Depoſito di penſieri utili alle ſcienze teoriche e pratiche dove ſopra molta differenti materie ſi pongono lumi, e cognizioni intereſſanti, e curioſe, del LODOV. BARBIERI. Vicenza. 8.

CHRISTOPH. GODOFR. BARDILI diſſ. continens obſeruationes et explicationes quasdam phyſicas, praeſertim meteorologicas. Tübing. 4.

Mémoire de l'agriculture pour la coté de la medi-

terranée du royaume, par M. BARTHES. à Montpellier. 8.

Precis d'une nouvelle theorie ſur les maladies chroniques, par Mr. DE LA BASSAYS. à Paris. 12.

Aphoriſmi de cognoſcendis et curandis morbis, Auctore BATTIE. latin. edidit DAV. SAM. DE MADAI. Halae. 8. (vid. c. n. Vol. XXV. p. 684.)

Hiſtoria naturalis regni mineralogici ad naturae ductum tradita, a IOH. WILH. BAUMER. Francofurti. 8.

Conſulti medici del Dottor G. B. BECCARI, in Bologna. Tom. II. 4.

Inſtitutiones phyſicae, auctore Cl° BECK. Salisburgi. 8.

Specimen de mutatione colorum quorundam vegetabilium a corporibus ſalinis, auctore I. F. BECKER. Gotting. 4.

Phyſikaliſch-ökonomiſche Bibliothek, von BECHMANN. 10*ten Bandes* 4*tes Stück, und* 11*ten Bandes* 1*tes Stück. Götting.* 8.

Commentatio de lactis metaſtaſibus, auctore N. BEHRENDT. Gotting. 4.

Commentatio dulcium naturam et vires expendens, auctore I. F. BEHRENS. Gotting. 4.

Della condizione de medici preſſo gli antichi. Lettera del BENVENUTI. 4.

PETER IONAS BERGIUS Tal om Frukt-Trägårdar och deras främjade i växt Rike. Stockholm. 8.

Diſſertatio de primordiis chemiae, auctore TORB. BERGMANN. Vpſal. 4.

Mémoire ſur les engrais, que la provence peut fournir, par Mr. BERNARD. à Marſeille. 8.

De l'electricité du corps humain, dans l'état de ſanté et de maladie, par Mr. BERTHOLON DE ST. LAZARE. à Paris. 12.

Commen-

Commentatio de commodis in diaetam et ſanitatem Europaeorum ex commercio indico redundantibus, auctore DAV. BEYLON. Duisburg. 4.

Mémoire ſur les abeilles, nouvelle maniére de conſtruire des puches en paille et façon de gouverner les Abeilles, par Mr. BIEN-AYME. à Paris. 8.

IO. BILLING ep. gratul. de motu muſculorum voluntario. Lipſ. 4.

Conſiderations on the electricity, in removing female obſtructions, to which are annexed caſes and remarks, By JOHN BIRCH. Surgeon. 8.

Diſſert. de hydrope, auctore IOH. LUD. BLOEDAU. Wittenberg. 4.

Dr. IOH. FRID. BLUMENBACHS *Handbuch der Naturgeſchichte. 2ter Theil. Göttingen.* 8.

Diſſertat. de gaſtritide, auctore PHIL. CHRIST. BODE. Götting. 8.

HERM. BOERHAVE *Phyſiologie, überſezt, und mit Anmerkungen von Dr.* EBERHARD. *Neue Auflage. Halle.* 8.

Bemerkungen über Herrn GUERARDS *Entbindungsart, von* LUK. BOOGER. *Wien.* 8. (vid. comm. noſtr. dec. III. Suppl. IV. p. 665.)

Teſtacea muſei caeſarei Vindobonenſis, ab IGNATIO A BORN. Vindobonae. fol. (vid. comm. n. Vol. XXIV. p. 510.)

EIUSD. Voyage mineralogique fait en Hongrie et en Tranſſylvanie, traduit de l'allemand, par Mr. MONNET. à Paris. 12.

Gemeinnützige Naturgeſchichte des Thierreichs, von Dr. IO. HEIN. BOROWSKY. I. 1-4. II. 1. *Berlin.* 8.

De rene per hydatidem penitus deſtructo, progr. auctore ERNST. FRIEDR. BOSE. Lipſ. 4.

Elemens de médécine en forme d'aphoriſmes, par Mr. DE BOURG à Paris. 8.

Storia delle ſcoperte fiſico - medico anatomiche-chirurgiche, del G. A. DE BRAMBILLA. Milano. Vol. III. 4.

F. H. BRÜCKMANN de morbis neruorum obſeruationes ſingulares, cum epicriſi. Gotting. 4.

Mineralogie von M. T. BRÜNNICH, *aus dem Däniſchen. Petersburg.* 8.

IOH. BRUNONIS elementa medicinae. Edinburg. 12.

Principes d'hydraulique ouvrage dans le quel on traite du mouvement de l'eau dans les riviéres, par Mr. DE BUET. à Paris. 8.

Médécine domeſtique, ou traité complet des moyens de conſerver la ſante, de guerir et de prevenir les maladies par le regime et les remedes ſimples, par Mr. BUCHAN, traduit de l'anglois, par Mr. DUPLANIL. à Londres. 4. Vol. 8.

Ettrennes du printemps aux habitans de la campagne et aux herboriſtes, ou pharmacie champêtre, par Mr. BUCHOZ. à Paris. 12.

EIUSD. collection précieuſe et coloriée des fleurs les plus belles, qui ſe cultivent tant dans les jardins de la chine, que dans ceux de l'Europe. à Paris. fol.

EIUSD. planches enluminées et non enluminées repréſentant en naturel, ce qui ſe trove de plus intereſſant, parmi les animaux, les vegetaux et les mineraux. à Paris. fol.

EIUSD. *Naturgeſchichte der vierfüßigen Thiere, 6ter Band. Berlin.* 8.

Naturgeſchichte der Vögel, überſezt aus dem Franzöſiſchen des Grafen von BUFFON, *4ter Band. Leipzig.* 4.

EIUSD. Epoches de la nature. à Paris. 4.

BUFFON

BUFFON Storia naturale, generale, e partecolare per ſervire di ſeguito alla teoria della terra, e introduzione alla ſtoria de minerali. Tomo 4. in Milano. 12.

Diſſert. de uſu opii chirurgico, auctore P. H. BUHR. Gotting. 4.

Herbier de France, par Mr. BULLIARD. Cahier. 4. fol.

Beyträge zur Erweiterung der Forſtwiſſenſchaft durch Bekanntmachung eines Holztactions-Inſtruments, und deſſen vielfachen Gebrauchs, von F. A. L. V. BURGSDORF. *Leipzig.* 8.

Ornithotrophie artificielle, ou art de faire éclorre et d'élever la volaille par le moyen d'une chaleur artificielle, par Mr. l'Abbé C***. à Paris. 12.

JOSEPHI CALANDRELLI aequilibrii demonſtratio. Romae. 8.

FRANZ LUDWIG CANCRINUS *erſte Gründe der Berg- und Salzwerkskunde, 5ter Theil, 3te Abtheilung. Frankfurt am Mayn.* 8.

Mediciniſche Reſponſa von Dr. WILHELM FRIEDRICH CAPPEL.

Mémoires ſur les vertus, l'uſage et les effets de la douce-amène, par Mr. CARRE'RE. à Paris. 8.

IO. CARVER *Reiſen durch die innern Gegenden von Nordamerica in den Jahren 1766. 1767. und 1768. Aus dem Engliſchen von D.* I. P. EBELING. *Hamburg.* 8.

Diſcours ſur cette queſtion: Eſt-il plus important de défricher les terres incultes; ou eſt-il plus utile de cultiver avec plus de ſoins, et de ſ'occuper d'ameliorer celles qu'on a deja miſes en nature de rapport? par Mr. CONSTANS DE CASTELLET. à Turin. 12.

An Eſſay on the Theorie and Practice of medical Electricity. By TIBERIUS CAVALLO. London. 8.

Mémoire ſur l'Electricité medicale, et hiſtoire du traitement de vingt malades traites et la plupart gueris par l'Electricité, par Mr. MAZART DE CAZELES. à Paris. 8.

A Treatiſe of the Diſeaſes of the Eye. By GEO. CHANDLER. 8. (vid. comm. n. Vol. XXV. p. 411.)

Mémoire ſur l'uſage des narcotiques dans les fievres intermittentes, par Mr. CHANOY. à Paris. 8.

P. CHESTONS *pathologiſche Unterſuchungen und Beobachtungen in der Wundarzneykunſt und Zergliederung krankhafter Leichname. Aus dem Engliſchen, von* I. C. F. SCHERF. *Gotha. gr.* 8.

Reiſe des Grafen von CHOISEL - GOUFFIER *nach Griechenland. Aus dem Franzöſiſchen. Gotha.* 8.

Anweiſung zur nützlichen und angenehmen Bienenzucht, von I. L. CHRIST. *Frankfurt.* 8.

EIUSD. *patriotiſche Nachricht und für jeden Landmann einträgliche Anweiſung zu dem Tabacksbau. Frankfurt.* 8.

HEINRICH JOSEPH COLLIN *Wahrnehmungen von den Kräften der bittern Kreuzbluhmenwurzel, und von den Wirkungen des Kampfers. Aus dem Lateiniſchen, von* P. I. FERRO. *Wien. gr.* 8.

Oſſervazioni fiſico - pratiche ſopra alcuni animali domeſtici villerecci, per G. COMINO. Padova. 4.

LE VERRIER DE LA CONTERIE *normänniſcher Jäger, oder die neueſte Jagdſchule; nebſt einem Anhange von den Arzneymitteln für Parforshunde und Pferde. Aus dem Franzöſ. Münſter.* 8.

Hiſtoria

Hiſtoria naturalis teſtaceorum Britaniae, or the Britiſch Conchylogy. By EMANUEL MENDES DA COSTA. London. 8.

DOMICI COTTUNNI de Iſchiade neruoſa commentarius. Editio noua. Neapoli. 8.

I. G. CRAMER Diſſ. caſus morbi vareni cum epicriſi. Duisburg. 4.

Diſputatio de lichene islandico; auctore W. C. P. CRAMER. Erlangae. 4.

Chemiſches Journal für die Freunde der Naturlehre, Haushaltung und Manufacturen, von D. L. CRELL. *3ter, 4ter und 5ter Theil. Lemgo.* 8.

EIUSD. Diſſ. de zinco medico recentius obſeruata. Helmſtadii. 4.

Le porte-feuille du phyſicien ou Recueil des actions et des moeurs des animaux, par Mr. DE LA CROIX. 12.

Every on his own phyſician; or the preſent practice of phyſic. Wherein the definition and ſymptons of diſeaſes are laid down, and the preſent method of cure delineated. By ROBERT DALBON. London. 12.

C. F. DANIELIS commentatio de infantum nuper natorum pulmonibus et vmbilico. Halae 8.

Experiments eſtabliſhing a criterion between mucagineous and purulent matter etc. By CHARLES DARWIN. London. 8. (vid. comm. n. Vol. XXVI. p. 328.)

NATH. ERN. DAUTER de vſu aquae frigidae externo topico. Gottingae. 4.

CARL VON DEGEER *Abhandlungen zur Geſchichte der Inſekten. Aus dem Franzöſ. mit Anmerkungen, von* I. A. E. GOEZE. *3ter Band. Nürnberg.* 4.

A complete phyſico-medical and chirurgical treatiſe on the human eye; and a demonſtration of

M 5 natural

natural viſion. The whole illuſtrated with a variety of fine engravings repreſenting the anatomy of the eye and the inſtruments neceſſary for the chirurgical diſordres. On a new plan. By PETER DEGRAVERS. London. 4.

H. F. DELII ſynopſis introductionis in medicinam vniuerſam, eiusque hiſtoriam litterariam. Erlangae. 8. mai.

EIUSD. aduerſaria argumenti phyſico-medici. Faſc. IIdus. Ibid. 4.

S. TH. DEMEZA compendium medicum practicum per faſciculos diſtributum. Faſc. IIdus et IIIus. Havniae. 8. mai.

Ragionamento fiſico-chirurgico ſopra gli effetti della muſica nelle malattie nervoſe, da LOARGI DESBOUT. Livorno. 12.

Traité des maladies de gens de mer, ſeconde edition, avec le traité des fievres de St. Domingue, par Mr. P. DESPERRIERES. 2 Vol. à Paris. 8.

Vortheile der Gärtnerey in vermiſchten Abhandlungen, von C. I. F. VON DIESKAU. *Coburg.* 8.

Travels trough Spain with a view to illuſtrate the natural hiſtory and phyſical geography of that Kingdom in a ſeries of lettres. By JOHN TALBOT DILLON. London. 4.

Prodromo in forma di lettera dell' iſtoria naturale de monti Eugenei, del A. C. DONDI. in Padova. 8.

Eſſai ſur l'art d'imiter les eaux minérales par Mr. DUCHANOY. à Paris. 8.

Medical commentaries exhibiting a conciſe view the lateſt and moſt important diſcoveries in medicine and medical philoſophy. By ANDREAS DUNCAN. Part. I. Dilly. 8.

Pharmacopoea geneſenſis, ad vſum noſocomiorum, Auctori-

Auctoribus C. G. DUNANT, L. ODIER, et D. DE LA ROCHE. Geneuae. 8.

Trattato delle malattie del petto conoſciute ſotto il nome di tiſe polmonare. Opera di M. DUPRE. Napoli. 8.

M. S. DU PUI de affectionibus morboſis hominis dextri et ſiniſtri. Amſtelodami. 8.

C. F. DUTTENHOFER *von dem Pflanzenleben, in Beziehung auf den Ackerbau. Stuttgard.* 4.

F. C. W. EBERT diſſ. inauguralis de obeſitate nimia et morbis inde oriundis. Gottingae. 4.

I. P. EBERHARDS *vermiſchte Abhandlungen aus der Naturlehre, Arzneygelahrheit und Moral. 3ter Theil. Halle.* 8.

I. I. EBERTS *Unterweiſung in den Anfangsgründen der Naturlehre, zum Gebrauche der Schulen. Leipzig.* 8.

Deſcription et uſage de quelques lampes à air inflammable, par F. L. EHRMANN. à Strasbourg. 8.

EIUSD. *Beſchreibung und Gebrauch einiger elektriſchen Lampen. Aus dem Franzöſiſchen, von dem Verfaſſer. Strasburg.* 8.

I. C. EHRMANNS *praktiſche Verſuche in dem Dampfe der Pferde. Frankfurt.* 8.

EIUSD. *Beyträge zur Aufklärung des Trippers.* Ib. 8.

Philoſophical obſervations on the ſenſes of viſion and hearing; to wich are added a treatiſe on harmonic ſounds and an eſſay of combuſtion and animal heat. By I. ELLIOT. London. 8.

Eſſays on phyſiological ſubjects. By the Same London. 8.

EIUSD. elements of the branches of natural philoſophy. London. 8.

Deſcription du mangoſtan et du fruit à pain. Ouvrage traduit d'anglois, de I. ELLIS. à Paris. 8.

I. G.

I. G. D. ELLISENII experientiae medicorum paradoxon, vt medicinae nomina daturis potius proficiat, ratiociniis euictum, ſolideque explicatum. Quedlinburgi. 8. mai.

Abhandlung über die Bruſtbräune, von C. F. ELSNER. *Königsberg.* 8.

Beſonderes Mittel wider das Podagra. A. d. F. des Herrn EMERIGON. *Dresden.* 8.

Genees - Natuur - en Huishoudkundig Kabinet uitgegeven door I. VOEGEN VAN ENGELEN. Te Leiden. gr. 8.

Ueber die Wetterbeobachtungen, von F. X. EPP. *Am Namensfeſte* CARL THEODORS *zu Pfalzbayern abgeleſen. München.* 8.

Obſervations ſur le magnetiſme animal, par Mr. D'ESTON. à Paris. 12.

D. I. G. ESSIG *Bildung eines Wundarztes, nach dem Muſter der beſten und neueſten chirurgiſchen Schriftſteller. 1ter und 2ter Theil. Augsburg.* 8.

Reflections ſur divers ouvrages de Mr. MITIE, touchant les maladies veneriennes, par Mr. FABRE. à Paris. 8.

I. C. FABRICIUS, *Reiſe nach Norwegen, mit Bemerkungen aus der Naturhiſtorie und Oekonomie. Hamburg.* 8.

OTHONIS FABRICII fauna groenlandica. Hafniae. 8.

FABRITZ VON HILDEN *chirurgiſche Beobachtungen und Curen. 1tes und 2tes Bändchen. Flensburg.* 8.

D. I. C. FAHNER diſſ. de cauſis et ſignis malignitatis. Ienae. 4.

The hiſtory of epidemies, by HIPPOCRATES. Translated into Engliſh from Greek. By S. FARR. London. 4.

Dr. BERNH. FAUSTS *anatomiſche Beſchreibung zwoer Misgeburten, nebſt einer Unterrichtung von der wahr-*

wahrſcheinlichen Entſtehung der Misgeburten überhaupt. Gotha. gr. 8.

Dr. BERNH. FAUSTS *Unterſuchung des Werths der Trennung der Schooßbeine bey ſchweren Geburten.* Ibid. 8.

Oſſervazioni e ſcoperte ſulle canape, e la ſua ſeparazione, per eſe guire con eſſe le piu pregievoli, e delicate manufatture, memoria del Sig. ENRICO FELICE. Venezia. 8.

I. I. FERBERS *phyſikaliſch-metallurgiſche Abhandlungen über die Gebirge und Bergwerke in Ungarn. Nebſt einer Beſchreibung des ſteiriſchen Eiſenſchmelzens und Stahlmachens, von einem Ungenannten. Mit Kupf. Berlin.* 8.

Pflanzen-Organologie, oder: Etwas aus dem Pflanzenreiche, inſonderheit die ſonderbaren Wirkungen des Nahrungsſaftes in den Gewächſen. Herausgegeben von C. G. FEUEREISEN. *Hannover.* 8.

EIUSD. *praktiſche Abhandlungen über einige wichtige Gegenſtände in der feinen Gärtnerey. Ibid.* 8.

I. EHRENREICHS VON FICHTEL *Beytrag zur Mineralgeſchichte von Siebenbürgen. 1ter und 2ter Theil. Nürnberg.* 4.

Lettre a Mr. GUERIN ſur un mémoire, qu'il à inſeré dans ſon eſſai ſur les maladies des yeux, par Mr. A. FIGUET. à Genève. 12.

De morbis bilioſis anomalis, in comitatu Tecklenburgenſi obſeruatis, Auctore L. I. FINKE. Monaſter. 8. (vid. comm. noſtr. Vol. XXV. p. 425.)

Diſſ. inaug. medica de rabie canina eiusque ſequelis atque medela, auctore I. I. C. FLACHSLAND. Argentorati. 4.

Lettera del D. L. FLORILLI al Sig. L. NANNONI ſopra gli ſtravaganti ſintomi di una rara paraliſia. In Firenze. 8.

C. FLO-

G. FLORIS tentamen medicum inaug. de ſtomachi debilitate. Hamburgi. 4.

Dictionnaire de phyſique, par Mr. S. DE LA FOND. à Paris. 4. Vol. 8.

G. FONTANAE diſquiſitiones phyſico - mathematicae. Nunc primum editae. Patauii. 4.

L'art de ſoigner les pieds, contenant un traité ſur les cors, verrues etc. par Mr. DE LA FOREST. à Paris. 12.

Voyage aux Molucques et à la nouvelle Guinée fait en 1774, 75, 76. par Mr. FOREST. à Paris. 4.

FORSTERS, D. I. R. *Reiſe um die Welt, in den Jahren* 1772 *bis* 1775 *auf dem von dem Capitain* COOK *geführten Schiffe. Herausgegeben von ſeinem Sohne,* GE. FORSTER, *auch vom Verfaſſer ſelbſt aus dem Engliſ. überſezt. 2ter Band. Berlin. gr.* 4.

EORUMDEM *Beſchreibung der Gattungen von Pflanzen, auf einer Reiſe nach der Südſee, während den Jahren* 1772 *bis* 1775 *geſammlet. Aus dem Lateiniſchen von* I. S. KERNER. *Stutgart.* 4.

A. FORTIS *Beſchreibung des Thales Ronka im veroneſiſchen Gebiethe, a. d. Ital. von* Dr. F. A. WEBER. *Heidelberg.* 8.

An account of a Cure of the St. Vitus Dance by Electricity. By A. FOTHERGILL. London. 8.

I. P. FRANKS *vollſtändiges Syſtem einer mediciniſchen Polizey. 2ter Band. Manheim. gr.* 8.

Vtriuſque femoris fracti atque ſanati hiſtoria cum epicriſi, Auctore I. H. FREYTAG. Lipſiae. 4.

Φυσιολογία, or the doctrine of nature, by T. FREWEN. London. 8.

Opuſcoli filoſofici, dell Abate FRIOL. Milano. 8.

Neues Magazin für die Liebhaber der Entomologie, von I. C. FUESLY. *Zürich.* 8.

(Reliqua ſequuntur.)

Contenta

Contenta in hac parte.

I. Kongl. Vetenſkaps Nya Handlingar. Tom. III. För År 1782. ſ. Noua acta Acad. Reg. Scient. Suecicae, Annus 1782 pag. 3
II. CHRIST. IACOBI THEOPHILI DE MEZA de notabilioribus obiectis ad artem obſtetricandi ſpectantibus 17
III. IOAN. ANDR. MURRAY Apparatus medicaminum in praxeos adiumentum conſideratus 19
IV. M. I. MARX *Geſchichte der Eicheln* 31
V. IOH. KAEMPFS *neue Methode, die Krankheiten des Unterleibes, beſonders die Hypochondrie, zu heilen* 34
VI. IOH. ANDR. SCHERER *Geſchichte der Luftgüteprüfungslehre* 54
VII. Meteorologie appliquée à la Médécine et à l'agriculture, par Mr. RETZ. 58
VIII. THOMAS BOND Defenſe de l'inoculation 62
IX. Traité théorique ſur les maladies épidémiques, par Mr. LE BRUN 65
X. JACOB FRIEDR. ISENFLAMM *Verſuch über die Eingeweide* 69
XI. ERNST ANTON NICOLAI *Fortſetzung der Pathologie, dritter Band* 77
XII. ALBRECHTS VON HALLER *Beyträge zur Krankengeſchichte, mit Anmerkungen von Dr.* LORENZ CRELL. *Fünfter Band* 80
XIII. M. I. MARX *Abhandlung von der Schwind-Lungenſucht* 81
XIV. IOH. HUNCZOVSKY *mediciniſch-chirurgiſche Beobachtungen* 87
XV. CAROLI DE MERTENS obſeruationes medicae. Tomus II. 92
XVI. (METZGERI) *Entwurf einer Medicina ruralis* 97
XVII. JOSEPHI JAC. PLENCK bromatologia 99
XVIII. IOANNIS WILH. BAUMERI Anthropologia anatomico-phyſica 102

XIX. PETRI CAMPER obſeruationes circa mutationes, quas ſubeunt calculi in veſica, ex belgico a JOSEPHO CSEH SZOMBATHY pag. 105
XX. DONALD MONRO *über die Mittel, die Geſundheit der Soldaten zu erhalten* 110
XXI. RUDOLPH BUCHHAVE obſeruationes circa radicis gei vrbani ſiue caryophyllatae vires 113
XXII. DANIEL NOOTNAGELS *Handbuch für praktiſche Aerzte* 118
XXIII. DELIUS *von dem ausſetzenden Puls* 120
XXIV. FR. XAV. HAEBERL. de febribus annuis 122
XXV. HIERONYMUS DAVID GAUBIUS *Anfangsgründe der mediciniſchen Krankheitslehre* 124
XXVI. JACOBI IOANNIS KLINT commentatio anatomica de neruis brachii 126
XXVII. ULRICH CHRISTOPH SALCHOW *Beſchreibung der vierzigjährigen Krankheit des Herrn Etatsrath* VON JESSEN. 128
XXVIII. LEOP. M. A. CALDANI'S *Phyſiologie des menſchlichen Körpers, aus dem Lateiniſchen von* FRANZ AMBROS REUSS. 130
XXIX. *Fortgeſetzte Nachricht von einem merkwürdigen mediciniſchen Rechtshandel in Münſter* 131
XXX. Mémoires de la ſocieté des ſciences phyſiques de Lauſanne. Tome premier 131
XXXI. Collection de mémoires chemiques, par QUATREM. D'ISJONVAL Tom. I. 149
XXXII. Noua phyſico-medica 165
XXXIII. Index librorum phyſico-medicorum, qui anno 1780 prodierunt 175

COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.



VOLVMINIS XXVII. PARS II.

LIPSIAE, MDCCLXXXV.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH

Venduntur etiam
Londini apud Fr. Elmsly, Edinburgi apud Io. Balfour, Lugd. Bat. apud Fratres Luchtmann, Pariſiis apud Barroi ſenior. Venetiis apud Io. Bapt. Paſquali, Milano apud Ioſ. Galeazzi, Auguſtae Taurinor. apud Laurent. Giraud, Holmiae apud Magnum Swederum.

I.

Acta Regiae ſocietatis medicae Havnienſis. Volumen I. Havniae **1783. in 8. cum tabula aenea elegantiſſime ſculpta, *Geum vrbanum* ad naturam exhibente, et fronte libri noſocomii Regii Fridericiani proſpectu ornata 480 pagg.**

Continentur his actis doctiſſimorum virorum opera ſequentia:

FRID. LUDOV. BANG *Selecta diarii noſocomii Fridericiani pro anno 1781.* Comprehenduntur his obſeruationibus vtilia multa, rara quaedam. In viri poſt compreſſum violenter alui fluxum ſanguinolentum hectici vomituque continuo vexati cadauere omentum admodum longum in peluim dependens, inteſtina omnia contracta, ventriculus inflammatus, pylorus calloſus, craſſus, coalitis ita lateribus, vt omnis cibis tranſitus praecluderetur, inuenta ſunt. — Diabetes cum ſcorbuti ſymptomatibus antiſcorbuticis, inprimis citri ſucco, ſanatus eſt. *Scorbuticum diabetem* appellat Cl. vir. — In mulieris poſt apoplexiam hemicrania et paralyſi pedis ſiniſtri laborantis cadauere dura mater ſub bregmate dextro calloſa, in hemiſphaerio (cerebri) eiusdem lateris tres abſceſſus inuenti ſunt. In feminae poſt cephalalgiam enormem, delirium, inſomnia, caet. demor-

tuae cadauere duo oſſicula acuta ſuperficiei internae durae matris affixa et in dextro cerebri ventriculo ſerum ſanguineum reperta ſunt. — In virgine poſt menſtruum fluxum obſtructum pectoris oppreſſione et cordis palpitatione demortua in pectore ſeri copia admodum larga, cor inſignis magnitudinis et capacitatis, aortae curuatura enormiter expanſa et cartilaginoſae ſubſtantiae inuenta ſunt. Aſphalti oleum ad phthiſin ab oſſiculo in aſperam arteriam illapſo productam cum cucumerum ſucco admodum valuit.

p. 26. GULBRAND *de vi antiſpaſtica et emmenagoga emeticorum.* Puellae ex menſtruo fluxu ſuppreſſo conuulſionibus correptae kermes minerale ad grana quatuor cum cremore tartari datum conuulſiones ſedauit, menſtruum fluxum reſtituit. Eadem et in alia obſeruata ſunt.

RANÖE *ſymbola ad hiſtoriam dyſenteriae epidemicae autumno anni 1779. circa Aarhuſiam graſſantis.* Bilioſa fuit dyſenteria. Rheo nupta ipecacuanhae radix in initio data morbo multum detraxit. Rariſſime anodyna morbus requiſiuit. Pueris magneſia cum fructu data. Frumenti ſpiritus tormina pertinaciſſima, cum aluo conſtipata excitauit. Subinde poſt eius vſum immanis hypogaſtrii dolor, ſtranguria, nigri vomitus, ſingultus, anxietas, debilitas, aphthae, mors. Putridum in progreſſu factum morbum debellarunt cortex Peruuianus, et euacuantia poſtea data.

DE MEZA *vis corticis Peruuiani ſuſpecta in haemoptoes et phthiſeos curatione.* Inflammatorius in his morbis ſanguinis ſtatus eſt, eique obeſt omni modo cortex, ſi et nitro adiungatur. Ad haemoptyſin et roborandi ſcopo datus cortex Peruuianus parum profecit. Tabidorum febrem, tuſſim, ſudores, auxit medicina, intermittentibus tantum febribus et ex earum genere continuis accommodata.

BUCH-

BUCHHAVE *aethuſae cynapii in corpore humano effectus nociuus.* Conii maculati herbam Cl. vir ſemper malo cum ſucceſſu aegris praeſcripſit. Poſtea experimenta docuere, conium a culpa vacuum fuiſſe, maloſque ſucceſſus ab aethuſa conio maligne admixta obortos eſſe. Induxit aethuſa conio admixta tremores, vertiginem, oculorum hebetudinem, vomitum, virium defectum. Conium poſtea verum datum cancroſa vlcera perfecte ſanauit. Eosdem effectus ſubinde et violentiores aethuſa in aliis induxit. Docetur tandem, quanti interſit verum conium dare. p. 51.

CALLISEN *ſpecimen deſcriptionis morborum anno 1779. in noſocomio nautico graſſantium.* Prima haec particula pectoris morbos complectitur. In 185 aegris pectoris inflammatione laborantibus 34 diem obiere ſupremum. Primum morbi ſtadium rariſſime Cl. vir vidit, pluribus in noſocomium delatis pectore iam ſuppurato, gangraenoſo (hinc tam copioſae mortes.) Symptomata febris ex biliosa inflammatoriae excepit tuſſis cum eiectione ſanguinolenta foetidiſſima, fauſto ſucceſſu, ſi eiectio ad 13 vel 15 diem augeretur. Conualuerunt tamen aegri hebdomade morbi octaua vel nona, phthiſici obiere quinta. Putredinis ſummae et bilis acerrimae indicia plurima. — Breue leuamen venae ſectiones attulerunt, nec eorum ſtatus peior fuit, quibus ſanguis non detractus eſt. Quo frequentior ſanguinis miſſio, eo citior mors. Adhibuit Cl. vir tartarum emeticum, adfectum latus a ſpina dorſi ad ſternum vſque veſicatorio tectum, poſtea cortex Peruuianus exhibitus eſt. Senegae infuſum ſymptomata vehementer auxit. — In XII. aegrotis a morbo phthiſicis VI. oleo aſphalti et corticis infuſo ſanitatem recuperarunt.

AASHEIM *relatio mortis ſubitae, genii morboſi ſubdoli et viſorum in cadauere defuncti aperto, vna cum monitis circa diagnoſin et prognoſin difficilis morbi* p. 77.

 ilei.

ilei. Iuuenis poſt paſtum vomitu, torminibus, conuulſionibus vexatus ſtatim obiit, ſaniſſimus antea. Lien in cadauere naturali durior. Inteſtina admodum inflammata. Pericardium aquis repletum. Cerebri ſubſtantia corticalis, medullaris rubicunda.

TODE *de cephalalgia rheumatica hirudinibus extemplo ſublata.*

BANG *continuatio diarii noſocomii Fridericiani.* Vini acetum ter in die ad vnciam dimidiam datum inſaniam depulit. Vteri tumorem cicutae extractum cum gummi ammoniaco minuit. — In melancholici cranio piae matris venae mire turgidae, in baſi encephali ſerum ſanguinolentum. Bilis in veſicula fellea nigra. Inſaniam aceto ſaepe ſanauit Cl. vir. Poſt capitis a lapſu commotionem pus circa duram matrem, ſplen purulentus inuentus eſt. — Vtilia plurima obſeruata hoc diarium continet.

p. 119. BUCHHAVE *de Gei vrbani radice, pharmaco corticis Peruuiani ſuccedaneo.* Plantae deſcriptio praemiſſa eſt. Radix vere colligenda, in patulo, frigido loco ſiccanda. Virtutem adſtringentem, alexipharmacam, putredini aduerſam habet. Prima cum ea tentamina in febribus intermittentibus inſtituta ſunt, vbi efficacia omnem ſaepe exſpectationem ſuperauit. Tres aut quatuor drachmae ad febres maxime rebelles datae ſunt. Sanati et alii morbi periodici hac radice ſunt. Et eſſentiae vtilitas quaedam adſcribitur. In haemorrhagiis, tuſſi conuulſiua, caet. vtilis radix eſt.

GULBRAND *obſeruationes de eryſipelate.* De vertigine periodica eryſipelate zonali ſoluta. Altera obſeruatione eryſipelas veſiculare deſcribitur.

p. 150. AASKOW *deſcriptio et methodus medendi febris tertianae duplicis periculoſiſſimae, anno* 1779. *Hafniae graſſantis.* Die quinto delirium, frigus corporis, anxietas, poſtea ſitis, dolor, ſingultus, tendinum ſubſultus. Iuuit methodus ſueta: euacuantibus ma-

teriae parte expulſa, cortex Peruuianus datus eſt. Symptomata a ſpaſmis pendentia nec opium, nec moſchus ſedauit. Vnicus aeger lethargo captus periit. Alium ſingultus jugulauit, alios quosdam inflammatio viſcerum abdominis.

SCHOENHEYDER *obſeruationes medicae varii argumenti.* Angina inflammatoria cum febre manifeſte remittente coniuncta cortice Peruuiano ſanata. Clyſter ex opio et aſa foetida vomitus hyſtericae admodum continuos ſedauit. Arthritidem mercurius ſublimatus corroſiuus ſuſtulit. Vlcera a variolis reſidua decoctum foliorum cicutae externe adhibitum ſanauit.

AASHEIM *de vi anthaemoptoica radicis ipecacuanhae minutis portiunculis datae.* Aegri morbo, ſanis antea pulmonibus exiſtentibus, fere deſperato ob copioſiſſimam, perdurantem, nec vlli medicinae cedentem haemoptyſin ſubuenit mire ipecacuanha iterato ad quartam grani partem data. Doſis tertia vomitum concitauit.

ROGERT *obſeruatio de morbo maculoſo haemorrhagico.* Puella poſt ſaltationem, aeſtuante corpore frigori expoſita, largiſſimum fluxum vterinum cum febre paſſa eſt. Altero die ſanguis foetidus, tenuior ore reiectus, bullae in ore tali ſanguine refertae, nares ſanguinem fundentes, lotium ſanguinolentum, maculae in cute rubrae, ſanguinolentae. Nitrum cum oxymelle datum, vena ſecta, rheum adhibitum eſt praepoſtere. Morbum ſanauit vitrioli ſpiritus, cortex Peruuianus. p. 184.

SAXTORPH *obſeruatio de foetu aperto abdomine viſceribusque abdominis ſolo peritonaeo tectis nato.*

AASKOW *de hydrope obſeruationes.* In viro hydrops obortus eſt poſt dyſuriam ortam a lotis aqua frigida genitalibus. Gangraenam, inciſis extremitatibus inferioribus obortam, cortex Peruuianus ſanauit. — In alia aquae a perfrigerio corporis col-

lectae refrigerantibus medicinis et tartari cremore eductae ſunt. In anaſarca phthiſicorum cucumerum recentium ſuccus ſaepe profuit.

RANÖE *ſymbola ad hiſtoriam morbillorum epidemice anno 1781. graſſantium.* Mitiſſima epidemiae indoles fuit.

de MEZA *rara podagrae metamorphoſis.* Fuit pareſis faciei ad latus dextrum, cum linguae titubatione. Dolorem in pedis digito poſtea obortum excepit gangraena, qua omnes digitorum phalanges cecidere. Vlcus demum conſolidatum eſt.

p. 218. BUCHHAVE *obſeruationes varii argumenti.* Melancholica femina cultello, quo calami ſcriptorii aptantur, ventrem ſibi perfoſſit. Reſedit in vulnere culter. Sanatum vulnus eſt, ſed mala plurima, hyſtericam affectionem referentia, oborta ſunt. In epigaſtrio et hypochondrio dextris tumor elaſticus, magnus, dolens. Sub ventriculi ſede cicatrix concreta. Tandem doloribus exhauſta obiit. Inciſo abdomine aër putridus cum ſonitu prorupit. Inteſtina inflata, inflammata. Colon cicatrici adhaerens nigrum, gangraenoſum. Infra hoc foramen tumor in meſocolo calloſus, cauum referens inciſusque cultellum continens nigrum. Eroſa ferrea cultelli pars fuit, ex aurichalco praeparata pars polituram paſſa nouam eſt. — Rheumatiſmus brachii euacuantibus aluinis penitus ſanatus eſt. — Epilepſiae periodicae (terrore vtplurimum inductae) cortice Peruuiano ſanatae exempla. — Melaena ſcorbutica. — Scorbutus liuidus. — Rubeola anomala. —

BANG *ſelecta diarii noſocomii Fridericiani pro anno 1781.* Signis inflammationis in viſceribus infimi ventris et putredinis praeſentibus, ſecuriorem antiphlogiſticam curam ſemper comperit Cl. vir. — In viro diarrhoea diuturna demortuo inteſtina tenuia omnia mire coarctata, pancreas, hepar indurata, ventriculus calloſus reperta ſunt. In aſthmate periodico demor-

demortuo hepar enorme, induratum, pulmo dexter admodum exiguus. Morbilli graſſantes benigniſſimi, licet putridae febres ſimul graſſarentur. — In viro poſt capitis dolorem delirante, ſomnolento, rigido, muto ſanguis intra cranium effuſus, vaſa cerebri turgidiſſima, dextrum hemiſphaerium cerebri molle, putridum. — Apoplexia demortuus cerebrum compactum, laxius cerebellum habuit. In alio cerebri ſubſtantia admodum mollis, cerebri hemiſphaeria coalita. Inflammationes pectoris febribus putridis adiunctas ſaepiſſime vidit, admodum periculoſas. Haemoptyſin ſaliuatio admodum copioſa excepit. In viri, qui tumorem in abdomine perceperat cum intolerantia omnis cibi ſolidioris, vomitu, corporis colliquatione, poſt mortem inciſi abdomine nulla inteſtina viſa ſunt, eorum vero locum meſenterii tumor occupauit, totam abdominis cauitatem implens, materiem ſanioſam effundens. Naturalia caeterum omnia, praeter inteſtina loco ſuo depulſa. Febres tertianae gei riualis radice ſanatae ſunt. Potum nimium hydrops excepit, hydropem depulſum difficilis mictio, hanc arthriticus dolor. Pectoris inflammationes ad caput delatae ad Noſtri mentem ſemper inflammatoriam methodum requirunt (ſed ſemper ad ſordes, ob conſenſum, reſpiciendum). Putrida febris cum petechiis larga ſanguinis ex vtero profuſione ſanata eſt. In alio haemoptyſis funeſta oborta. Multum in puerperali febre Borax veneta ad lochia reſtituenda, omnia pacanda, contulit. Inciſum puerperali febre demortuae cadauer exhibuit ſerum purulentum in peluis cauo, ſuperficiem vteri anteriorem cruſta purulenta obductam, tubas Fallopii, ouaria inflammata. In alia eadem febre poſt ſanguinis nigri vomitum demortua inciſa tumidum abdomen ſeri admodum foetidi inſignem quantitatem continuit, omentum ſphaceloſum fuit, viſcera abdominis omnia putridam pul-

 tem

tem retulerunt. In alius eodem morbo demortuae abdomine ſerum flauum, purulentum, vterus ſanguine grumoſo diſtentus, ouaria inflammata reperta ſunt. Vnica morbum feliciter ſuperauit. Duratio vtplurimum breuis morbi, ad quinque dies eſt. (Alius ſpeciei puerperarum febrem nos nuper vidimus. Poſt morbidam cauſſam in abdomine reſolutam morbus, abſceſſuum more, in pectus translatus eſt, catarrhumque induxit paene ſuffocatiuum cum inflammationis notis leuioribus pulmonum. Abſceſſus poſtea cum ſummo aegrae leuamine ſub axilla ortus eſt, durus admodum, admodum obſcure fluctuans, fere ſcirrhoſus. Aegra lectum reliquit, ſed abſceſſus inciſionem penitus negauit. Translata iterum materie ad abdomen, morbus putridiſſimus, cum inflammatione ortus eſt. Tandem pedes intumuere, ſciſſoque ſponte tumore lacteae materiei inſignis admodum copia prorupit; ſed gangraena in internis partibus nimis adfectis aegra mortua eſt, quinta morbi hebdomade, ſeruanda ſine dubio, ſi abſceſſus inciſionem toleraſſet.) In cadauere viri, qui diuturnis torminibus cum vomitu et corporis colliquatione laborauerat, extremitas ventriculi dextra dura, cartilaginoſa, caput neonati magnitudine referens, ad pylorum materiam ichoroſam continens inventa eſt. Ventriculi capacitas admodum parua. — Putridae febres gaſtricaeque aliae Auguſto graſſatae ſunt, frequenter etiam viſcerum imi ventris inflammatio. Puerperali febre demortuae cadauer omentum, colon, meſenterium, ventriculum, vterum, ouaria inflammata, ex parte gangraenoſa exhibuit. In alia abſceſſus in altero ouario, vteri interna ſuperficies gangraenoſa, naturalia caeterum omnia. Serum in abdomine effuſum in omnibus cadaueribus repertum eſt. — In morbo nigro demortuo ventriculus admodum attenuatus, perforatus repertus eſt, in alio eodem morbo, poſt perſiſtentem deglutitionis diffi-

difficultatem demortuo cadauer maxime attenuatum ventriculum intus inflammatum, rugas calloſas verſus cardiam maxime prominentes humorem atrogrumoſum multum continentes, cardiam ſcirrhoſam, cartilagineam, oeſophagum infra ſcirrhoſum, cartilagineum, orificium ventriculi ſuperius anguſtiſſimum, ſpecillo vix peruium, pancreas ſcirrhoſum, hepar cartilagineum, exhibuit. — Inciſum putrida febre demortui cadauer piam matrem telae celluloſae inſtar inflammatam ſerumque in cerebro copioſum exhibuit. Sana caeterum omnia. In alio eodem morbo exſtincto ſerum tantum in capite repertum eſt. — Colicae ſpaſmodicae, colicam pictonum referentis, exempla. Sanati ſunt hi morbi primum inflammationi aduerſis, poſtea ſpaſmum ſedantibus, emollientibus medicinis. — Sinapis Anglici puluis ad febrem admodum putridam cum petechiis praeclare valuit, in aliis vero caſibus non aeque. Aegri medicamentum, efficax certe, facile recuſant. — In puerperali febre demortua ante mortem puris inſignis copia ex vmbilico ſponte profluxit. Purulenta, inciſo abdomine, et ſphaceloſa omnia. Quartanas tartari cremor cum ſale ammoniaco ſanauit. — In dyſuria demortuo hepar enormis magnitudinis, pancreas induratum, veſica vrinaria craſſa, calloſa, exulcerata. In capite ſerum. — Hae obſeruationes doctiſſimi omni modo viri ſummum obſeruandi ſtudium produnt, rerumque vtiliſſimarum copiam magnam continent, vt verum libro ornamentum ſint.

GULBRAND *in epidemiam morbilloſam Hauniae circa primam anni 1781. quadrantem graſſantem annotata medico-practica.* Dimidia aegrorum pars adulti fuere. Nulla inflammationis ſigna ſanguis initio extractus praebuit. Menſtruatae durante morbo, eo ſuperato menſes copioſiſſimos expertae ſunt. Morbus admodum mitis, nulli fatalis. P. 303.

AAS.

AASKOW *obſeruationes practicae.* Leniorem gummi guaiaci cum ſacchari ſpiritu ſolutio podagricum inſultum reddidit, lumbaginem, arthriticum aſthma leuauit. Illito abdomini vnguento mercuriali plures obſtructionibus viſcerum laborantes, fruſtra efficaciſſimis medicinis exhibitis, ſanati ſunt. Abortum habitualem praeuertit ſitus tranquillus, temperatiſſimum regimen, opiatorum vſus. Laxantia, rheum cum ſale medio, caet. ad febrem puerperarum mire profuerunt. — Auctoris filius cruſta lactea repreſſa conuulſionibus necatus eſt. Inciſo cadauere, meſenterii glandulae induratae fuere. Alius puer trucidatus eſt materia cruſtae lacteae ad pulmones delata. Alius, eodem modo trucidati, hepar, diaphragma inflammata, meſenterium obſtructum, fuere. — Maculoſum morbum WERLHOFII in puella vidit Cl. vir, euacuantibus, antiphlogiſticis, antiputridis ſanatum.

BUCHHAVE *colicae lactentium cura.* Eclampſiae puerilis frequentiſſima cauſſa ex Noſtri ſententia colica eſt. Origines ducit haec colica a meconio retento. Maxime frequens eius cauſſa acrimonia acida eſt. Tartari ſalem ad grana circiter vnum ad tria pro doſi datum, ceu ſpecificum commendat, et nutrici exhibendum. (Noſtram ſpem magneſia alba bene praeparata rheo et ſali mirabili Glauberiano nupta raro ſefellit. Multa etiam praeſtat mixtura Boerhaaviana, quam arcanam habuit, in epiſtola ad BASSANDVM deſcripta: fallax aliquo modo tartari oleum eſſe videtur.) Ad *herpetem lactentium* (morbum cruſtam lacteam admodum referentem, forte cruſtam lacteam) alcali fixum ſpecificum etiam eſt. Externe vnguentum ex mercurio praecipitato albo cum axungia laudatur.

p. 331. RANÖE *obſeruationes medico-practicae.* Puſtuloſum herpetem balnea tepida depulere, alterantibus praemiſſis. Radice gei vrbani eroſionis in hyſteri-

cae

cae abdomine ſenſus ſublatus eſt. Periodicam cephalalgiam eadem radix ſanauit, febres vero tertianas ſimplices non aeque. Quotidianam febrem ſanauit, nec non lentam febriculam poſt pleuritidem ſuperatam. In hectica febre radix decocta leuamen attulit, periodicam cephalalgiam non ſuſtulit. — Cicuta triginta tres aegros a tuſſi conuulſiua liberauit. Emetica tamen medicina praemittenda fuit, quo non facto tuſſis pertinacior a cicuta euaſit. Moſchus in caſibus deſperatis, cicuta nullam opem adferente, iuuit.

GULBRAND *ſemicupii tepidi effectus ſalubris et celer confirmatus in iſchuria cyſtoſpaſtica.* Ab anomalia haemorrhoidali et potu ſpirituoſo nimio morbus ortus.

CALLISEN *obſeruata quaedam circa febrem putridam annorum 1779—80. cum adiunctis monitis circa inefficaciam corticis Peruuiani et efficaciſſimam vim pulueris ſeminum ſinapeos Anglicani.* Febris admodum putrida, cum neruoſis ſymptomatibus intenſis. Cortex Peruuianus camphora, ſpiritu vitrioli dulcificato nuptus, in decocto datus ad morbum ſupprimendum parum valuit (forte ob purgationes in initio, ante coctam materiem ad euacuationem datas.) In tribus aegrotis hac curatione vix vnus euaſit. Sinapis ſemen ad drachmam dimidiam pro doſi datum vires inſtaurauit, putredinem cohibuit, ſymptomata debellauit. Hoc remedio potiſſimum effectum eſt, vt vix decimus morbo ſuccumberet.

AASKOW *obſeruationum medicarum triga.* Dorſi ſpinae incuruationem reſtituit fonticulus ad mentem Ill. POTT inciſus. Inflatum in puero ab ingluuie mire abdomen epithemata frigida ſtatim coërcuerunt ſanaruntque. Loquela poſt variolas perdita mercurialibus reſtituta. p. 370.

de MEZA *febris lenta neruoſa cum pyuria.* Febris in ſpirituoſorum potatore, ad animi adfectus admodum

dum procliui oborta eſt. Cura putredini et ſordibus oppoſita parum profecit. In locis cute a veſicantibus denudatis gangraenae ſigna. Tandem, ſtimulo oborto, pus aeger cum leuamine morbi minxit. Antiſepticis, vires inſtaurantibus medicinis reſtitutus eſt.

RANÖE *obſeruata circa febrium intermittentium diuturnarum et male tractatarum ſequelas.* Breui et vtili modo ſequelae intempeſtiuarum curationum enarratae ſunt. Febrem intermittentem vini ſpiritu cum pipere ſuppreſſam excepit cephalalgia cum virium decremento, euacuantibus ſanata. Suppreſſam eodem modo excepit dolor vltimarum vertebrarum dorſi conſtans, cum decubitu in latere ſiniſtro intolerabili. Veſicante regioni hepatis adplicato febris reſtituta eſt. Eodem modo ſuppreſſa febris oedematoſum totius corporis tumorem induxit. Aquae in abdomine collectae. Mors. Omentum, hepar, lien, magna, mollia, varie concreta. Eodem paene modo ſuppreſſae febri ſucceſſit cardialgia cum articulorum conuulſione. Morbus emetico ſanatus. Cortice Peruuiano ſuppreſſa febris pedum tumorem cum hypochondrii dolore induxit. Purulenta poſtea aeger ſputo reiecit, necatus alui profuſione copioſiſſima. In cadauere pylorus contractus, calloſus, hepar induratum, pectus ſero oppletum, ſcirrhoſa in pulmonibus tubercula. In aſcite hydrope poſt intermittentem febrem demortuo hepar e meris tuberculis duris compoſitum repertum eſt. In alio ab eadem cauſſa hydropico hepar induratum quodam modo, glandulae meſenterii iuſto duriores, pectus ſero plenum reperta ſunt.

p. 394. TODE *exemplum fallaciae in obſeruanda et confirmanda remediorum fallacia.* Morbum ſibi ſuſtulerat aeger medicina quadam occulta, quam Noſter ſuis conſiliis ſublatum putarat.

SAXTORPH *meditationes de vtero ſub grauiditatem rupto, aegra per ſex hebdomades ſuperſtite.* Onus paulo

paulo ponderoſius grauida quum in alium locum transferre vellet, dolorem acerrimum in regione lumbari ſenſit. Deliquium animi: ſanguis ex genitalibus profluxit. Solita XIV. diebus elapſis negotia transegit aegra. Subinde tamen ingens vteri haemorrhagia, non cohibenda. Partus acceleratus eſt. Ex vteri atonia mors. Abdomen in cadauere aqua ſanguinolenta plenum, vterus inflammatus, in poſteriori parte a collo vſque ad fundum ſciſſus.

CALLISEN *relatio epidemiae knilioſo-neruoſo-putridae in claſſe Regia ac noſocomio nautico graſſantis, vna cum obſeruatis circa effectum camphorae doſi conſuetis longe maiori datae et ſeminum ſinapeos Anglicani intus ſumtorum.* Morbus inprimis reduces nautas de capite bonae ſpei tentauit. Neruoſae febris faciem induit, ſymptomatibus putredinis iam mitioribus. Quos durante hac febre dyſenteria corripuit, omnes mortui ſunt. Debellauere morbum euacuantia, cortex Peruuianus, camphora ad drachmam dimidiam iterato pro doſi data. Induxit calorem cutaneum minorem, pallorem, anhelationem, pulſum crebrum, inaequalem. Breui poſt omnia liberiora, optata magis, ſudores, proſpera valetudo. p.407.

TODE *de eximia opii virtute antivenerea obſeruationes variae.* Opium in ſanandis ſymptomatibus venereis *inauditos*, incredibiles (?) effectus edidit. Sanauit opium, doſi eius per gradus aucta, vlcera venerea foetentia admodum, faucium vlcera et condylomata, ingentes in genitalibus foemineis cruciatus, genitalium vlcera, excreſcentias, caet.

RETZ *ſpiritus vini camphoratus aqua miſcibilis.* Camphora oleo vitrioli ſoluta, poſtea aquae frigidae ope praecipitata, ſpiritu vini remixta, aqua exacte ſolvi paſſa eſt. Eodem modo et camphora nitrata aqua ſolui, cum ſpiritu vini paſſa eſt.

de

de MEZA *obſeruatio de grauiditate mixta.* Tumor pinguis, pulpoſus, in vtero, vna cum foetu extractus. Molam fuiſſe putat.

p. 451. RANÖE *obſeruationum medico-practicarum ſubſeciuarum decas.* Continet ſymbola ad hiſtoriam catarrhi, vere 1782. epidemice graſſantis; continuata cum radice gei vrbani experimenta. Nec intermittente, nec hectica febre laborantibus leuamen attulit. Conduxit hyſtericis, conualeſcentibus, haemorrhagiam paſſis. Fluorem album copioſiſſimum erodentem ſuſtulit cortex Peruuianus cum calcis aqua decoctus. Lochia ptyaliſmus ſuppleuit. Epilepſia floribus Zinci ſedata. Spaſticam aphoniam ſanauere epiſpaſtica collo impoſita.

AASHEIM *exempla de vi antarthritica trifolii fibrini.* In arthriticis adfectibus, praeſente ſimul putrida humorum diſſolutione, praeclaros effectus ſuccus (efficaciſſimae alias plantae) edidit.

ABILDGAARD *aliquid ad phyſiologiam muſculorum pertinens.* Mechaniſmum concernit actionis muſculorum in animalibus.

ABILDGAARD *caſus medico-legalis.* Repentinam mortem apoplectici concernit. In cerebro ſanguis et ſerum cruentum effuſa.

II.

Mediciniſch-chirurgiſche Beobachtungen, nebſt einigen Anmerkungen darüber von CHRISTIAN LVDWIG MVRSINNA — *Zweyte Sammlung. Berlin bey Himburg. 1783. in 8vo. 184 pagg.*

i. e.

Obſeruationum medico-chirurgicarum faſciculus, Auctore CHRIST. LVDOV. MVRSINNA. Collectio II.

Prima obſeruatione hiſtoria epidemiae catarrhalis, quae anno 1782. per totam paene Europam graſ-

graſſata eſt, traditur, ſimulque de febre inflammatoria quaedam exponuntur.

Petropoli primum morbum obortum eſſe, (qui tamen, teſte graui in his rebus viro, Ill. PALLAS, longe remotiores origines habuit). Herfordiae maxima militum copia, quorum ſanitatis cura Noſtro demandata eſt, morbo correpta eſt, quumque aegrorum copia mire increſceret, ſani partim venaeſectionibus, partim purgantium, partim, verum raro, emeticorum vſu a morbo optime praeſeruati ſunt. Morbus manifeſte contagioſus et ab hominibus in alios propagatus fuit. Catarrhalis plus minusue inflammatorius fuit, ſubinde tamen, quamuis raro, et bilis corrupta, emetico excutienda in ventriculo haeſit. Venaeſectiones copioſiſſime adminiſtratae ſunt. Praeſtantiſſima medicina nitrum cum tartari cremore fuit.

Inflammatoriae febres, inprimis pleuritides et p. 30.
peripneumoniae, eodem anno, priusquam epidemia illa Ruſſica ingrueret, frequenter graſſatae ſunt. Alios acuto modo, maxime ſolito, alios vero diuturno, levioribus morbi ſymptomatibus morbum ipſum diu praecedentibus, corripuerunt, hique et diutius et gravius aegrotarunt. Medendi ſuam methodum fuſe Noſter deſcribit, qua adhibita omnes aegri conualuerunt. Ea in antiphlogiſtico regimine exacto, venaeſectionibus, ſubinde et repetitis, et nitri cum cremore tartari vſu conſtitit.

Eo autem in caſu, vbi morbus lente inualuit, praeter copioſam in initio ſtatim inſtitutam ſanguinis miſſionem, purgantes antiphlogiſticae medicinae mire profuerunt, emeticae autem tam vehementer nocuerunt, vt, data tali aegro hoc modo affecto ex tartaro emetico medicina, aeger hepatis et diaphragmatis inflammatione admodum periculoſa corriperetur. Poſtea camphora cum nitro inſigni cum ſucceſſu data eſt, eademque et veſicatoria loco affecto im-

impoſita ſunt. Tuſſis pertinax, ſpasmodica, ſicca, quae ſaepe poſt hunc morbum remanſit, medicamento ex opio, ipecacuanha et camphora tantum ſedari potuit. Hoc ſpasmo autem non praeſente, opium in pectoris inflammationibus ſemper nocuit, idque effecit, vt inflammatio in ſuppurationem terminaretur.

De cruſta inflammatoria quaedam ſubnexa ſunt. Eam durantibus inflammatoriis morbis non generari, verum in ſanguine iam praeexiſtere. Purulentam etiam materiem non in vaſis, verum extra vaſa, in tela celluloſa, aut in vulneribus generari.

p. 89. Altera obſeruatione *furunculi maligni cum febre putrida coniuncti hiſtoria* traditur. Furunculus absque cauſſa quadam manifeſta in hypochondrio ſiniſtro obortus eſt, ingentem magnitudinem nactus et poſtea gangraenoſus factus. Simul febris ex colluvie putrida primarum viarum adfuit. Inciſo profunde furunculo amplo eiusque admodum inflammatis marginibus, inflammatio ſtatim ſedata eſt et ſanies copioſa cum aegri leuamine effluxit. Gangraenoſam putredinem cortex Peruuianus cohibuit. Alii furunculo maligno in nucha correpto Noſter furunculum quum incidiſſet, occipitis os profundiſſime eroſum inuenit. Hi furunculi aut cum febre inflammatoria aut putrida coniuncti ſunt, eosque maxime occupant, quos arthritis aut rheumatiſmi detinuere.

p. 107. Tertia obſeruatione *efflorefcentiae cutaneae pertinacis a cruſta lactea productae hiſtoria* traditur, ſimulque de *cruſta lactea* diſſeritur. Methodum ſuam ſcabiem curandi primum Noſter exponit. Omnia medicamenta, quae ſanguinem puriorem reddere dicuntur, damnat, aegrosque ſuos, et inueterato morbo laborantes, ſulphure ſanat interne cum camphora dato et vnguento ex ſulphure et albo vitriolo externe adhibito. Exanthemata diriſſima cruſtas foedas foetidasque formantia a cruſta lactea orta ſul-

phure

phure antimonii aurato cum dulci mercurio et camphora interne dato et reprimentibus medicamentis externe adhibitis ſanauit. Violam tricolorem a STRACKIO, V. III. nimis laudatam non probat, neque in aegris cruſta lactea laborantibus vrinam ſingularem illum foetorem referentem obſeruaſſe aſſerit.

Cataractae operatione chirurgica infeliciter extractae hiſtoria quarta obſeruatione traditur. Altero oculo aegra iam capta erat, ex ſuppuratione rupto. Peracta feliciter operatione in altero oculo aegra viſum ſtatim recuperauit, verum ingens dolor et intenſa ſuppuratio poſtea oborta eſt, quae oculum conſumſit. Traditur ſimul et hiſtoria extractionis cataractae, cuius depreſſio antea infelici cum ſucceſſu tentata fuerat. Aeger viſum penitus recuperauit. p. 127.

Carpi violentia externa contriti ſymptomatumque inde ortorum hiſtoria quinta obſeruatione exponitur. Gangraena oborta eſt humerum ſimul occupans, peſſima, talisque, vt mortem aegro ſtatim inſtare Noſter putaret; verum inciſionum aptarum et inprimis corticis Peruuiani interno et externo vſu humerus ſeruatus eſt, cubito in articulo reſciſſo. Quumque oſſis humeri condyli poſt hanc operationem per ſex paene menſes nudi eſſent, nullamque durante hoc tempore mutationem paterentur, ex hac obſeruatione HOFFMANNI obſeruationem confutat, qua conſtat, omnia corporis humani oſſa corrumpi, ſimul ac nudentur et libero aëri exponantur. Pluribus obſeruationibus aſſerti Hoffmanniani falſitatem et hoc probare annititur, quod ſcorbutus non ex humore oſſeo corrupto, ſed ex ſingulari acrimonia oriatur, ſanguinem ita diſſoluente, vt vaſis contineri nequeat, maculas et partium ſolidarum oſſearumque exulcerationem producat. p. 144.

III.

Johann Daniel Metzgers — *vermiſchte medicíniſche Schriften. Erſter Band. Koenigsberg 1784.* 18 pl. in 8. *Zweyter Band.* ibid. eod. 15 pl. *Dritter Band.* 1 Alph. 4 pl. in 8.

i. e.

Varia ſcripta medica auctore Io. Dan. Metzger.

Aduerſaria medica latino ſermone conſcripta Cl. Auctor ante aliquot annos edidit; quum autem vernacula lingua conſcripti libri in Germania magis amentur, hoc opere aduerſaria ſua Cl. vir hoc modo continuauit, vt et notatu digna, quae in aduerſariis continentur, locum in hoc nouo opere inuenirent.

Primum *cadauerum* extiſpicia exhibentur. Primum de viſcerum translocatione agitur, nouus tamen illius caſus non adfertur.

p. 51. *Calculoſi anatome.* Pauci calculoſi in Boruſſia dantur. Tumor in lumbari regione pus continens, et a rene veroſimiliter ſuppurato pendens, obortus eſt, quo inciſo aeger aſthmate conuulſiuo correptus obiit. Inciſo abdomine aqua foetidiſſima, viſcera pure obſita, inteſtina inter ſe coalita, hepar praegrande, omentum ſuppuratum, viſceraque omnia foetidiſſima inuenta ſunt. Inteſtina maxime macerata molliſſimaque fuerunt. In eo loco, vbi meſocolon cum ſplene et rene ſiniſtro per telam celluloſam connectitur, puris maxima copia inuenta eſt. In ipſo rene purulenti abſceſſus. Dexter calcaream materiam continuit. Veſica vrinaria vtero virgineo ex omni parte ſimilis, pulmones collapſi, pure obſiti fuere.

p. 63. *Maniacae inciſio.* Caluaria valde tenuis, ex parte pellucida, inſtar tenuiſſimae chartae, in pellucida parte foueae quaedam. Corpora ſtriata non ſtriata erant.

Apo-

Apoplexia defunctae anatome. Iugulares arteriae venaeque ſanguine nigro refertiſſimae, caluaria intus nigris punctis obſita et in dextro latere magis obſcura fuit, ob ſanguinem nigrum ibi congeſtum. In cerebri ventriculis aquae inſignis copia. De cauſſa apoplexiae proxima ſimul diſſeritur. Inſtrumentalem apoplexiae cauſſam in ſanguinis aut aliorum humorum congeſtione verſus cerebrum conſiſtere nullo modo negari poteſt, et ſi vel a morbidis aliis materiis acribus apoplexia inducitur, eaedem materies apoplexiam in tantum inducunt, quantum, conſenſus ope inter neruos vaſaque ſanguifera, ſanguis verſus cerebrum impellitur.

Obſeruationes medico-practicae ſequuntur. Primum de venereo morbo agitur. Gonorrhoeam vere catarrhalem, cum phimoſi Cl. auctor vidit, ſed gonorrhoeam vere venereae indolis dari, eamque omnium frequentiſſimam eſſe aſſerit. P. 89.

Modi varii contagii praeclare enarrantur. (Anni quidam elapſi ſunt, quibus plures ruricolas in vno pago habitantes venerea lue curauimus. In plurimis verendae partes non laborarunt, ſed os fauceſque, faciei cutis, oculi, manifeſto indicio, contagium per os in has partes propagatum eſſe, forſan per commune poculum, quo ruſtici vtuntur.) Efficaciſſima curandi morbum methodus ea eſt, qua mercurius corpori iniungitur, ad cutaneos vero venereos morbos mercurius ſublimatus corroſiuus praeclare valet.

Scorbutum ab aëre incluſo, ſordido, ſtagnante Cl. auctor deriuat. Piſcatores, qui in Boruſſiae oris maritimis vitam in aquis paene continuam degunt, a ſcorbuto omnes immunes ſunt denteſque integerrimos habent. P. 113.

Conuulſionum ex manuſtupratione ortarum hiſtoria. Roborantia et antiſpaſmodica ſelectiſſima parum profecerunt.

Febrem intermittentem, primum tertianam, poſthac quartanam, deinde quintanam, demum erraticam, epilepſin excepit anthelminticorum vſu paululum mitior reddita.

p. 139. *In chirurgicis caſibus* ſynchondrotomiae, cuius felix ſucceſſus fuit, hiſtoria enarratur. BRODHAGIVS, medicus obſtetricius Regiomontanus, eam inſtituit. Mulier iam bis laborioſo partu foetus enixa fuerat. Brachium foetus mortui praeuium reſciſſumque quum ad partum faciliorem reddendum non valeret, ad cartilaginis diſſectionem, ceu vnicum vitae conſeruandae praeſidium, Cl. BRODHAGIVS confugit. Cartilago admodum mollis fuit. Peluis oſſa tantum diſceſſerunt, vt duorum pollicum ſpatium ſupereſſet. Operatio per quinque horae minuta durauit. Vrina poſt partum ſemper probe effluxit. Vulnus facile coaluit. Decimo ſexto poſt operationem die puerpera ſine vllo incommodo in cubiculo ambulare potuit. Pubis oſſa, naturalem figuram referentia, perfecte coaluerunt.

p. 161. Mulieri poſt coitum menſtruus fluxus emanſit, abdomen ſenſim intumuit, perceptoque ſat diu ſatque diſtincte foetus motu, doloribus ad partum correpta eſt, qui vero poſt XXIV. horas euanuerunt. Tandem febris intermittens oborta eſt. Remanſit abdominis tumor, maxime in dextro latere. Os vteri paululum verſus dextrum latus directum fuit. Conceptionem abdominalem aut in ouario Cl. Auctor ſuſpicatur.

Sequitur paronychiae a materia arthritica inductae hiſtoria, eamque virtutum ſpecifici antipodagrici Americani enarratio, quod cum ſucceſſu Cl. vir adhibuit. — Vlcera maligna, cancroſa, arſenicum bene debellauit, ſed ſubinde pulmonum morbos, ſubinde et colicam periculoſam induxit. Aſſa foetida ad oſſium cariem non valuit.

In

In his, quae ad forenſem medicinam ſpectant, primum aſſeritur, mulierem et a viro foetum concipere poſſe, cui mentula non iuſto loco, ſed ſub frenulo perforata eſt. Probatur poſtea, pulmonum per aquam probationem adeo fallacem non eſſe.

In therapeuticis de actione medicamentorum in corpore humano agitur. p. 215.

Alterum volumen primum forenſia continet. Reſponſum facultatis medicae Regiomontanae a Cl. viro elaboratum, de infanticidii ſuſpicione. Suggillationes variae in cadauere infantis inuentae ſunt humoresque in capite cerebroque extrauaſati. In his cauſſam mortis quidem ſitam, ſed eas a partu foetusque ex vtero lapſu profectas eſſe, a Cl. viro aſſeritur. Alia ſanguinis intra menynges et caluariam effuſio in homine poſt ebrietatem et verbera apoplectico modo demortuo inuenta eſt, cui obducentes medici cauſſam mortis abſolutam tribuerunt, nulla, vt recte Regiomontani medici probarunt, nec ebrietatis nec prolapſus ebrii in terram ratione habita. De iudiciis medico-legalibus a medico forenſi recte formandis multa lectuque digniſſima a Cl. Auctore adduntur, ſimulque adſeritur, pulmonum ſolitam docimaſiam recte inſtitutam ad vitam infantum dignoſcendam penitus ſufficere.

De aere, aquis, locis Regiomontanis, de incolarum vitae genere, caet. Aër ob plures aquas pro parum ſalubri habetur, ventis tamen quum ab omnibus vrbs perfletur, inſalubritas tanta non eſt. Peſtilentiae epidemiae, quae in Boruſſia graſſatae ſunt, ſecundum annorum ſeriem accurate recenſentur, aliaeque epidemiae, quas Cl. Auctor obſeruauit, dyſenteriae, morbillorum, luisque bouillae. p. 111.

Cadauerum extiſpicia. Fatuae mulieris, apoplexia demortuae, anatome. In capite vaſa turgidiſſima. Cerebri membranae caluariae firmiſſime adhaeſerunt. p. 195.

Durae matris pars cartilaginoſa, cerebrum in pultaceam maſſam conuerſum, ſuppuratum, et in ventriculo dextro abſceſſus. Monſtra poſthac varia deſcribuntur, tandemque vteri deficientis hiſtoria exponitur, ab *Engelio*, medico Moſcouienſi, deſcripta.

p. 229. De niſu formatiuo paucis agitur, ſimulque BLUMENBACHII opera, quam in eo pertractando conſumſit, laudatur. Femina, quae, vt ſupra meminimus, ſynchondrotomiam paſſa fuerat, poſtea gemellos partu feliciſſimo edidit. Violam tricolorem ad cruſtam lacteam felici cum ſucceſſu Cl. vir adhibuit. Additae ſunt huic volumini tabulae natorum et denatorum Regiomonti ab anno 1774 ad annum 1783. Mortis genera ſimul accurate notata ſunt. In 23000 demortuis puerperarum numerus 263 fuit. Maximam ſtragem epilepſia, conuulſiones morbi ex dentitione difficili, variolae et morbilli, phthiſis, hydrops, dyſenteria, alui profluuium et obſtructio, febresque omnis generis edidere.

Tertii voluminis argumentum paulo accuratius recenſere lubet.

De morbis Regiomonti endemiis primum agitur. Cauſſae, quare tanta infantum copia moriatur, ex Noſtri mente ſunt parentes male ſani, qui valetudinoſam ſobolem progenerant, ſordida, mucida humidaque plebis habitacula, maxime ſubterranea, Regiomonti frequentiſſima, cura infantum neglecta, infantum per conductarum nutricum lac nutritio, obſtetricum inſcientia ſeu bene inſtructarum parca copia, caet.

p. 27. Vermes infantibus Regiomontanis maxime frequentes ſunt. Helminthochorton ad eos multa praeſtitit. Ad taeniam remedium Cloſſio-Waglerianum non valuit. Quidam et id non ferre potuerunt.

p. 34. Rachitis, probe recteque monente Cl. viro, ex educationis phyſicae neglectu maxime oritur. Frequens

quens lactea cruſta eſt, ad quam violam tricolorem ſemper cum inſigni effectu adhibuit. Cruſtam lacteam inueteratam, pertinacem, in puellis albo capillo praeditis maxime obſeruauit. Illius curatio optime ſuccedit cute impoſitis cantharidibus profunde ſuppurata. Vnguentum ad ſcabiem SCHMUCKERI, quod nos ſemper inſigni cum vſu et in maxime inueterata ſcabie adhibuimus, a Cl. Auctore adhibitum nil praeſtitit.

Phthiſicorum tabidorumque numerus Regiomonti perquam magnus eſt, frequentiſſime autem incolae humidorum iſtorum et ſubterraneorum habitaculorum phthiſi ex pulmonum ſuppuratione laborant. Saepius et phthiſes ex catarrhis neglectis et ex venerea labe oriuntur. — Vir antea perfecte ſanus phthiſicus euaſit morboque confectus tandem periit, quum in lecto aegri decubuiſſet pulmonali phthiſi breui antea demortui. Laudantur ad eam balſamici vapores in pulmones immiſſi. Veneream phthiſin mercurius ſublimatus corroſiuus ſanauit, pituitoſa cortice Peruuiano debellatur. Fixus aër a Noſtro ad hunc morbum non laudatur. (dephlogiſticati nulla mentio iniicitur).

In chronicis morbis hepatis organorumque digeſtioni inſeruientium morbi maxime vbique frequentes ſunt. Icterus Regiomonti anno 1782. breui ante primum febris catarrhalis celebratiſſimae inſultum epidemice graſſatus eſt. Eum ſpaſmi ex Noſtri opinione producunt, bilis in duodenum inteſtinum tranſitum prohibentes.

Saepius hepar inflammatur, quam quis credat. Hepatitidem externam ſinapiſmo coſtis ſpuriis impoſito ſaepius Noſter ſanauit, in puerperis, poſt iram primis ſtatim poſt partum diebus maxime frequentem. — Hydropici cantharidum eſſentia valde leuantur. Mentis morbi omnis generis in Boruſſia admodum frequentes ſunt.

p. 64. Venerei morbi frequentiſſimi ſunt, maximeque hi a militibus propagantur a militia vacantibus, rus petentibus, et a ruſticis ſeruis Polonis hoc morbo frequentiſſime infectis. Mercurius dulcis in pilulis exhibitus a Noſtro ad morbos ex recenti infectione maxime laudatur. Ad rheumatiſmos venereos opium non valuit.

p. 70. Febres bilioſas, pituitoſas, gaſtricas vita ſedentaria potusque calidi induxere. Venaeſectionum in iis noxae. — Febre puerperarum correptae omnes mortuae ſunt. (et nos exemplis didicimus, earum curationem difficillimam eſſe.) In cadauere tali febre demortuae inciſo abdominis viſcera humore lacteo, odoris experte, obſita fuere.

Frequentes et rheumatiſmi et arthritides ſunt. Febre abſente ad arthritidem arnicae flores multum valent. In quibusdam ex aconito lenimen morbi. Subinde apoplexiae epidemice graſſantur, vereque 1783. plures iis occiſi ſunt.

p. 83. In ophthalmia a gonorrhoea ſuppreſſa inducta inſitionem gonorrhoeae caeteris omnibus medicinis Noſter praefert, quum gonorrhoea potiſſimum reſtituenda ſit. (vidimus tamen, ad pertinaciſſimam et maxime perdurantem chemoſin veneream curam ad gonorrhoeam inſtituendam non valuiſſe, omnibus in peius ruentibus. Tandem mercurius ſublimatus interne et externe datus inflammationem debellauit, ſtaphyloma autem in altero oculo reſiduum butyro antimonii ad Cl. IANINI mentem applicato perfecte ſanatum eſt).

p. 98. Cancri pathognomonicon ſymptoma plane deſideratur. Vnicum ad eum remedium operatio chirurgica eſt. Faciei vlcus maximos dolores inducens mucilago cydoniorum optime leniit. Vlcera infernorum articulorum partim bilioſae originis ſunt, partim et a ſuppreſſis haemorrhoidibus aut fluxu menſtruo, ſecretione vrinae in ſenibus impedita ſcrophuloſa

loſa diſpoſitione, arthritide et humoris cuiusdam ſalini decubitu pendent.

Oris eryſipelas Regiomonti frequentiſſimum eſt. Caries oſſium ex humorum laudabilium, in his inprimis, qui manuſtuprationis crimine ſe foedarunt, defectu, frequens eſt. Notabilis adiecta eſt hiſtoria tibiae fracturae in maſturbatore, in quo fractae partes difficillime coaluerunt.

De *raris morbis*, veſicae calculo, ſcorbuto et hydrophobia altera ſectione agitur. Endemius olim veſicae calculus morbus fuit, nunc vero longe rarior euaſit, omnesque calculoſi tales ſunt, qui caffea et thea non vtuntur, ſed cereuiſia ſaturata, calefaciente. Caninae rabiei caſum Regiomonti ab anno 1777. Cl. Auctor non vidit. Sileſiacum remedium (ex meloë maiali) fidem Cl. viri non habet (nec noſtrum plane; fatemur tamen, diſſertationem Cl. *Schwarts*, quam et in commentariis recenſuimus *), mentem noſtram paululum mutaſſe. Plus fidei mercurius, cum quo XVI vel XVII. admorſos integerrime praeſeruauimus, et belladonna habent). Mercurium aliis medicinis praefert. Eius actionem in veneni euacuatione per ſaliuam conſiſtere aſſerit. (quod certe non verum eſt. Nos et a canibus *manifeſtiſſime rabidis* admorſos dimiſimus, ſimul ac mercuriale vnguentum paulo largius ſaliuae profluuium excitaret.) p. 129.

Nunc *ad medicinam forenſem et politiam medicam ſpectantia* ſequuntur. Primum cadauerum inciſiones legales exhibentur. Vulneris arteriae femoralis poſt quinque hebdomades abſolute lethalis hiſtoria, qua probatur, vitae, poſt inflictum vulnus, diuturniorem durationem ad gradum lethalitatis minuendum non valere. Capitis vulnus per accidens lethale. Intra caluariam menyngemque et intra menynges cerebrumque multum ſanguinis nigri coacti inuentum eſt. Externum vulnus capitis admodum exile fuit, illaeſo p. 141.

*) Vol. XXV. part. 3. p. 547.

illaeſo cranio. Sanguinis effuſionem a lapſu in podicem vehementi, rixis durantibus, Cl. Auctor deriuat.

De rene a violentia externa rupto. Nil in cadauere fractum erat, nullum externum vulnus a vi vehementiſſima illata conſpici poterat. In abdomine multum ſanguinis effuſum. Ren alter perfecte ruptus erat, laceratis arteria venaque renali.

p. 167. Hiſtoria capitis vulneris poſt XIII. hebdomades abſolute lethalis. Hanc omnium maxime notabilem Noſter putat. Cranium in tempore fractum a vi externa ab equo illata fiſſurae multae, vno in loco cranium depreſſum. Poſt diuturnam curam aeger demum ex abſceſſu in cerebri hemiſphaerio ſiniſtro nato mortuus eſt.

In ſene, qui poſt leuem vim podici illatam in morbum inciderat lethalem, viſcera abdominalia paene omnia maxime corrupta inuenta ſunt.

p. 200. Virgo a grauiditate, quam ex meretricio amore contraxerat, ita animo perculſa eſt, vt in lethalem hepatitidem cum conuulſionibus epilepticis iunctam incideret.

In ſtrenuo potatore ebrietate durante apoplexia necato omnia abdominis pectorisque viſcera praeter naturam flaccida fuerunt et facile dilacerari potuerunt, pancreas in anteriori parte ſcirrhoſum, biliarii ductus a glandulis induratis compreſſi, cor exſangue, dura mater plumbei coloris, venae in cerebri ſuperficie ſanguine turgidae fuerunt. In cerebri ventriculis fundoque cochlearia quaedam ſeri rubelli inuenta ſunt.

p. 212. Viri anatome poſt copioſam potationem in ipſo concubitu cum meretricula demortui. Omnia abdominis inteſtina ſanguine turgidiſſima, dura mater plumbei coloris, ventriculi cerebri ſanguine turgidi, mentula liuida colore plumbeo fuere.

Mulie-

Mulieris, quae ſeipſam ex nimio Ieſu Chriſti amore occiderat, anatome. Haec ſeipſam, dum feruentes preces effunderet, necauit, die fratribus Morauienſibus, quorum ſocietati adſcripta erat, feſto. Vulnus dextro lateri infixerat, vt Chriſtum et quoad vulnus imitaretur.

Pulmonum dextrum lobum prius, quam ſiniſtrum, in infante recens edito reſpirare, inferiorem huius lobi partem primum ab aëre extendi, reliquasque ſenſim, Cl. vir ex exemplo ſatis notabili probat. p. 231.

De ſignis grauiditatis iudicium facultatis medicae Regiomontanae, id inprimis concernens, quo menſe grauiditas inſpectione oculari cognoſci poſſit. Certa ſigna non dari ante ſeptimum menſem adſeritur, inprimis ſi exploranda explorationis actu durante corpus varie mouet. (Difficillima grauiditatis ſigna ſunt in feminis leucorrhoea ex diuturno tempore laborantibus, incipientis, prius ſcilicet, quam foetus caput digitis percipi poteſt. In his, *non grauidis* licet, *nos vteri orificium in eodem ſtatu eſſe percepimus, quo primis grauiditatis menſibus eſſe ſolet.*) Iudicium haud bene elaboratum eſt. p. 241.

Varia ad politiam medicam, aut potius ad curam magiſtratus circa valetudinem ciuium, pertinentia nunc ſequuntur. Vtrum ſanitati publicae arbores in ſtratis et aedium vicinia plantatae obſint. Obeſſe adfirmantur. p. 270.

Tranſitus ab his ad anatomica et phyſiologica eſt. Primum de proceſſibus mamillaribus cerebri in quibusdam animalibus agitur. Hi proceſſus a cauo iſto neruorum olfactoriorum ſacco formantur, vſque ad cerebri ventriculos penetrante. In mammalibus animalibus primates tales proceſſus non habent, habet autem elephas ex brutorum, canes catique ex ferarum ordine. Vſum horum ſaccorum in eo Noſter ponit, vt ventriculi cerebri maius ſpatium nanciſcantur. (forte ad olfactum acuendum a natura ita inſtructi?) p. 279.

De

p. 295. De his, quibus humanum genus, quoad corpus ſuum, prae animalibus antecellit, oratio academica. Humanos ſenſus ſenſibus animalium praeſtantiores, tactus vero ſenſum homini inprimis proprium eſſe adſeritur. Senſus omnes pertractantur, demonſtraturque, eos in homine, ſecundum naturae inſtituta viuente, longe acutiores eſſe, quam in animalibus. In altera orationis parte probatur, hominem erectum incedere debere, hocque greſſu erecto hominem ab aliis animalibus diſtingui. Confecit ante aliquot annos MOSCATI, acutus iſte Italus, opuſculum, quo probauit, greſſum quadrupedum more homini maxime naturalem eſſe; ſed nos hoc opuſculum ſemper pro tali potius habuimus, in quo ingenium humanum miris rebus veroſimilibus reddendis verſaretur, quam pro tali, in quo res rationi ſanae conſentaneae continerentur. In hoc opere coarguendo Cl. vir inprimis verſatur.

p. 327. *De temperamentis.* Temperamenti idea Cl. Auctori vnice in gradu irritabilitatis animae corporisque continetur. Genera itaque tantum duo temperamenti illi ſunt, quae ſub nomine *irritabilis* et *pigri* comprehendit. Irritabile eſt, quod vel minima ſenſatione in motus concitatur. Poſſunt autem, tali exiſtente temperamento, fibrae valde tenſae et irritabiles eſſe.

p. 373. Epiſtola ad GRVNERVM, V. Ill. de ſectione caeſarea et ſynchondrotomia. WALTHERVS, celeberrimus anatomes profeſſor Berolinenſis, in peculiari libro caeſaream ſectionem ſynchondrotomiae praetulerat. Eum coarguit Noſter, id potiſſimum vrgens, quod leuis operatio caeſarea ſectio non ſit, non quidem ob vulnus abdomini inflictum, ſed ob vteri vulnus, irritationes conſenſuales peſſimas creans, periculoſiſſima et ſaepe lethalis. Synchondrotomiae vero hoc iam fauet, quod CAMPERO, V. Ill. non diſplicuerit. Si et peluis, inciſa cartilagine, luxetur,

aut

aut nimia vi frangatur, ſi et inciſa ligamenta cartilaginesque ſemper difficulter ſanentur, haec tamen omnia cum maximo ſectionis caeſareae periculo aequiparari non poſſunt. Tandem et in his, quae in partus laboribus mortuae ſunt, caeſaream ſectionem caute inſtituendam eſſe probatur, quum exempla proſtent confirmantia, parturientes aſphyxia correptas hac operatione occiſas eſſe.

IV.

ALBRECHTS *von* HALLER *Vorleſungen über die gerichtliche Arzneywiſſenſchaft. Aus einer nachgelaſſenen lateiniſchen Handſchrift überſetzt. Erſter Band. Bern, in der neuen typographiſchen Geſellſchaft. 1782. in 8. 432 Seiten, nebſt 5 Bogen Innhaltsverzeichniſs und Regiſter. Zweyten Bandes erſter Theil, ebendaſelbſt. 1784. 596 Seiten. in 8.*

i. e.

ALBERTI ab HALLER Praelectiones in medicinam forenſem ex latino manuſcripto in germanicam linguam conuerſae. —

Praelectiones has HALLERVS anno 1751. in vniverſitate litteraria Goettingenſi habuit, a WEBERO, ni fallimur, nunc editas.

Primum de humanarum aetatum diuiſione agitur. Sex periodos aetatum HALLERVS ſtatuit, aetatem infantilem, puerilem, iuuenilem, virilem, ſenectutem et ſenectutem decrepitam; medico autem ſenſu tres tantum aetatum gradus valent, puerilis, iuuenilis et ſenilis. Decrepita ſenectus non ex annorum ſerie, ſed ex corporis ſtatu viriumque defectu aeſtimanda eſt. Notae eius ſunt ſpinae dorſalis incuruatio, vis ſobolem generandi euanida, capillorum mutatio in album colorem, caluities.

Vitae

Vitae humanae ſummus terminus 100 annorum circiter eſt. Septuagenarium abſentem tamen iuriſconſulti, ex lege, pro mortuo declarant.

p. 32. Caeſareae ſectioni periculum vitae magnum, quod ſecum coniunctum habet, non denegatur, inſtituenda tamen ex b. viri conſilio ſemper eſt, ſi foetus naturali via in lucem edi nequit. Hinc ea et inſtituenda eſt parturiente mortua, licet non omnia mortis ſigna adſint, vbi et grauiditatis terminum ſeptem menſium tantum attigerit.

p. 40. *De virginitate* cap. 4. agitur, phyſica et morali. Ea forenſis medici attentionem tunc tantum mouet, ſi mulieres, ad diuortium vrgendum, virgines adhuc ſe eſſe adſerunt. (?) Hymen virginis 45 annorum b. Vir in praeparatis ſuis anatomicis conſeruat. (nos in virgine admodum vetula in theatro anatomico Ienenſi hymen perfectum vidimus, craſſum, valde membranaceum, vaginam vteri paene praecludens). Virginitatis ſignum hymenis praeſentia generatim vtique eſt, licet haec membrana, ſed raro, a morbo aliisue cauſſis deleri poſſit. Admodum anguſta vteri vagina virginibus non eſt, eaque, vt notum eſt, a fluxu menſtruo ampliatur. Styptica iniecta vaginam anguſtam reddunt. Sanguinis ex primo concubitu profuſionem Ill. vir pro ſat certo virginitatis ſigno habet. — Virgo pro nubili non habenda eſt, niſi menſtruata.

p. 51. *Grauiditatis ſigna* in initio valde dubia ſunt. Certe grauiditas demum cognoſcitur ex abdominis tumore, foetus in vtero motu, lacte in mammis et exploratione per tactum. Admodum difficilis autem molarum cognitio eſt. Tumoris ſitus, his praeſentibus, idem eſt, ac foetu in vtero habitante, emanet fluxus menſtruus et in mammis lac ſecernitur. Ex motus in abdomine defectu, duriori paululum abdominis tumore, eius lento magis incremento, maxi-

mo

me autem exploratione per tactum inſtituta, molae praeſentia facile cognoſci poteſt. Grauidarum vomitus a b. viro pro effectu fomitis putredinoſi ſeminis virilis in ſanguinem reſorpti habetur.

Iurisconſultorum diuiſio inter partum vitalem et non vitalem omni ſana ratione deſtituitur. Quum foetus ab ipſo generationis momento proprium cor, omniaque habeat, quae ad vitalitatem neceſſaria ſunt, facile patet, foetum omni grauiditatis tempore vitalem eſſe. p. 98.

De partu perfecto et legitimo cap. IX. agitur. Exponitur, quid partus viuus, vitalis, legitimus, perfectus ſit, ſimulque perfecti partus notae bene deſcribuntur. Grauiditatis terminus ab 38 vſque ad 40 poſt conceptionem hebdomadem producitur. Quod in humano genere tempus grauiditatis tam certe definiri nequeat, menſtrui fluxus negotio efficitur. (Sed incertum paululum et in brutis partus tempus eſt). Partus ante 180 diem poſt nuptias editus haereditatis iura non habet, quum aut pro non vitali habeatur, aut, ſi vir ante nuptias cum ſponſa non coiit, ſpurius ſit.

Signis partus praecocis traditis doctrinaque de partu ſeptimeſtri pertractata, de partu ſerotino agitur. Decimeſtrem partum dari adſeritur, non vero vndecimeſtrem, trideciměſtrem. p. 118.

De partu nimis praecoci cap. X. agitur. *Abortus* voci medici triplicem ſenſum tribuunt. Abortum dicunt ouuli ſeceſſum non longe poſt concubitum foecundum, eodem nomine et foetus deceſſum inſigniunt, quem per XL. dies vterus continuit, tandem et abortus quilibet partus vocatur, vbi foetus ex vtero nimis mature propellitur. Noſtro *abortus* eſt foetus valde tener, in quo vitae perdurantis nulla ſpes eſt, quique deformem, ab humana figura alienam, figuram habet. Abortum concitantia medicamenta Noſtro ſunt purgantia, emetica, ſternutatoria fortio- p. 134.

ra, medicinae, lotium, menſtruum fluxum, ſaliuam propellentes, venaeſectio, venena interne aſſumta, vis externa corpori illata, curſus velox, ſaltatio, abdominis compreſſio. Sabinae herbam parum efficacem ad abortum b. vir putat. (Nos contraria vidimus. Terrae etiam ſunt, in quibus lauri baccae poſt coitum ſtatim deuoratae pro optimo ad conceptionem praefocandam remedio habentur.) Efficacia ad abortum concitandum fuere *peſſaria* veterum abortiua, ex melle, helleboro et euphorbio parata. In Italia foetus in vtero necatur acu per orificium vteri in foetus corpus intruſa. — Num licitum ſit foetum maturum, ad matrem conſeruandam, necare, aut ad illam a morbo grauiori liberandam, abortum concitare? Alterum, caſu deſperato exiſtente, adſeritur. — Vidit HALLERVS in Anglia virum, cui obſtetricans brachium, partu durante, reſecuerat. (eadem paene et MITTELHAEUSERO acciderunt). Quaeſtio, num matris conſeruandae gratia foetum necare partu durante liceat, prolixe diſcutitur.

p. 158. Cap. XI. *de ſuperfoetatione.* — Molae praeſentes ſemper concubitum cum viro praegreſſum ſupponunt.

p. 187. Monſtra in tres claſſes diuiduntur, in ea, in quibus partium corporis numerus naturalem excedit, in talia, in quorum abdomine foetus imperfectus continetur, in eaque, quorum trunco duo capita inſident. Aliam adhuc claſſem monſtra conſtituunt, vbi duo foetus peluibus ad ſe conuerſis coaliti ſunt. — Ex hominis cum animali concubitu partum nunquam ſequi Noſter putat. Et in hybridis animalibus progenerandis ſemper neceſſarium eſſe, vt genus idem eidem generi miſceatur, nec in regno naturae fieri, vt cum equa bos coëat. (Negare videtur penitus b. vir concubitum animalium genere diuerſorum, nos vero notabile nuper adhuc exemplum vidimus contrarium probans. Meleagris gallopauo femina cum

anate

anate Turcica mare ſaepius coiit, mutuumque quodam commercium inter haec animalia interceſſit, amorisque ſpecies, ita vt anas mas peſſime ferret, grauiſſimeque iraſceretur, ſi vlla feminae ſuae vis fieret. Oua copioſa haec femina, poſt copioſiſſimos concubitus, membrique, quod manifeſte conſpici poterat, virilis immiſſionem, peperit. Eorum partem illi ad incubationem ſuppoſuimus, curioſi valde, num foecunda oua eſſent, et qualis pullorum ſpecies ex animali aquatili terrenoque mixta, progeneraretur. Sed, ouis licet rite incubatis, temporeque quatuor hebdomadum peracto, oua omnia effoeta erant).

Hermaphroditi quidem vere exiſtunt, ſed certe non tales, qui vtriusque veneris delicias experiri valeant. In androgynis vtplurimum vrethra ad penis radicem ſciſſa eſt, rimaque vaginae vterinae oſtium quodammodo refert. Tales HALLERVS ſaepe incidit. Clitoridem magnitudine auctam in calidis regionibus frequentem eſſe ex Cl. virorum obſeruationibus notum eſt. p. 208.

Vberrime *virilis impotentia* cap. XV. pertractatur. Generatim ea eſt impotentia generandi, ſpeciatim vero impotentia coëundi in viro. Cauſſae ſunt aetas incongrua, nimis iuuenilis, ſenilis, morbi partium genitalium, herniarum quaedam ſpecies, ſcirrhi vaſorum ſeminalium. Notatur hic ſimul, Helueticae nationis dimidiam partem vno tantum teſticulo inſtructam eſſe. Impotentiam et probant vrethrae quidam morbi, perinei fiſtulae, incuruatio mentulae erectione durante, cuius cauſſa a b. viro in aneuriſmate ponitur, ſaepe ex nimio coitu oriundo, penis imperforatus, phimoſis, paraphimoſis. Impotentiae cauſſae veteribus notae ex Cl[i] GRUNERI, ni fallimur, libro bene exponuntur. p. 227.

Rarioribus autem cauſſis impotentiae virilis adnumerantur plenaria mentulae a natiuitate defectio, p. 257.

 men-

mentulae in inſolito loco poſitio, fronte, naſo, occipite, naturalis caſtratio, ſeminis plenaria defectio, abſtinentia diuturna, corporisque ex nimia deuotione nimiae excruciationes, penis duplex. Falſae autem impotentiae cauſſae ſunt caffeae copioſus vſus, teſticulorum in ſcroto defectus, iis in abdomine praeſentibus, veneficium.

p. 273. Tranſitus ad *ſterilitatem* eſt. Sub ſterilitate omnia comprehenduntur, quae in mulieribus et generationi ſobolis et coitui obſunt. Sterili autem muliere ex cauſſa quadam interna talique exiſtente, quae concubitum permittit, diuortium in magnatibus tantum pro licito habetur, in aliis non aeque. Sterilitatis autem muliebris cauſſae ſunt herniae omnis generis, mammarum cancer, ob impotentiam lac ſoboli praebendi, vteri et vaginae procidentia, vterus plane deficiens, fluor albus, nec non menſtruus fluxus nimis continens, immodicus, vlcera maligna partium verendarum, talis earum conſtitutio, vt hermaphroditos aemulentur, vagina vteri nimis ampla, atreſia.

Additamenta a pag. 289. librorum citationes continent, ex iisque excerpta, maximam ad partem vtilia ab editore profecta, qui et ipſi operi plura inſeruit, ſubinde aſteriſco, ſubinde non notata, adeo vt cognitu difficile ſit, quid HALLERI, aut editoris manu exaratum ſit.

In *altero libri volumine* capite XVII. doctrina de p. 6. *morbis ſimulatis* primum pertractatur. In cognoſcendis morbis ſimulatis medicus inprimis ad actionum laeſionem reſpicere debet. Morbi ex actionibus animalibus laeſis longe facilius ſimulari poſſunt, quam morbi, in quibus actiones naturales et vitales laeſae ſunt. Multum etiam ad tales morbos cognoſcendos cauſſarum antecedentium et occaſionalium iuſta cognitio valet.

Epilepſia ſimulata excitantium applicatione facile cognoſcitur. In motibus vere conuulſiuis corporis

poris robur mirum adeſt, verum eorum criterion. Traditur ſimul et alios morbos cognoſcendi ratio, choream Sti Viti, enthuſiaſticorum morbos, a daemone obſeſſorum, vbi verbera et fames mire valent, morbos ab incantatione, veneficio, malum hyſtericum, maniam et melancholiam, ſenſuum priuationem, ſurditatem, coecitatem, dolores, apoplexiam, aphoniam, claudicationem, febres, haemoptyſin, vomitum cruentum, mictum cruentum, aluum cruentam, cachexias, ciborum appetitus defectum, tumores inflammatorios, proptoſes, hernias, calculum, ſudorem praeternaturalem.

De diſſimulatis morbis c. XVIII. Hi ſunt aut p. 60. morbi acuti contagioſi, aut chronici, ſcorbutus, phthiſis, ſcabies, lues venerea, caet. Modi eos cognoſcendi vberrime exponuntur.

De cura magiſtratus circa valetudinem ciuium p. 86. cap. XIX. agitur. Ea aut ordinaria aut extraordinaria eſt. Ordinaria eo inprimis redit, vt ea, quae rem medicam ſpectant, rite curentur. Neceſſarium ad id eſt, vt ſanitatis cura collegio cuidam mandetur, quod oppidorum vicorumque exſtructionem, omnium, quae ſanitati ciuium obſunt, remotionem diligentem, caet. curare debet. De peſte a terris ea non infectis auertenda. Ea inprimis recenſentur, quae eum in finem in Gallia peracta mandataque ſunt. De peſte curanda plura proferuntur, huc forte non pertinentia.

Boum lues a b. viro in duas claſſes diuiditur. Al- p. 127. tera *cancrum volaticum* comprehendit, ſeu *cancrum lingualem* bobus intra 24 horas ob linguae exulcerationem lethalem, altera vero *ventriculi et hepatis inflammationem.* De ouium, caprarum, caet. morbis. Probatur, plantas, quae noxiam vim in haec animalia exercent, omni modo exſtirpandas eſſe. HALESII ventilatores, ad aëris puritatem conſeruandam, valde commendantur.

Noxae macerationis cannabis et lini in aquis inprimis ſtagnantibus, ſtagnorumque ipſorum, herbarum, quae in iis maxime creſcunt, vberrime exponuntur, nec non ea, quae cloacarum publicarum curam concernunt.

p. 162. Panis, in quo lolium temulentum continetur, manifeſte venenatus eſt; noxius etiam panis eſt, in quo ſecale cornutum continetur, ob conuulſiuum morbum, quem producit. Vſtilago ab inſectis pendet, adeoque et noxia eſt. Oleoſa rancida, braſſica putreſcens, caet. noxia ſunt.

In vini mangoniſati probationibus DELII, V. III. obſeruationes nuperae omiſſae ſunt. Cereuiſia non penitus fermentata ſanitati obeſt (eam putrida conſtitutione praeſente ſuaderem).

p. 170. *Venenum* HALLERO omne eſt, quod parua doſi datum lethales effectus exſerit. De venenis vegetabilibus generatim adſeritur, ea vbi ſanguini inferantur, lethalia eſſe. In rei teſtimonium venena adducuntur, quibus Americani tela inficiunt. Venena mineralia in corroſiua, primumque in corroſiua acida diuiduntur. Ipſe HALLERVS, ad debili ventriculo ſuo robur conciliandum, vitrioli oleum aqua dilutum per octo menſes ſumſit. De ſublimato mercurio et variis mercurii praecipitatis. Mercurius adeo dulcis lethales ſubinde effectus exſeruit, beatoque viro ſuſpecta medicina eſt *„quam vitare medicus merito deberet."* Infantibus inprimis nocet et teneſmum producit. Regulus etiam antimonii HALLERO venenum eſt. Ipſi tres fratres cogniti fuerunt, quorum maxime ſenex aetatem 90. maxime iuuenis autem 80 annorum attigerat. Hi antimonio, quo diu noctuque vſi ſunt, ſenium ſuum adſcripſerunt. Smalta comeſta vomitus intenſos concitauit (ob pondus forte ventriculo moleſtum). Inteſtina arſenicum non erodit. — *Aqua Toffana* arſenicum pro baſi habet. Alteri venenorum mineralium claſſi *venena conſtringentia*

gentia et paralyſin inducentia adſcribuntur. In his plumbum princeps eſt. Venena temperata iſta, quae *poudres de ſucceſſion* vocant, ex plumbo ab acidis vaporibus aut vino fermentante corroſo conſtant. Venenorum diuiſione ex variis auctoribus varia exhibita, antidota arſenici, mercurii ſublimati, viridis aeris Cl. NAVIER *) exponuntur.

De venenis vegetabilibus aut corroſiuis aut narcoticis, eorumque notis generalioribusque effectibus. Narcoticorum effectus in principio quodam ſingulari, vaporoſo latet, chemica arte vix cognoſcendo. Odorem ſpiritus vini b. vir in milite ex ebrietate apoplectico in cerebri ventriculis percepit. Mortem eorum, qui ex ebrietate moriuntur, exhalationi ſpirituoſae in cerebri ventriculis adſcribit, neruos ſubito comprimenti. Opium ex papauere vulgari Noſter optimum eduxit. Vir ipſi notus fuit, qui omnes paene virgines, quibus potiri potuit, opio dato, ipſis inſciis ſtuprauit. Belladonnam b. vir ad cancrum ſine vllo effectu adhibuit. Dolorem tamen folia impoſita ſedant. Oenanthe crocata in Anglia ſaepe homines necat, et ſi Angli quem cicuta ſumta necatum eſſe referunt, haec planta vtplurimum intelligenda eſt. p. 226.

Ari maculati folia comeſta ſanguinis ſputum concitarunt. Summum vegetabile venenum aconitum veteribus fuit. Vidit HALLERVS puellas lipothymia correptas fuiſſe ab aconiti flore luteo ſerto in pectore geſtato. Ventriculo maxime inimicum eſt ſabadillae ſemen. Vnicum eius granum comeſtum linguam eroſit, ptyaliſmumque intenſum, perdurantem produxit. p. 260.

Animalia venena vegetabilibus longe acriora ſunt. De canis rabidi veneno remediisque ad illius effectus auertendos prolixe agitur. Vidit Cl. WEBERVS, lac vaccae iam hydrophobae ab aliis ſine vllo p. 281.

 incom-

*) vid. comm. noſtr. dec. III. ſuppl. IV. p. 615.

incommodo potum eſſe. De veneno viperarum, modoque, quo viperarum venatores Itali viperas capiunt, varia proferuntur.

p. 313. Tranſitus ad effectus venenorum generales eſt. Omnia venena in ventriculo irritationem, ſpaſmos, eademque et in pectore producunt. Signa autem veneni praeſentis generalia non dantur, quum cuilibet veneno proprius effectus ſit.

De cadauerum inſpectione legali. Origines huius inſpectionis ex conſtitutione criminali Carolina repetendae ſunt. Modi talis inſpectionis accuratiſſime recenſentur, et ad finem Cl. editor viſum repertum ab Ill. BALDINGERO conſcriptum addidit, inciſionem ſtudioſi continens ex cordis vulnere ipſi inflicto demortui.

p. 359. His omnibus praemiſſis, *de vulnerum lethalitate* agitur. Lethalitatem ab inſanabilitate diligenter medici diſtinguunt. Diuiſio vulnerum in abſolute, per ſe et per accidens lethalia ab HALLERO defenditur. Vulnus abſolute lethale tale tantum dici poteſt, quod mortem *abſolute* poſt ſe trahit. Sed haec deciſio aleae plena eſt, quam ob cauſſam et Halenſes medici carotidis arteriae communis vulnus pro per accidens lethali declararunt. Hinc optandum eſſet, vt in animalibus tentamina circa vulnerum variorum lethalitatem inſtituerentur. Lethalitatis cauſſae primariae duae ſunt, quarum altera in functionum a vulnere praepeditarum dignitate, altera vero in ſanationis impoſſibilitate poſita eſt. Hecticis eam ob cauſſam vulnera magis lethalia ſunt, quod et ex minima ſanguinis iactura periculum iis immineat. Saepius b. vir pauciſſimum ſanguinem in cadaueribus tali morbo necatorum deprehendit. De lethalitate vulnerum ex recentioris phyſiologiae principiis editor quaedam addidit.

p. 408. De cerebri vulneribus ſpeciatim agitur. Cerebri ſucuſſio valde lethalis eſt, licet et nulla in cadauere mortis

mortis veſtigia inueniantur. Fiſſurae cranii admodum difficulter cognoſci poſſunt, ipſeque b. vir ingenue fatetur, ſe aliquando circa eas erraſſe. Fracturae cranii valde lethales non ſunt, magis vero cranii depreſſiones, nec durae matris vulnera periculoſa ſunt. Vulnera, quae per oculi orbitam cerebro inferuntur, prae omnibus aliis maxime lethalia ſunt, quia ſanguis effuſus aut pus euacuari nequit. Ventriculorum cerebri vulnera abſolute lethalia ſunt. Cerebelli vulnera abſolute lethalia non ſunt, periculoſa autem magis, quam cerebri vulnera, quum trepanatio cranii, cerebello vulnerato, ob occipitis muſculos inſtitui facile non queat. Nec mediae cerebelli partis perforatio abſolute lethalis eſt, experimentis in canibus inſtitutis contrarium probantibus. Abſolute lethalia ſinuum cerebri vulnera ſunt ob ſanguinem effuſum apoplexiam ſtatim inducentem. Medullae ſpinalis vulnera, ſi dorſo aut lumbis inflicta ſunt, valde lethalia non ſunt, nec ſuperioris medullae partis vulnera mors ſtatim ſequitur. Doctrina de neruorum vulneribus ſpiſſis adhuc tenebris obſita eſt. Iſchiadici nerui vulnera periculoſa et ſubinde lethalia ſunt. — Arteriae maxillaris internae vulnera ſemper lethalia fuerunt.

Manca eſt vulnerum pectoris, quoad lethalita- p.438.
tem, diuiſio in talia, in quibus pleura vel laeſa, vel non laeſa eſt; pectoris enim vulnera admodum ampla et partibus thoracis lateralibus inflicta etiam lethalia eſſe poſſunt. — Laeſio omnium thoracis viſcerum, ſolis pulmonibus exceptis, lethalis eſt. Pericardii tamen vulnera lethalia non ſunt. — Mortem b. vir et ex ſuperficiali pectoris vulnere vidit. Pulmonum vulnera pro abſolute lethalibus tunc tantum pronuncianda ſunt, ſi magna ſanguinis copia in pectore profuſa eſt.

Abdominis vulnera et non penetrantia lethalia p.462.
euadunt muſculo recto cum vaginis ſuis tendinoſis

diſciſſo; hernia enim ventralis lethalis inde naſcitur. Vulnera inteſtinorum plurium fere ſemper lethalia ſunt, duodeni inteſtini autem vulnus prae omnibus aliis lethale eſt. Meſenterii vulnera, magno vaſe non laeſo, dubia adhuc ſunt. Summe lethales ſunt vaſorum lacteorum ſecundi ordinis laeſiones. Vulnera hepatis omnia lethalia ſunt. Eadem et de lienis vulneribus valent. Renum vulnera, quae ſubſtantiam tantum corticalem reſpiciunt, illaeſa pelui, longe magis periculoſiora iis ſunt, in quibus peluis ſimul laeſa eſt. Vrinariarum viarum vulnera pro vtplurimum lethalibus habenda ſunt. Vteri vulnera valde periculoſa ſunt. Illorum effectus debilitas, ſine vllo alio malo eſt. Videtur hoc modo vulneratis vitae principium ademtum eſſe, ita vt ſine dolore lipothymae ac conuulſae moriantur.

§. 482. Lethalia ſunt vulnera arteriae infraſcapularis, humeri neruorum, nec non vulnera prope femur, quae perpetuo mortem inferunt. Ligamentorum vulnera inſanabilia quidem, ſed non lethifera ſunt.

Verbera, a quibus non tam partium laeſio, quam ſanguinis in telam celluloſam profuſio ſequitur, ſaepe lethalia eſſe poſſunt. Regula HALLERO eſt, extrauaſationem lethalem eſſe, ſi longitudine latitudineque quadratum pedem exceſſerit; tunc enim aut ſubita mors ſequitur, aut putredo in extrauaſato ſanguine nata maſſam humorum inficit morboque putrido producto affectum iugulat.

Haec fere eorum ſumma eſt, quae in primis huius voluminibus continentur. TEICHMEYERIANI libri, quem HALLERVS commentatus eſt, verſio ſimul addita eſt, ſed hoc modo, vt non facilis vbique dictorum HALLERI, TEICHMEYERI et editoris diſtinctio ſit. — Plura et in anguſtius ſpatium redigi potuiſſent. — Elaboratiſſima operis pars de vulnerum lethalitate eſt.

V.

V.

Der Kinderarzt von CHRISTOPH IACOB MELLIN, *d. A. G. D. — und Phyſicus der R. St. Kempten. Zweyte Ausgabe. Kempten 1783. in 8. 248 pag.*

i. e.

Medicus infantum auctore CHR. IAC. MELLIN. —

Prima parte diaeta infantum proponitur, altera morbos eorum curandi ratio. Liber partim ex propria, partim et aliorum obſeruatione, quos tamen Cl. Auctor non nominat, natus eſt.

De lactantium diaeta primum agitur. Varios infantum morbos caueri poſſe, ſi ſanguis ex funiculo vmbilicali reſciſſo exprimatur, Noſter ex Arabum iſta theoria, qua omnis ſanguis, qui ad vterum deriuabatur, nociuus, imo venenatus putabatur, aſſerit, variolas tamen hac enchireſi benigniores reddi non putat. Lactatio infantum ex propriis matris vberibus nimis generaliter commendatur, nullo reſpectu ad recentiorum, inprimis TISSOTI, obſeruationes habito, qui a *ſanis* quidem infantes lactandos eſſe probat, non vero a male ſanis. Lactis ſerum, quod infantibus, matre aut ieiuniis conſumta, aut ira, caet. exagitata, materni lactis loco commendatur, non quadrat, quum, quod vidimus, ob acidam ſuam naturam, torminibus anſam det. Praeſtat certe lac vaccinum aut caprinum aqua remixtum exhibere.

Diaetam nutricum bene Cl. Auctor exhibuit, ſed errorem commiſit, quem in diaeteticis noſtri temporis libris paene omnibus notauimus. Diaetam videlicet commendat tenuem, ciboſque leues, eupeptos, omiſſa *aurea* iſta regula, diaetam nutricum quidem legibus quibusdam adſtrictam eſſe, *non nimis tamen a diaeta, cui antea adſueuerant, recedere debere.* Vidimus, diaeta a MELLINO noſtro commendata in ru-

ſticis

ſticis inprimis et duro victui adſuetis nutricibus cum rigore quodam obſeruata, morbos obortos eſſe ex digeſtione laeſa et neruorum ataxia; nutricem autem hoc modo affectam bonum lac infanti ſuo praebere non poſſe, facile quisquam perſpiciet.

p. 14. Caput, quo ratio infantes absque materno lacte nutriendi proponitur, bona plurima continet. Potus illi ex aniſo, polypodio, inprimis ex caffea cum lacte (qui potus infantibus, vt copioſa nos obſeruatio docuit docetque, prae aliis omnibus maxime exitialis eſt) valde taxantur.

Ad victum polenta ex pane non fermentato cum lacte aut aqua laudatur; hoc vero polentae genus infantes ſubinde ſat cito faſtidiunt. Nos ſubinde quidem tales polentas, ſubinde tamen et alias cum carnium iuniorum iure paratas praecepimus, reſpectu quodam ad id habito, quod omnibus hominibus victus, ex animali et vegetabili compoſitus, prae aliis omnibus conueniat.

Balnea primis tribus vitae menſibus *quotidie* (?) adhibere iubet. Thoraces quidem non laudat, ex flexilibus tamen ceti pinnis aut chordis inteſtinalibus confectos permittit, (nos ex laneo coactili confectos caeteris omnibus iure praeferimus) ſacchari vſus, renuente tamen BOERHAAVII doctrina, noxius putatur.

p. 45. His praemiſſis, altera libelli parte infantum morbi pertractantur. Rarus morbus teneriorum infantum quidem, attamen vere exiſtens, eſt inflammatio cerebri menyngumque cum vehementi in occipite calore et fontanellae lapſu. *Blattſchieſſen* vocat Cl. Auctor. Naeuos, qui magnas venas non habent, mixtione calcis viuae cum ſapone exulcerare iubet.

p. 74. Conuulſionum internarum, iterantium leuiumque cauſſa in acida materie in ventriculo latente ponitur. Cauſſa occaſionalis eas, intenſiſſimasque conuulſiones producens, recte a Cl. viro in noxia iſta

enchi-

enchireſi ponitur, qua infantibus diu noctuque linteum in papillae quandam formam coactum praebetur, cui panis maſticatus ſaccharo remixtus, aliisque dulcibus et aceſcentibus incluſus eſt. Cuius conſuetudinis peſſimos effectus et nos ſaepe vidimus, eo praecipue redeuntes, vt atrophiae fomitem accendant, poſtea ſaepiſſime lethalis, neruorumque mobilitatem in immenſum augeant. Magneſiae doſis (quantum caffeae cochleari comprehendi poteſt) nimis magna eſt. Praeſtat et magneſiam rhei puluere remixtam exhibere. Zinci flores Noſter ex propriis experimentis, ceu medicinam ad conuulſiones maxime valentem, commendat.

Ad diarrhoeam infantum, inprimis pertinacem, p. 89. emetica laudantur ex tartaro emetico parca doſi ingeſto, et ad lienteriam, frequentem admodum infantum morbum, corticis Peruuiani extractum cum aqua cinnamomi ſolutum. (Nos hoc modo affectis, purgatis probe primis viis, rheum cum aequa parte flauedinis corticum aurantiorum exhibere ſolemus, nec vnquam haec medicina ſpem noſtram fefellit, impoſito inprimis abdomini menthae herba cum vini ſpiritu paululum madefacta). Ad ani procidentiam quernum corticem et nos ſaepe cum fructu adhibuimus.

Febris, quae a dentibus caninis difficulter erum- p. 125. pentibus accenditur, rachitidem ſaepius producit, perdurante febre, mortemque, ex febre in lentam cum tumido abdomine degenerata. Stomacace infantum, quam IOURDAIN nuper deſcripſit, qua durante maxima ſaepe maxillae pars cum naſo, labiis, buccis, caet. a putredine exeditur, bene deſcripta eſt. — Copioſus puluerum temperantium, terreorum, marchionis, caet. vſus atrophiae forte originibus valde fauet. Medicinae ex ferro ad eam commendantur, nec non infuſum glandium quernarum toſtarum (nos tartari oleum per deliquium aqua dilutum,

lutum, in eaque medicina taraxaci extractum ſolutum efficaciſſimum, adiuuantibus curam balneis, invenimus).

p. 225. Ad variolarum inſitionem methodus a Cl. GATTI inuenta prae aliis laudatur. Omnis ſanorum ad inſitionem praeparatio reiicitur.

Liber in vulgi vſum populariter conſcriptus eſt, et plurima bona, rationi et experientiae conſentanea conſilia continet. Formulae libro additae omnes bonae ſunt.

VI.

Carmen de medico, ignorata morbi cauſſa, male curante. Tubingae 1784. in 8. $2\frac{1}{2}$ pl.

Nomine ficto carminis auctor IANI IRENAEI SOLISCI vſus eſt. Rarum autem noſtris temporibus, verum tamen non plane inuſitatum, nec iniucundum penitus eſt, res ſeueriores medicas carminibus pertractari, quum in tali laborum genere HEBENSTREITIVS, vir quondam illuſtris doctiſſimusque, laudis particulam haud exiguam meruerit, vt alios, eo recentiores, taceamus. Peccata inprimis medicorum taxare ſibi carminis doctiſſimus Auctor propoſuit, ſed non omnia, vnum tantum,

— — quod princeps iure adpellaueris, et quo
Non aliud magis eſſe frequens inueneris vſquam.

— — — — — —

At quid peccati eſt illud? Tribus accipe! CAUSSA
IGNORATA MALI. *Morbis adcingere ſeſe*
Curandis audent complures, nec tamen ante
Veras illorum ſtuduerunt noſcere cauſſas.

Auctor Cl. quum plus quam viginti annos medicinam fecerit, ſaepiusque viderit, medicos per plures menſes plena medicamina dextra ſtomacho inculcaſſe, hiſtorias quasdam morborum adfert, probantes, quan-

quantum in medicina iuſta cauſſarum cognitio valeat.

Prima hiſtoria iuuenis morbus narratur, quem, phimoſi naturali laborantem, variolae copioſiſſimae, ſed benignae, corripuerant. Variolas gonorrhoea excepit acerrimam irritationem doloremque in penis glande producens. Medicus morbum pro virulenta gonorrhoea habuit, ſed incaſſum ad eam adhibitis medicinis, alius corticem Peruuianum et ferrum, pariter incaſſum, dedit. Auctor demum Pyrmonti in conſilium vocatus facile vidit, variolas intra praeputium glandemque vlcera foeda reliquiſſe, debitaque medicina et phimoſin et gonorrhoeam ſanauit.

Altero carmine hiſtoria ophthalmiae vehementis continetur a pure in ſinubus maxillaribus collecto productae. Multis medicinis fruſtra adhibitis, morbus dentibus quibusdam molaribus extractis, et pure euacuato ſanatus eſt.

Tertio hiſtoria iſchiadici mali enarratur a febre bilioſa cortice Peruuiano intempeſtiue dato ſuppreſſa oriundi. Morbus bili aduerſa medendi methodo ſanatus eſt.

In virgine, cui menſtrua nunquam profluxerant, incaſſum adhibitis medicinis omnis paene generis, Auctor demum accuratiori examine vaginae vterinae coalitum detexit. (Nos nuper perfectam amauroſin ab eodem vitio natam obſeruauimus).

Quinto carmine matrimonii ſterilis hiſtoria exhibetur. Fraenum in penis glande aequo breuius impotentiae virilis ſpeciem produxerat, eoque inciſo,

Exiguo antiquum reparans vir tempore robur,
Vxoris pulchro miſcetur corpore: at illa
Paulo poſt grauidam ſe factam percipit eſſe,
Legitimoque parit formoſam menſe puellam,
Quam mihi, non patri, deberi ſaepe iocatur.

Virgo

Virgo XVII. annorum, antea optime valens, terrificis conuulſionibus ſaepe, nec tamen per tempora certa quaſſabatur. Nulla mali certa origo. Medici omnia tentarunt. Tandem auctori cura mandatur. Saepius ſe aegram inuiſurum dixit, vt forte morbi cauſſam cognoſceret. Cognouit tandem, aegram ipſam morbi auctorem eſſe. Etenim

— — — — quae nocte dieque
Illam curet, adeſt laſciua ſalaxque puella.
Nos quoties viſum matronae ad tecta venimus,
Ambas conſpicimus iuſto feruentius inter
Seſe amplectentes, inſuetaque baſia dantes.
— — — — — —
— — — — — —
Praeterea interdum pariter conclaue relinquunt,
Quumque reuertuntur, nimius rubor ora colorat.

His viſis, turpi tribadum quin crimine ſeſe
Commaculent, dubium nobis non eſſe videtur.

Partium verendarum examen medicus matri propoſuit, quo, quamuis aegre, permiſſo,

— — oculis offert cunni ſe tantus hiatus
Vt quamuis craſſo, pateat via commoda peni.

Ciſtam demum, ſceleris conuicta, profert, recludit, et inde

Inſtrumenta aliquot tantos referentia penes
Depromit; nudatam iſthaec praecingere pubi
Alteram, et alterius nudante intrudere cunno,
Totisque adniſam ſpiſſos dare viribus ictus. —

Tandem balneorum frigidorum vſu conualuit, viroque nupta ſana viuit valetque.

VII.

Dr. IOHANN PHILIPP BURGGRAVE, *des Jüngern — erſten ausübenden Arzt zu Frankfurt — auserleſene mediciniſche Fälle und Gutachten. Frankfurt am Mayn. 1784. in 8. 356 Seiten.*

i. e.

Caſus et conſilia medica ſelecta, auctore IOANNE PHIL. BURGGRAVE.

Caſus hoſce a viro quondam πρακτικωτάτῳ conſcriptos e plurimis ſub auſpiciis KAEMPFII, Archiatri Hanovienſis, viri inter primos in Germania practicos referendi, ſelegerunt MÜLLERUS et IASSOY, medici Francofurtenſes. Lubet eos paululum accuratius recenſere, quum a viro profecti ſint, qui coram aegrorum lectulis conſenuit, doctiſſimo, practicoque feliciſſimo.

Febrem miliarem non criticam, ſaepius, iterantibus exanthematibus, iterantem et cortice Peruuiano nimis mature profligatam excepere ſpaſmi clonici cum ſummo dolore coniuncti, periodici, aquis Fachingenſibus paululum, ſed non perfecte, leuati. Gummi Galbani ad eos beatus vir inprimis adhiberi iuſſit.

Febrem tertianam ſoporoſam malignam, ad quam digeſtiuae medicinae parum valuerunt, cortex Peruuianus quidem excuſſit, ſed poſtea, iterantibus ſaepe febris tertianae inſultibus, alui profuſio maxime diuturna nata eſt, ad quam aquae Swalbacenſes et Pyrmontanae commendantur. Variae febrium lentarum cum corporis contabeſcentia coniunctarum, ex ataxia neruorum maxime ortarum, hiſtoriae ſequuntur. Eas excipiunt febrium hiſtoriae a ſanguinis ad pulmones decubitu ortarum, febrium lentarum a meſenterii exulcerationibus, haemorrhoidibus anomalis.

p. 50. Cardialgiam intenſiſſimam, maxime diuturnam, cum appetitus plenaria deiectione et corporis volumine aucto, ſed male ſano, leucophlegmatico coniunctam, maraſmus excepit cum febricula, et acerrimo ex viridi flauo humore ex vtero ſub maximis doloribus profluente. Ad atrophiam et febrem ex ea puluis ſtomachicus *Quercetani* commendatur.

Apoplexiae hiſtoriae ſequuntur. Ad ſanguineae apoplexiae inſultus cauendos, ſeu ad cerebri plethoram auertendam, b. auctor radicem dulcamarae cum radice bardanae commendat. Apoplexiae ſeroſae ſaepius per inſultus leuiores iterantis hiſtoria notabilis exacte narratur. Ad pituitam reſoluendam b. auctor gummi opopanacis commendat.

Paralyſeos et paraplegiae, paralyſeos ex catarrho, pedum et veſicae vrinariae paralyſeos ab humoribus glutinoſis, linguae paralyſeos a febrili materia inductae, laxitatis muſculorum colli, qui caput ſuſtentant, hiſtoriae ſequuntur.

p. 86. Melancholiae a turbato ſanguinis per abdominis viſcera circuitu indeque pendente muſculorum praeternaturali irritabilitate et neruorum oſcillatione hiſtoria. Remedia nimis acria commendantur.

Vir quidam poſt febrem cortice Peruuiano ſuppreſſam in obſtructiones viſcerum abdominalium ſymptomataque potiſſimum neruoſa ex iis incidit. Pilulae ex fumariae extracto et gummi ammoniaco ad hunc morbum laudantur.

In virgine ex nimiis meditationibus et ſedentaria vita hyſterica draſticae et vermes expellentes medicinae peſſima ſymptomata, animi deliquia, caet. produxerunt. In alia aegra ex ſanguine in abdomine ſtagnante ſtrangulationes hyſtericae, ſuffocationem minantes, obortae ſunt.

In alia femina poſt quemuis coitum dolores in abdomine intenſiſſimi, dolorum ad partum inſtar, oborti ſunt.

Vario-

Variorum ex manuſtupratione ortorum morbo- p. 102.
rum hiſtoria ab ipſo aegrotante enarrata plura notatu digna continet. Magnus capitis aeſtus et ſiccitas, muci per nares deficiens ſecretio, aeſtus in ore volatilis et capitis quaedam vertiginoſa obnubilatio, os collapſum, ſenile, formicationis in naribus ſenſus, pectoris et brachiorum acuti vagique dolores, inſignis in dorſo debilitas, ſeminalis materiae excretio ſpontanea, tentigo ad penis radicem, erectiones penis paene continuae, articulorum inferiorum dolores, ſonitus quidam auribus perçipiendus, dum articuli mouentur, nocturni ſudores viriumque ſenſim exſurgens defectio praecipua ſymptomata ſunt.

Epilepticos motus a fluxu menſtruo intercepto obortos, quo vaſa ſanguifera diſtenta ſunt, roborantibus medicinis curari iubet.

Enarratis ſpaſticorum morborum varii generis p. 144.
hiſtoriis, caſus hydropis proponuntur ab atra bile in viſceribus collecta, ab infirmitate et obſtructione viſcerum abdominalium, a viſcerum infimi ventris indurationibus, caet. oriundi.

In virgine ex hydrope demortua muſculi abdo- p. 156.
minales ab extenſione violenta tenuiſſimi inuenti ſunt. Inciſis abdominis integumentis, corpus enorme oblongum, varie gibberoſum, carnei coloris ex pelui vſque ad ſternum adſcendens, apparuit, totam abdominis cauitatem complens. Hoc corpus pure obſitum erat, ſuppurati omenti reliquiis. Ligamento quodam ſatis craſſo firmoque ad ileum os firmabatur. Ex ouario hoc corpus ponderis librarum 30. natum erat. Eo inciſo, aquae tenaces effluxerunt. Inteſtina inflammata, caetera abdominis viſcera ſana fuerunt.

Haemoptyſeos ex circulo ſanguinis per viſcera abdominis turbato hiſtoria. Morbo tamen primam anſam catarrhus pulmonum dedit.

In muliere ex terrore eumque excipiente animi moerore primum menſtrua turbata ſunt, poſtea haemorrhagia vteri oborta eſt ſaepius recurrens, ab atonia vaſorum vteri oborta, admodum difficulter ſanabilis.

Abortus habitualis hiſtoria. Menſes ſine ordine profluentes et fluor albus, copioſus, erodens effecerunt, vt poſt quamuis conceptionem femina abortum pateretur.

p. 174. Vrinae interceptae hiſtoria. Catheteri diligenter immiſſo aditus in veſicam denegabatur, eoque ſubinde et in veſicam illato nulla vrina profluxit. Abdomen tumidiſſimum, et in lumbali regione intenſus dolor. Morbi cauſſa a b. viro in induratis veſicae vrinariae tunicis ponitur.

Haemorrhoidum in puella octo annorum hiſtoria. (Nos talem ſanguinis profuſionem ſaepius vidimus, inprimis aegris antea ani prolapſu laborantibus. Haemorrhoidalia conamina proprio ſenſu ſumta haud facile tali in caſu accuſari poſſunt.)

Haemorrhoidum ad veſicam hiſtoria. Poſt varias haemorrhoidum anomalias in viro ſedentario, multum equitante, vrina cum dolore per XXI. annos ita intercepta eſt, vt poſt meridiem et veſperi tantum mali quaedam remiſſio ſequeretur. Quum et purulentus humor ex vrethra profunderetur, morbum in fiſtuloſo colli veſicae vlcere ab haemorrhoidibus veſicae producto conſtare b. Auctor putat.

Arthritidis, podagrae, rheumatiſmorum, variarumque horum morborum anomaliarum variae hiſtoriae ſequuntur.

Poſt animi vehementem commotionem, inſtitutamque ſtatim poſt eam venaeſectionem, conuulſiones articulorum vehementiſſimae ſequutae ſunt.

p. 233. In muliere fluore albo maligno laborante poſt intermittentem febrem intempeſtiue ſuppreſſam alui obſtructio ſequuta eſt, ad quam propellendam, in-

caſſum

caſſum adhibitis aliis medicinis, clyſteres applicati ſunt, ita tamen, vt fiſtula difficillime in anum immitti poſſet doloresque intenſiſſimi oborirentur. Hi dolores in ani regione perdurarunt, quumque digito anus exploraretur, nodus durus ſat magnus intra anum et vteri vaginam detectus eſt. Dolor et veſicam occupauit. Hunc nodum cancroſum b. vir putat.

Cicutam BURGGRAVIUS ad ſcrofulas exulceratas ſuaſit; quum autem aegrae medicus cicutam pro veneno haberet, WERLHOFIUS in conſilium vocatus extracti vſum valde probauit doſi copioſa ſumtum.

In viro ſexagenario, potatore, haemorrhoidario, p. 251. dolor in ſiniſtro femore acutus obortus eſt oſteocopus cum emphyſematico tumore. Poſtea crus in inferna parte exulceratum eſt. Vlcus nigrum, graueolentem ichorem profudit. Cariem b. vir accuſat, ad eamque guaiaci decoctionem concentratam, commendat.

Difficilis alimentorum per oeſophagum in ventriculum deſcenſus absque dolore hiſtoria. Lumbagine antea affectus fuerat aeger, huiusque morbi materiem oeſophagi glandulas petiiſſe easque induraſſe Cl. vir putat. Cicutae extractum, ceu efficaciſſimam medicinam vſuque ſuo valde comprobatam commendat.

Cardialgiae a materiae arthriticae decubitu, a ſanguinis per abdomen circuitu intercepto, caet. hiſtoriae ſequuntur.

De dolore in ſcrobiculo cordis cum pulſu mani- p. 300. feſto quaſi arterioſo. Dolor in ſcrobiculo cordis iuvenem ſaniſſimum antea inuaſit, quaſi vlceroſus. Ei alius dolor ſuperuenit circa ſiniſtram mamillam vſque ad vltimam coſtam ſpuriam excurrens. Dolor in ſcrobiculo cordis manifeſte pulſat, inprimis poſt paſtum, vt pulſus admota manu facile percipiatur. Somnus et reſpiratio bona. Rheumaticorum humo-

rum decubitum in locum affectum cum aneuriſmatica vaſorum arterioſorum dilatatione medici Monſpelienſes conſulti accuſarunt. Eadem et medicorum Lugdunenſium mens fuit.

In adoleſcentis poſt peripneumoniam tuſſi ſicca et anheloſa reſpiratione vexati, tardiſſima aluo, rheumaticis doloribus et pedum tumore leucophlegmatico laborantis, cadauere cor praegrande, vncias nouemdecim ponderans, inuentum eſt. Pulſus regularis fuit, ſed intra horae minutum aliquot ante obitum menſibus 34—35. illius micationes in carpo animaduerſae ſunt.

p. 316. Virgo a quinque menſibus non menſtruata pulſum in epigaſtrio magnum et amplum habuit cordis pulſui ſynchronum, vtrumque, febrilis inſtar, frequentiſſimum. Pulſus in epigaſtrio tam magnus fuit, vt conſpici potuerit. Dorſo in oppoſito latere impoſita manus eundem pulſum facile percepit. Reſpiratio poſt paſtum tantum moleſta, caetera omnia bona ac naturalia. Pro aneuriſmate aortae arteriae b. vir morbum habuit, eumque incurabilem putauit. Conſultus autem MASSUET, medicus Amſtelodamenſis, morbum pro hyſterica paſſione habuit a fluxu menſtruo intercepto producta. Aneuriſma arteriae cuiusdam ſubeſſe et morbum incurabilem eſſe Medici Lipſienſes putarunt. — Deeſt, quod dolemus, morbi omni modo notabilis euentus hiſtoria.

p. 337. De polypis narium. Virgo ex longo tempore iis laborauerat, vnoque reſciſſo, chirurgus plures in naribus et altiſſime reſidentes animaduertit. Chirurgi Pariſini PETIT et BONDON morbum pro inſanabili habuerunt.

p. 344. In viro haemorrhoidario, maxime plethorico, ex neglecta venaeſectione tumor in angulo oculi externo indolens, fabam forma et magnitudine referens, obortus eſt. BURGGRAVIUS tumorem pro infarctus vaſorum ſanguiferorum effectu habuit, CAP-

PELIUS et BRENDELIUS a rheumatica acrimonia ſeroque acri morbum deriuarunt.

In muliere vteri vagina ex acerrima fluxus albi materia ita cum inteſtino recto exulcerata eſt, vt iniecti in anum clyſteres per vaginam vteri decederent, per eamque et aluinae feces penitus euacuarentur, adeo vt anus omnium functionum expers eſſet. Tandem et vrina per vteri vaginam profluxit. Mortua tandem infeliciſſima hac aegra, in vteri vagina nodi gangraenoſi et cancroſi plurimi, iidemque et in recto inteſtino inuenti ſunt. Os vteri durum, gangraenoſum et cancroſum fuit. In ouario ſiniſtro abſceſſus. Colli veſicae dimidia pars ſuperior penitus defuit, ita vt vrina ex veſica in peluim primum, ex eaque in vaginam defluxerit. Caetera omnia ſaniſſima fuere.

Liber omni modo dignus eſt, qui attente legatur. Omnes medicinae, quae a BURGGRAVIO proponuntur, efficaciſſimae et caſui maxime accommodatae ſunt, ſcholamque et *mentem* BOERHAAVII, magni, ni fallimur, B. viri praeceptoris, penitus redolent. Dolemus vnice, quod exitus morborum, quorum hiſtoriae enarrantur, hiſtoria vbique fere deſit.

VIII.

ROBERT DOSSIE *geöffnetes Laboratorium, oder entdeckte Geheimniſſe der heutigen Chemiſten und Apotheker. Aus dem Engliſchen. Zweyte mit Zuſätzen vermehrte Auflage, von* IO. CHR. WIEGLEB. *Altenburg 1783. 452 pagg. in 8.*

i. e.

Laboratorium apertum, ſiue arcana chemicorum et pharmacopoeorum noſtri temporis reuelata. Editio noua, additamentis aucta.

Libro omnibus ſatis noto quaenam WIEGLEB, V. Cl. addiderit, indicaſſe ſufficiet.

p. 83. Omnia ſalia alcalina fixa vegetabilia pro vnis iisdemque non putantur; ſunt enim plantae, ex quarum cineribus ſal alcali nullo modo, ſed medium obtinetur. Nec tartari ſal cum ſalibus plantarum lixiuioſis perfecte conuenit, quae omnia quartam circiter ſalis cuiusdam medii partem continent. Tartari ſal e contra magis alcalinum et in vegetabilibus puriſſimum alcali eſt.

p. 111. Olei animalis Dippelii conficiendi modum Cl. editor addidit. De cornu cerui foetido oleo pars limpidiſſima deſtillatur, partisque coloratae deſtillatio, vt limpidiſſimum tantum oleum obtineatur, iterum inſtituitur. Ad ſpiritum ſalis ammoniaci cum ſale alcalino fixo parandum vni ſalis ammoniaci parti tres partes cinerum clauellatorum addi debent, vt omne, quod in ſale ammoniaco continetur, volatile ſal, tutius expellatur. In ſalis ammoniaci ſpiritu cum calce viua parando calcis quantitas, ob illius varietatem, exacte definiri nequit. Si ſpiritus obtentus cum acido vitrioli debiliori remixtus non efferueſcit, aequam proportionem eſſe cognoſcitur.

p. 166. Tartari cryſtalli in magnis Gallorum officinis praeparati ſemper calcarei quid, ob argillaceam terram iis admixtam, continent. Tartari e contra cryſtalli ex Italia allati magis acidi ſunt, quum terrae loco oui albumen ad clarificandum liquorem eligatur, adeoque hi praeferendi ſunt. — Modi acidum tartari purum et ſacchari acidum conficiendi iuxta Cl^um^ SCHEELE adiecti ſunt, nec non modi aceti acidum concentratum, et lignorum acetum parandi.

p. 188. Aetheris Frobenii, naphtarum nitri, ſalis communis, aceti et aceti ex lignis conficiendorum rationem Cl. editor pariter adiecit, variasque methodos addidit flores Benzoës parandi. Addita etiam eſt a Cl. viro phoſphororum parandorum ratio.

p. 215. Modus acidum vitrioli magna copia ex ſulphure parandi nec hodie nobis ſatis cognitus eſt, quum Angli

Angli hos labores valde celent, nec quemquam facile ad eos admittant.

Differentiam quandam inter nitri ſpiritum et aquam fortem alchymiſtae ſtatuerunt, ſulphureum principium vbique quaerentes. Nitri ſpiritus his fuit ope argillae aut luti paratus, fortis vero aqua idem ſpiritus ſulphuris ope confectus.

Modus WESTRUMBII ſpiritum ſalis dulcem pa- p. 247. randi deſcribitur, plura etiam de magneſia bene praeparanda addita ſunt. Methodus etiam lac ſulphuris cauſtici lixiuii ope, quo ſulphur facilius ſoluitur, quam ſola calce, traditur. Calomel num genuinum ſit, hoc cognoſcitur, ſi cupro fuſo addatur, et ex cupro colorem non mutante cognoſci poteſt, calomel genuinum eſſe.

Butyrum antimonii, ſulphur antimonii auratum, tam ſolidum, quam liquidum, tincturam antimonii acrem, tartarum emeticum, tincturam neruoſam BESTUSCHEW, aquam ſclopetariam, taffiam conficiendi et praeparandi rationem Cl. editor adiecit.

In Gallia ſal mirabile Glauberi cryſtalliſatione p. 427. durante vehementer et perpetuo agitatum, vt magnarum cryſtallorum generatio impediatur, loco ſalis cathartici Anglici venditur. Minio laterum puluis admiſcetur. Myrrhae et hederae gummi ceraſorum gummi ſaepe admixtum eſt. Crocus carthamo tinctorio adulteratur. Pulueriſato Norimbergenſes flores calendulae admiſcent. Clauellatis cineribus arena admiſcetur, ex gelatinoſa praecipitatione acidi vitrioli ope cognoſcenda. Terras abſorbentes cum cryſtallis tartari non praeſcribendas eſſe, Cl. vir ex eo probat, quod tartarus calcareus, nullo modo digerendus, inde oriatur.

Libro, qui additamentis Cl. editoris, viri induſtrii et in chemicis rebus peritiſſimi, vtiliſſimus euaſit, index copioſus adiectus eſt.

IX.

Beobachtungen über die Blutflüſſe der Wöchnerinnen und über die Mittel ſie zu ſtillen, von Herrn LEROUX, *Wundarzt des öffentlichen allgemeinen Krankenhauſes der Stadt Dijon. Aus dem Franzöſiſchen. Königsberg, bey Dengel. 1784. in 8. 328 pagg.*

i. e.

Obſeruationes de vteri haemorrhagiis in puerperis et de medicinis ad eas cohibendas. —

Libri verſio eſt, qui anno 1776. in Gallia, titulo: *obſervations ſur les pertes de ſang des femmes en couches et ſur le moyen de les guerir* prodiit, a Cl. HELD, medico Gerano doctiſſimo, confecta. Eiusdem libri et verſio, ſed contracta magis, in collectione opuſculorum medicorum Lipſienſi, titulo: *Sammlung auserleſener Abhandlungen zum Gebrauch praktiſcher Aerzte* Vol. IV. pag. 517. proſtat.

Doctrina de vteri ſtructura, quam maximam ad partem pro muſculari habet, nec non de vteri extenſione ab ouulo impraegnato eiusque ad ouulum perfectum expellendum contractione expoſita, Noſter ad cauſſas tranſit, quae vteri contractioni aduerſae ſunt. Hae, ſi in ſecundinis ſitae ſunt, eo redeunt, vt aut ſecundinae inaequaliter vtero adhaereant, aut nimis curuam et inaequalem ſtructuram habeant, aut nimis curto vmbilicali funiculo inſtructae ſint. Praeterea et vteri inaequalis contractio, ſpaſmi vterini inaequali contractioni et accumulationi in vtero pſo fauentes, praepropera nimis ſecundinarum extractio, vtero ſtatim poſt partum atonia quadam ad tempus laborante, haemorrhagias vteri producunt.

p. 55. De inertia vteri, ceu haemorrhagiae vterinae cauſſa. Syncopen vteri et hanc inertiam Noſter vocat, illique varios gradus tribuit. Secundinae tali

in

in caſu in vtero reſiduae haemorrhagiam certiſſime metuendam, donec vim ſuam contractilem vterus acquiſiuerit, efficaci modo arcent.

Inuerſio vteri ſaepius accidit, quam vulgo creditur. Producitur aut ab inertia, aut a manu obſtetricis indocta. Tres illius gradus ſtatuuntur.

Sciſſura vteri haemorrhagiis maxime funeſtis anſam dat. Subinde et vterus ab imprudenti obſtetricis manu, aut a ſecundinis vi extractis laceratur. Subinde et vteri os a capitis nimio impulſu ſcinditur, ſed haec ſciſſura valde periculoſa non eſt. Idem et poſt vim nimiam accidit orificio ab obſtetricante illatam. p. 73.

Animi deliquia frequentiſſime quidem poſt vteri haemorrhagias in puerperis accidunt, ſed et ab aliis cauſſis naſcuntur, v. g. euacuato vtero vi nimis ſubitanea, a malo hyſterico, ſubinde et alii morbi, dolores poſt partum, caet. lipothymias producunt. p. 101.

Altera operis parte in medicinas remediaque inquiritur ab auctoribus ad arcendas et curandas haſce haemorrhagias propoſita. Ad arcendam ab vteri pigritia oriundam haemorrhagiam partum non nimis accelerare inprimis conuenit; et ſi iam durante partu haemorrhagia incidens periculum minatur, partum quidem accelerare licet, ſed ſemper ita, vt vtero iuſtum tempus ad debitam contractionem ſuperſit; maximum enim accelerati partus periculum a ſanguinis profuſione pendet, quae ſemper fere cauetur, ſi, ſublatis potentioribus obicibus, caetera naturae relinquuntur. Noſter, qui haec ſemper obſeruauit, nunquam vidit puerperam eſſe mortuam, dum ad partum ob haemorrhagiam accelerandum verſionem inſtitueret. p. 104.

Sat notabile eſt, foetum, verſione inſtituta ob haemorrhagiam, plerumque mortuum extrahi. Cauſſa in eo latet, quod, ſeparata ſecundinarum parte ab vtero, foetus parum ſanguinis accipiat. Omnes praeterea

terea foetus, Agripparum partu editi, lipothymi in initio ſunt, parsque eorum tertia ſemper moritur. Qui et euadunt, imbecilles in initio ſunt. Si vitam matris foetusque, haemorrhagia iam durante partu praeſente, ſeruare velis, ſummi momenti eſt, vt partum eo tempore acceleres, quo mater virium iacturam ingentem nondum paſſa eſt. Debili iam matre exiſtente, vtplurimum accidit, vt ea ſtatim pereat, foetu extracto.

p. 125. Si in Agripparum partu vmbilicali funiculo femur conſtringitur, aut ſi idem funiculus praeternaturali modo partes intra femora ſitas occupat, funiculum diſcindendum eſſe Noſter aſſerit. (Nuper, quum ad parturientem vocaremur, obſtetrix funiculum vmbilicalem foetus pedibus praeuiis vſque ad caput, quod in vagina vteri haerebat, in lucem editi, ligauerat. Foetus ſaniſſimus, perfectus ex omni parte, mortuus erat ex ſuffocatione ob ſanguinis circulum interceptum, quum obſtetrix caput extrahere neſciret).

Regula princeps Noſtro eſt, *ne ſecundinae feſtinanter educantur, dum vtero adhuc adhaerent.* Si vero pars ſecundinarum maxima iam naturae ope ſoluta eſt, et ob particulam adhaerentem haemorrhagia naſcitur, opus eſt, vt ſecundinae citiſſime extrahantur; ſanguis enim profuſus vterum expandens nouam cauſſam ſanguinis profluuii aucti conſtituit. Modi ſecundinas extrahendi varii, nec non ſecundinas ſacco praeternaturali incluſas altero loco nimis fortiter adhaerentes, caet. ſeparandi accurate exponuntur.

p. 155. Quomodo vteri inuerſiones ſanare expediat. Tres earum gradus ſunt, depreſſio vteri eiusque aut imperfecta aut perfecta inuerſio. Si vteri fundus profundiora petit, ita tamen, vt pars fundi depreſſa in vteri orificio non percipiatur, depreſſio eſt. Imperfecta inuerſio eſt, ſi vteri fundus in vteri orificio per-

percipitur. Vteri ſciſſura optime cauetur, ſi vtero nulla vis infertur, dolores nimii antiſpaſmodicis, ſitu puerperae debito, caet. praecauentur. Vteri vero orificium, inprimis ſi praeter naturam tenue eſt, quum facile ſcindatur, caueat ſibi obſtetricans, ne partum vrgeat.

Ad lipothymias praecauendas ſitus horizontalis puerperae inprimis valet. Conducit et abdomen faſcia paululum adſtricta circumdare. Dolores poſt partum lipothymiaeque ex iis opio ſedantur. Subinde et hi dolores cum lipothymiis coniuncti atoniam vteri excipiunt, ſubinde et a ſanguine in vtero ſtagnante producuntur. p. 173.

Nunc in remedia praecipua inquiritur ab auctoribus ad cohibendam ſanguinis ex vtero profuſionem laudata. Venaeſectio nil prodeſt, imo obeſt. Obſunt pariter articulorum infernorum ligaturae. Adſtringentia interne data vaſa quidem criſpant, ſed in haemorrhagiis vterinis nimis tarde operantur. Anodyna in ſanguinis profuſionibus a ſpaſmis productis cum fructu quodam adhibita ſunt. Abdominis compreſſio, inertia vteri praeſente, conuenit. Maxime autem expedit frigida epithemata ex aqua et aceto ventri imponere, aut frigidam aquam cum acidis remixtam in vterum iniicere. In intenſa vteri poſt partum haemorrhagia adſtringentium iniectionem obſtetricantes parce commendarunt, licet vtilia ſint, hoc tamen iis obeſt, quod non ſemper in eum locum ferri poſſint, ex quo ſanguis profunditur. p. 187.

Omnium efficaciſſima ad vteri haemorrhagias medicina haec eſt, vt ſanguini erumpenti fortis obex ponatur; idque fit, ſi lintea, aut linum contortum, aceto imbutum in vteri vaginam, aut in ipſum vterum immittatur. Hoc remedio Cl. Auctor per XIII. aut XIV. annos proſpero ſemper cum ſucceſſu vſus eſt. Conſtringens humor, quo hic peſſus imbutus p. 211.

butus eſt, vterum ad contractiones concitat, vaſaque praecludit, quae haemorrhagiae anſam praebent. Tempus interea fibrae commodum ſeſe contrahendi hocque modo haemorrhagiam efficaci modo praefocandi nanciſcuntur. Nec in aliis haemorrhagiarum vteri ſpeciebus haec medicina minus valet.

p. 216. Ad vſum huius remedii vlterius confirmandum obſeruationes auctorum omnis aeui allegantur. — Haec methodus et in haemorrhagiis vteri grauiditate durante mire valet. Omnia in tali haemorrhagia eo redeunt, vt grumus ſanguinis generetur, quo vaſa reſerata praecluduntur. Hic vero grumus difficulter, ob ſanguinis aeſtum, aut tenuitatem, generatur, facile autem peſſario tali conſtringente applicato, ita vt partus, verſione foetus inſtituta, acceleratio, quod negotium ſemper difficillimum eſt, hac enchireſi ſaepius inutilis plane reddatur. Secundinis in grauiditate orificio vteri interno adhaerentibus, hi peſſuli etiam valent, ſi et vteri os iam valde diſtentum fuerit.

p. 262. Si peregrinum quoddam corpus in vtero haeret, quod ob orificii vterini conſtrictionem extrahi nequit, ad mortem auerruncandam tale peſſarium applicandum eſt. In inertia vteri et haemorrhagia ab ea producta hoc peſſarium vnicum et certiſſimum vitae conſeruandae praeſidium eſt. Quum autem talis inertia in leucophlegmaticis mulieribus, quae ſolidas partes relaxatas habent, maxime metuenda ſit, et in his hoc praeſidium praeclare valet. Valuit et hoc remedium ad haemorrhagias a graui vteri irritatione, ſpaſmis, caet. inductas. Sciſſo vteri orificio, aut lacerata vteri interna ſuperficie, multum quoque praeſidii ex hoc remedio petendum eſt.

p. 298. Sed forte a tali peſſario acido principio irritante impraegnato tanta oritur irritatio, vt inflammationis ex ea metus ſit? Minime; quum enim vi ſua conſtringente agat, haud facile fieri poteſt, vt conſtri-

ctione

ctione a parte vaſorum ſuprema verſus truncum producta ſtagnatio producatur. Nec vterina ſuffocatio a peſſarii talis vſu metuenda eſt. Hae enim ſuffocationes aut animi deliquia ſunt a ſanguinis iactura productae, aut conuulſiones, quas hae lipothymiae excipiunt, quarumque origines pariter ex ſanguinis iactura repetendae ſunt.

Sed forte ex grumo ſanguinis in vtero reſiduo p. 320. morbi? Nullo modo! Plerumque grumus poſt aliquot dies decedens albida tunica obductus eſt et interior maſſae pars tantummodo putridum odorem habet. Nec dolores, quos natura ſuo tempore ad talem grumum propellendum excitat, metuendi ſunt, quum ſalutem aegris promittant.

Si vero et a putredine ſanguinis intercepti morbus quidam metuendus eſſet, eius periculum tantum longe non eſt, quantum iſtud aeſtimandum eſt, quo ſanguinis profuſio vitae minatur.

Caeterum liber facili ſermone conſcriptus eſt, a viro quippe docto verſus, qui et in praefatione caſus quosdam peſſariorum Cl. LEROUX vſum confirmantes publici iuris fecit.

X.

Gedanken über die Hebammen und Hebammenanſtalten auf dem Lande, nebſt einem vielleicht wichtigen Anhang von der Tödtlichkeit der Fuſsgeburten und ihrer Verminderung. — Frankfurt am Mayn 1784. in 8. 83 pagg.

i. e.

De obſtetricibus et inſtitutis ad obſtetrices formandas, cum appendice de minuenda partus agripparum lethalitate.

Auctor libelli eſt BERNHARDUS CHRISTOPHORUS FAUST, medicus Rotenburgenſis. Prima cauſſa,

ſa, quod humana ſoboles degenerauerit, quodque copia illius minuatur, (hoc in Europa accidere non memini) in obſtetricibus ponitur. De inſtruendis obſtetricibus, inprimis his, quorum officium eſt ruricolarum partum adiuuare. Quilibet pagus propriam obſtetricem habeat neceſſe eſt, probam, vegetam, a praeiudiciis liberam, probe inſtructam ab obſtetricio doctore. — Quomodo variolarum inſitionem ruſticis gratam reddere valeamus. Multa hic, in iisque plura bona proferuntur.

p. 61. De lethalitate partus Agripparum minuenda. Qui mortui naſcuntur, partem XXV. omnium partu editorum efficiunt. Cauſſa non tam in morum corruptione vitaque delicata, ſed potius in obſtetricibus poſita eſt; verſio enim foetus extractioque pedibus praeuiis, quamuis et ſemper vmbilicalis funiculi quandam compreſſionem ſecum coniunctam habeat, hoc tamen non efficit, vt ex hac compreſſione ſanguinisque circulatione in foetu intercepta foetus animam emittat, quum plures infantes viuere pergant, licet et alimentum omne iis per plures dies deficiat. (hoc argumentum non quadrare videtur; foetus enim in vtero ex compreſſione funiculi vmbilicalis non ob alimenti penuriam, ſed ob quietem quandam in ſanguinis circulatione inductam, ob apoplexiam forte generatam, moritur). In foetu autem, qui poſt verſionem Agripparum partu in lucem editur, funiculi vmbilicalis compreſſio tanta non eſt, vt omnis ſanguinis communicatio ea intercipiatur, foetusque infernis articulis ad clunes vſque editis, haec compreſſio funiculi vmbilicalis demum paulo fortior fieri ſolet, ita tamen, vt foetus toto partus negotio durante tantum ſemper ſanguinis accipiat, quantum neceſſarium eſt. Quum autem in Agripparum partu ſanguinis ex foetu in matrem refluxus ob compreſſionem magis, quam affluxus, minuatur, neceſſario ſequitur, frequentes ex hoc partu mortes

mortes a ſanguinis in foetus corpore accumulatione deriuandas eſſe.

XI.

MARTINI LANGE, medicinae Doctoris Corona-Tranſylvania, rudimenta doctrinae de peſte. Viennae, apud Rud. Graeſſer. 1784. in 8. 96 pagg.

Ea, quae probatiſſimi auctores de peſte ſcripſerunt, in concinnum ſyſtematicumque ordinem digeſta hic liber continet. Peſtis Cl° Auctori eſt ſummus gradus febrium omnium malignarum, contagioſarum et epidemicarum cum bubonibus et carbunculis. Cum febre ſemper peſtis coniuncta eſt, frequentiſſime cum febre putrida neruoſa. Duplex autem in peſte febris eſt, altera a ſtimulo fermenti peſtilentialis producta, altera vero prioris effectus.

Contagium peſtis non tam efficax eſt, vt multis videbatur. A fide dignis viris Auctori narratum eſt, in altis et anterioribus aedium partibus, ipſis in domiciliis interioribus peſtiferos continentium bene perflatis nullum adeſſe contagii metum, imo obſeruatores contendunt, absque noxa domos, vbi aegri iacebant, ad diſtans intrare potuiſſe, dummodo nouo aëre domicilium renouatum fuerit, et aegros vel res infectas non tetigiſſent ipſi. — Carbunculi in epidemia Coronenſi ann. 1718. interne adeo, in veſicae vrinariae collo, immo in bubonibus ipſis, obſeruati ſunt. In eadem epidemia medicus hoc tempore ALBRICH, cuius obſeruationibus manuſcriptis noſter in hoc libro conſcribendo vſus eſt, in alio aegro ſeptem, in alio quindecim, et in infante viginti quatuor bubones obſeruauit.

Peſtis cauſſam proximam Cl. auctor in humorum corruptela ponit, ex miſerrimo vitae genere inter plebeios, penuria, immunditie, caet. exorta. Miaſma p. 25.

 peſtis

peſtis ipſi eſt tenuiſſimum alcali ſanguinis naturalem craſin diſſoluens, deſtruens eumque ad gangraenas peſſimas diſponens.

De quarantaenae noxis hac occaſione diſſeritur. Eam Tranſyluaniae plus noxae attuliſſe, quam ipſam peſtem, nulloque modo peſtilentiae arcendae ſufficere, quum infectae merces et maxima cura ſatis et penitus purgari nequeant, multique, qui quarantaenae longiſſimo tempore durante vitam ſuſtentare nequeunt, per occultos tramites cum mercibus Tranſyl-
p. 33. vaniam ingrediantur. Concludit Cl. Auctor ex eo inprimis, quod Hungaria et Tranſylvania mercibus peſte infectis clam allatis continuo abundent, *res peſte infectas nunquam inficere*, niſi cauſſae externae, aëris conſtitutio, fames, et corporum ſingularis diſpoſitio accedant. His omnibus probatur, quarantaenam ſuperfluam penitus eſſe, et ad ditandos mercatores tantum inuentam, qui lucri faciendi cauſſa ſaepe rumorem de peſte in Turcia graſſante ſpargunt, Turcis quibusdam tantum febre forte infectis, quam, licet mitiſſima ſit, tamen et hi peſtem appellant.

p. 35. Peſte in epidemia Coronenſi bis terue quidam correpti ſunt. Subinde et contagium in alios difficillime tranſit. Cl^{o} ALBRICH notante, mater peſte correpta infanti incolumi manenti vbera ſua ad mortem vſque praebuit. Immo lactens infans peſte correptus eam matri vbera praebenti non communicauit. Omnia itaque ad diſpoſitionem redeunt. Vidit RENZING, principum quorundam Turcicorum archiater, interpretem in aula Turcica, qui bis iam peſte laborauerat, quum ad latus primi Caeſaris officialis conſediſſet, in cuius gremio breui antea filia peſte affecta exſpirauerat, domum ſtatim feſtinaſſe veſtimentisque abiectis incolumem manſiſſe, ſeruum vero, qui veſtimentis abiectis vſus fuerat, peſte correptum breui periiſſe.

In

In Turcia brumali frigore ingruente peſtem eua- p. 45. neſcere, RENZING ex propria experientia adſerit. Subinde tamen et calidiſſima aeſtate exiſtente mitior, quam hyeme, fuit. Cum aliis morbis raro peſtis complicatur.

Nunc peſtis decurſus exponitur, primum gene- p. 48. ralis, deinde ſpecialis. Diuiditur a doctiſſimo viro peſtis in *inflammatoriam*, cum pulſu forti, inflammatorio ſanguine, bubonibus inflammatis, dolentibus, rubris; *putridam*, cum ſubita virium proſtratione, calore mordace, pulſui non reſpondente, manuum tremore, anxietate, petechiis, vibicibus, haemorrhagiis, bubonibus et carbunculis nigreſcentibus, ad gangraenam facilibus; *bilioſam*, cum bilis vomitu, hypochondriis tenſis, diarrhoea bilioſa foetida; et *neruoſam*, cum maxima neruorum perturbatione, calore miti, vt in ſanis, ſiti pauca, lingua ſicca, demum nigra, viribus primum integris, dein ſubito proſtratis, calore interno vrente, vomitibus aeruginoſis, atris, animi abiectionibus, deliquiis, conuulſionibus, caet.

Peſtes et inter ſe complicantur. Tales compli- p. 55. cationes ſunt *peſtis inflammatorio-bilioſa*, *bilioſo-putrida*, *inflammatorio-putrida*, *bilioſo-neruoſa et neruoſo-putrida*, quae omnium periculoſiſſima eſt et frequentiſſima.

In epidemia Coronenſi 1718. malum non ſem- p. 66. per fuit, ſi fuſci aut cinerei bubones eſſent, aut ſi buboni carbunculus inſideret. In eadem epidemia femina conualuit, in cuius corpore bubones, carbunculi et vibices fuere.

De prophylaxi peſtis. Walachi peſtem, quam- p. 72. vis ad eam arcendam maxima cura adhiberetur, in Tranſyluaniam ſaepius intulerunt, per occultas vias terram ingreſſi.

Peſte autem iam vere praeſente in terra quadam, prophylaxis eo redit, vt 1) infecti et ſuſpecti

in noſodochia tranſportentur, non vero ampla, ſed ex ſingulis contabernaculis exſtructa, 2) vt munditiei publicae priuataeque cura, quantum fieri poteſt, maxima geratur, 3) vt omnes publici conuentus hominum interdicantur. 4) vt medicis clericisque mandetur, ne aegros ante ientaculum ſumtum, nec ſudante corpore adeant. Sanus manſit in epidemia Coronenſi 1718. chirurgus, qui radicem Zedoariae maſticauit et veſtes ſuas ſaepe ſulphuris fumo infecit.

p. 76. Omnibus prophylacticis medicinis ad peſtem laudatis Peruuianum corticem, acetum et citri ſuccum Cl. Auctor praefert.

p. 80. Venam ſecare, plethorico corpore, aetate aegri vegeta et peſte inflammatoria exiſtente, expedit; plethora et inflammatoria diatheſi abſentibus, venaeſectio ſemper nocet. Magnum remedium poſt venaeſectionem ipecacuanha eſt, ita vt ALBRICH in epidemia 1718. memorabiles caſus notauerit, in quibus, poſt emetica ſtatim propinata et poſtea data lenia ſudorifera, morbus in initio praefocatus eſt, mortisque inſtans periculum integerrima valetudo excepit. Ad reliquias peſtis ex ſanguine pellendas bezoardica laudantur, aliaque calida, diluentibus interpoſitis.

p. 88. In putrida peſte antiſeptica valentiora maxime commendantur, in neruoſa autem vires erigentia, camphora, vinum.

XII.

Dr. CHRISTOPH FRIEDRICH ELSNER, *Kr. Phyſ. zu Bartenſtein, mediciniſch-gerichtliche Bibliothek. Erſter Band. Erſtes Stück. Königsberg 1784. in 8. 95 pagg.*

i. e.

Bibliotheca medico-forenſis, edita a Cl° CHR. FR. ELSNER.

Inſtituti rationem paucis exponamus. Quum in medicinae vniuerſalis bibliotheca omnia compre- hendi

hendi vix queant, laudabilique iam inſtituto RICHTERUS, V. Ill. chirurgicam, MURRAYUS, V. Ill. medico-practicam bibliothecam ediderint, quibus vniuerſae ſcientiae, quam ſibi propoſuerunt, ambitus facilius comprehendi poſſit, Cl. Auctor labores ſuos forenſi medicinae, eique illius parti, quae curam magiſtratus circa valetudinem ciuium ſpectat, potiſſimum dicauit.

In ipſis cenſuris librorum argumenta, vtplurimum ſine laude et ſine vituperio, prolixe exponuntur. In prima autem hac primi voluminis parte ſequentes libri recenſentur: MAYERI deſcriptio anatomica totius corporis humani, cum tab. aen. HALLERI praelectiones ad medicinam forenſem. PYL ſcripta et obſeruata ex medicina forenſi. BUCHHOLZ ſymbolae et obſeruata ad medicinam forenſem et politiam medicam. SCHERF promtuarium politiae medicae. HUNCZOVSKY obſeruationes medico-chirurgicae inprimis de noſocomiis, in itineribus collectae. PLENCKII elementa medicinae et chirurgiae forenſis. METZGERI obſeruationes medico-forenſes. Eiusdem ſcripta medica. Qui omnes libri germanico idiomate conſcripti ſunt. METZGERI progr. de rene rupto obſeruatio. Eiusdem progr. de pulmone dextro ante ſiniſtrum reſpirante, qui libelli academici latini ſunt.

XIII.

Taſchenbuch für Freunde der Geſundheit auf das Jahr MDCCLXXXIV. — Berlin, bey Nicolai 1784. in 8. pagg. 284.

i. e.

Promtuarium in vſum eorum, qui ſani eſſe amant.

Calendarium in medicorum et eorum, qui medicinam amant, vſum conditum eſt. Menſibus

 ſingu-

ſingularia nomina data ſunt. Sic Ianuarius collectorum, Auguſtus agyrtarum menſis, caet. nomen accepit.

Prima diſſertatione *de puellis educandis conſilia medica* traduntur. Difficile ſemper matri eſſe liberos ſuos proprio lacte nutrire, et ad id medici conſilio ſemper opus eſſe, (quod nos haud putamus, quum plurimae mulieres, quae propria vbera pueris ſuis praebent, ex ruſtica inprimis gente, medico non indigeant, neque papillarum a ſuctione laeſio tanti eſt, vt ex ea medicum ſemper neceſſarium eſſe putemus, quum ad eam auertendam frumenti ſpiritus iis mature applicatus plane ſufficiat). Tempus pueris ablactandis maxime opportunum hoc eſſe, vt dentium primum eruptio exſpectetur, quibus ſolida aliaque alimenta manducare poſſint. (Et haec regula incerta eſt, quum dentes, quibus cibi manducantur, molares videlicet, nimis ſero erumpant; ablactandi tamen, ſi vnquam fieri poteſt, pueri haud ſunt, niſi dentibus inciſoribus conſpicuis). Solani tuberoſi radices, ceu alimentum primae aetati puerorum conueniens, laudantur (nos de iis, ſi ſolum paene ex iis alimentum eſſet, vt in pauperibus ſaepe fit, peſſima ſymptomata, omnesque ex pituita tenaci, acri, et verminoſorum morbos obſeruauimus). Saccharum a BOERHAAVIO adeo laudatum merito damnatur (inprimis, vbi pane aceſcente mixtum fuerit; tale enim alimentum, copioſe datum, obſtructiones glandularum infimi ventris, fida et copioſa obſeruatione teſte, *ſemper* producit).

p. 24. *De virili impotentia, ceu diuortii cauſſa.* Boruſſica lege et his diuortia denegantur, qui matrimonio durante ad coëundum et ad generandam ſobolem inepti euaſerunt. De his, quae frigidam venerem reddunt et ad coëundum viros inprimis ineptos reddere dicuntur, plura expoſita ſunt, nec non de coitu in dubio impotentiae caſu, coram iudicibus teſtibusque

busque in Gallia olim publice celebrato. Simul et de his agitur, quae frigidam venerem excitare dicuntur.

Qua ratione medici abſentes in conſilium vocandi ſint, medicusque in morbum interrogando inquirere debeat. Haec ſatis bene, verum, vt nos putamus, nimis fuſe dicta ſunt. p. 73.

De caffea, ex MURRAYI apparatu medicaminum in vernaculam translata tractatio. p. 104.

Num diabolus, cum ſagis coitu celebrato, ſobolem progenerare poſſit, ex IOANNIS WOLFII diſſertatione Viteb. 1667. Lepida tractatio eſt, quantaeque tenebrae humana capita eo tempore obnubilauerint, manifeſte probans. Virile ſemen diabolo denegatur, coitumque foecundum ab eo tunc demum celebrari poſſe docte demonſtratur, ſi viro cuidam ſemen furto abſtulerit. Tunc monſtra naſci, quae omnia pro diaboli ſobole habentur. p. 122.

De vaporum balneis. Machina ad ea deſcribitur a MARKARDO inuenta, cuius et in commentariis noſtris mentio facta eſt. De morbis, qui vaporibus huius machinae ope corpori aduectis ſanati ſunt. Alia machina eundem in finem a DOMINICELLIO inuenta deſcribitur, ſimulque de Ruſſorum methodo balnea adhibendi agitur. p. 141.

De febre. Laudes febris primum, poſtea vituperia traduntur. Febris ſymptomata, ſigna, diuiſiones. De cauſſis febrium, inprimis earum, quae a retropulſis materiis morbidis productae ſunt, vbi ſimul noxae medicamentorum repellentium in cutaneis morbis bene exponuntur. De biliofis febribus aliisque earum generibus et febrium criſi. p. 186.

De medico ſui ipſius, optimo medico. Diaeteticae regulae ad ſanitatem conſeruandam traduntur. p. 242.

Liber non male, nec ſine omni ingenio conſcriptus eſt, ita vt merito ſperemus, fore, vt a pluribus legatur. Quum autem tales inprimis libri, decennii

noſtri ſingulari genio, cum auiditate quadam a plurimis petantur, qui veram doctrinam reſpuunt, et delectari amant, optandum eſſet, vt argumenti amoena vtilique ſimul magis varietate gauderet.

XIV.

Des Freyherrn GERHARD *van* SWIETEN *Commentarien über die Boerhaaviſchen Aphoriſmen von Kenntniſs und Heilart der Krankheiten. Erſter Theil, in einen nutzbaren Auszug zuſammengebracht und mit Wahrnehmungen und Entdeckungen bereichert von* HEINRICH TABOR. *M. D. Frankfurt am Mayn, bey Garbe, 1783. in 8. 343 pagg.*

i. e.

GERH. van SWIETEN commentarii in BOERHAVII aphoriſmos de cognoſcendis et curandis morbis, in epitomen redacti, cum obſeruationibus editoris. Tom. I.

Hoc tomo aphoriſmi vſque ad 557. comprehenduntur. Epitomatoris vicibus ſatis bene Noſter functus eſſe videtur, omnibus verboſis nimis diligenter praeciſis. In propriis ſuis annotationibus prae aliis hae eminent:

p. 29. De acidi victus potusque diu adhibiti noxis putridisque morbis inde natis exempla plura traduntur. Relatiua ſalium putredini fauens aduerſaque vis ex PERCIVAL aliisque, occaſione morborum ex alcali ſpontaneo exponitur.

p. 92. In vulneribus cum ſubſtantiae iactura partium neruearum regenerationem in dubium adhuc vocandam eſſe. Methodus Cl[i] LOUIS labia leporina ſanandi exponitur. De ſanguine ex arteriis profluente cohibendo chirurgorum recentia experimenta (non vero omnia) traduntur.

Et

Et aphoriſmis de inteſtinorum vulneribus curandis ex ſcriptoribus chirurgicis quaedam addita ſunt, omiſſis inter alia et regulis ſcitu perquam neceſſariis a RICHTERO, V. III. traditis. De oſſium regeneratione, modoque, quo fracta coaleſcant, quaedam ex recentiorum libris excerpta ſunt. BOERHAAVII et SWIETENII de inflammationis originibus dogmata nullis plane additamentis illuſtrata ſunt; neque celeberrimi pulueris ad cancrum, a chirurgo Anglo GUY inuenti, mentio iniicitur, quamuis plura ſpecifica ad cancrum recentioribus temporibus laudata recenſeantur. p. 160. p. 233.

Libro materiae medicae ea pars annexa eſt, quae medicamenta ad morbos, qui in hoc tomo pertractantur, laudata, continet. Caeterum in hoc huius libri volumine obſeruationes nouaque inuenta (ſua?), quorum in titulo mentionem editor facit, non inuenimus. p. 245.

XV.

Obſeruata quaedam medica. Auctore IONA IEITTELES, Hebraeo, Med. Dr. — Pragae, Viennae et Lipſiae 1783. in 8. 30 pagg.

De ptyaliſmo in plurimis morbis excitando primum Auctor agit. Copioſas inprimis alui profuſiones ptyaliſmo excitato ſedari, ipſeque Auctor copioſa praxi edoctus eſt, morbos varii generis, praecipue capitis, oculorum, aurium hac methodo curatos eſſe.

Scarificationem cruentam in putridis petechiis adhibuit. Naribus Aegyptiorum more ſcarificatis pertinaciſſimos capitis morbos a ſuppreſſa ſanguinis ex naribus profuſione ortos ſanauit.

Mali hypochondriaci iſtam diuiſionem, qua hoc malum ſine materia, aut cum materia dicitur, imaginariam et inutilem eſſe.

Haemoptyſeos, lumbrico vomitu reddito perſanatae, hiſtoria.

Ad ſcrofulas ex tinea aut ſcabie retrograda ortas optima medicina raphani ruſticani conſerua cum melle et fonticuli ſunt.

De hirudinibus frequentius in praxi adhibendis. Cucurbitas ſiccas mammis applicatas haemorrhoidum profuſionem nimiam ſedare.

Cantharidum puluerem interne ſumtum ſterilitatem hoc modo producere, vt aucto humorum ad partes verendas affluxu, parcam quidem, verum continuam ſanguinis profuſionem excitet.

Ad omnes morbos ex lympha coagulata ortos medicamentum ex vino Rhenano et ſpiritu ſalis ammoniaci mire conferre, arthriticos inprimis morbos eo ſanari. Cicutam recenter cum ſaccharo in conſeruae formam tritam, aliasque herbas cum ſaccharo hoc modo praeparatas omnibus aliis earum praeparationibus praeferendas eſſe.

XVI.

IACOBI CHRISTOPHORI FIDLER tractatus de febribus intermittentibus. Pragae et Viennae 1784. in 8. 85 pagg.

Rationes, quare febres intermittentes tam multis lethiferae ſint tantosque morbos poſt ſe trahant, diſſertationis auctor in peruerſa earum diuiſione quaerit.

Diuiduntur ab Auctore febres intermittentes in neruoſas, inflammatorias, pituitoſas, bilioſas et putridas.

p. 14. Neruoſa febris intermittens Auctori eſt exagitatio cordis vaſorumque a ſtimulo immateriali vel materiali, ſed minore, quam vt in aliis ſubiectis febrem communiter excitare valeret, neruos exagitante orta. Sequuntur cauſſae et vlterior morbi enarratio,

tio, ex quibus omnibus patet, ſcholae Pragenſis (diſſertatio enim inauguralis haec ſcriptio eſſe videtur, ſub auſpiciis facultatis medicae edita) febrem intermittentem neruoſam longe aliam eſſe, quam aliorum medicorum. In medendi methodo omnia ſic disiecta confuſaque ſunt, vt nullo modo videamus, qua ratione hic libellus ad ſanandas peſſimas haſce febres intermittentes aliquid conferre poſſit.

Febrium intermittentium inflammatoriarum duae ſpecies ſtatuuntur, altera a plethora, altera vero a ſpiſſitudine lymphae coagulabilis pendens. In cauſſis epidemici ſtatus, qui ad has febres plurimum confert, nulla prorſus mentio iniicitur.

Cl. SARCONE febrem intermittentem pituitoſam p. 45. ſub nomine febris glutinoſae gaſtricae, et GRANT ſub nomine ſynochi imputris deſcripſiſſe aſſeritur. Febris flaua Americana, PRINGLII marſh-fever pro febre intermittente putrida habetur.

XVII.

Dr. M. I. MARX — *Anweiſung, wie man Blatternpatienten auf eine einfache und wenig koſtbare Art behandeln ſoll. Hannover 1784. in 8. 32 pagg.*

i. e.

De aegris variolis laborantibus ſimplici modo tractandis, auctore Cl° MARX.

Princeps medicina, quam Cl. Auctor commendat, tartarus vomitorius eſt, quem et omnia remedia reſpuentes infantes libenter ſumunt, tantaeque efficaciae Noſter deprehendit, vt eum in omnibus infantilibus morbis, in morbis adeo a dentitionis difficilis irritatione, ceu ſummam medicinam commendet.

Ad

p. 13. Ad eruptiuam febrem florum ſambuci decoctum commendatur. (quod nullo modo improbamus, merito tamen tam forte decoctum, quale Noſter commendat, nimii aeſtus ab eo producti ſuſpicionem mouet). Frigidi regiminis laudes. Venaeſectionem adultis maxime, paruulis raro conuenire, illique in paruulis hirudines praeferendas eſſe.

Tartarus emeticus non tam ad vomitus concitandos, quam ad ſudores prouocandos, doſi parciſſima, febre eruptiua durante, laudatur; febre autem debiliore exiſtente, cum pulſu humili vini quid aegris cum ſambuci infuſo concedendum eſt. Variolis putridis exiſtentibus peruuiani corticis vſus valde commendatur (cui tamen TISSOTUS acidorum mineralium vſum longe praefert). Ialappa purgantis loco, tempore, quo variolae decidunt, commendatur. (Facilis ab ea nimia purgatio eſt, quam ob cauſſam mitiorem medicinam ſeligere expedit. Conuenit pueris, et delicatioribus, maxime pruna eſſe, cum quibus ſennae folia cocta ſint).

XVIII.

Mediciniſche Ortbeſchreibung des Städtchens Hoya, von IOH. GEORG DAVID ELLISEN. — *Bremen 1783. in 8. 4 pl.*

i. e.

Topographia medica oppidi Hoya. —

p. 30. Varioloſa epidemia ann. 1772—1773. peſſimae indolis fuit. Inſitionem et hodie incolae renuunt. Et ſcarlatina febris maligniſſima ann. 1770. graſſata eſt. Humidus aër, ceu malignitatis cauſſa, accuſatur. Morbus ſpaſmodico conuulſiuus vagus, (Raphania Lin.) in hoc oppidulo non graſſatus eſt — Anno 1758. nati in oppido 35. mortui vero 164. ſunt. Ratio tantae mortalitatis in belli calamitatibus ſita eſt. —

XIX.

XIX.

Verſuch einer natürlichen Geſchichte des Boraxes und ſeiner Beſtandtheile, wie auch von deſſen mediciniſchen und chymiſchen Gebrauch, von Dr. GEORG FRIEDRICH CHRISTIAN FUCHS, *öffentlichen Lehrer hieſiger Akademie* (cuius?). *Iena, bey Croeker. 1784. in 8. 96 pagg.*

i. e.

Hiſtoriae naturalis boracis partiumque illius conſtitutiuarum, nec non de illius medico chymicoque vſu tentamen, auctore G. F. C. FUCHS, M. D. —

Libellus a Germano profeſſore tam parum germanice conſcriptus eſt, vt a diſcipulo quodam, non a profeſſore, eum profectum eſſe putes. Ea, quae quidam de borace dixerunt, nullo auctorum ſelectu habito congeſta, et in ordinem quendam, non ſemper optimum, diſpoſita continet. — Chryſocolla veterum medicorum longe aliud naturale corpus certe fuit, quam borax recentiorum, argumentumque Auctoris p. 6. quod crudus borax ad nos non transmittatur, ſed ſemper arte quadam praeparatus, raffinationem vocant, ad boracis antiquitatem probandam ne minime quidem quadrat. Ad boracis antiquitates accuratius explicandas opus inprimis eſt, vt Arabum libri, principes in hac re fontes, diligenter euoluantur, quos autem Noſter, vnico *Serapione* excepto, penitus ignoraſſe videtur. Omnia, quae in primo capite de nomine et hiſtoria naturali boracis dicta ſunt, tam confuſe, peſſimis, malis bonisque mire lepideque mixtis, prolata ſunt, vt, quis veram Cl. Auctoris mentem eruat, magnus mihi Apollo videatur.

Chemica boracis analyſis altero capite comprehenditur. Multa, ſed confuſe, absque ſana ratione collecta ſunt. p. 25.

Tertio

p. 81. Tertio capite de medico et *chiemico* (ſic ſcribere viro placet, profeſſori medico, in celebri Germanorum academia medicinam publice docenti!) boracis vſu agitur. Formulas ſine vllo ſelectu congeſtas continet, ſatis probantes, quam exigua iudicii vis caro auctoris capiti inſideat; ſed et auri in luto particulam, nempe STARCKII, profeſſoris in Ienenſi academia celeberrimi, viri *vere docti*, de boracis vſu quasdam obſeruationes, quas Auctori beneuole communicauit.

p. 89. Dolores parturientium penitus euanidos boracis vſu ſaepius Cl. STARKE ſuſcitauit; ſaepius eadem medicina debilibus robur dedit, ſpaſmos intenſos mira vi ſopiit, ſed et vterum tam vehementer irritauit, vt fortiori eius contractione in ea contenta citius expellerentur. Secundinas mira vi expulit; inflammationes nunquam concitauit, ſed placidam tranquillitatem induxit, *irritabilitatem in ſyſtemate ſanguineo* (quid haec eſt, quam νεολόγοι quidam ſomniarunt?) etiam ſat longo poſt partum ſpatio praeterlapſo ſedauit.

Lochia intercepta menſtruumque fluxum difficilem propulit cum nitro et magneſia (hanc puerperis ego non exhiberem, ob putredinis vim metuendam, quam intenſe auget) datus. Spaſmos egregie ſopiit cum opio remixtus. Oris vlcera, aphthas, ſcorbutum, gingiuarum lapſum, apprime ſanat, conducit et in ſaliuatione nimia a mercurio inducta. Cutem a maculis, excreſcentiis, naeuis purgat, illi nitorem conciliat, lentiginesque cum roſarum aqua dilutus delet.

XX.

Journal de médecine, chirurgie et pharmacie, tome LIX. pagg. 576. et LX. 1783. a Paris. 624 pagg.

i. e.

Diarium ad medicinam, chirurgiam, pharmaciam, caet.

Ianuarius.

Obſeruatio de neruorum quodam morbo interno florum Zinci vſu perſanato, auctore MORIN. Palpitationes in epigaſtrio cum articulorum conuulſione Zinci floribus ad XXXVI. grana tandem per diem ſumtis ſanatae ſunt.

WANTERS *de ſymptomatibus ſuppreſſos ſudores excipientibus.* Virgini XLIV. annorum quarto aetatis anno ſudores copioſi ſubito et vehementer ſuppreſſi ſunt. Ex hoc tempore ea ne minimum ſudorem profudit, ſymptomatibus a neruorum ſenſibilitate pendentibus perpetuo affecta.

De retentione vrinae ab horizontali vteri ad anteriorem peluis diametrum ſitu producta obſeruatio Cl. DESGRANGES. Retroverſionem vteri vocat, vteri fundo ad oſſis pubis internam ſuperficiem, ore vero verſus os ſacrum poſito. Concinna enchireſi, ſubinde et peſſariis inductis, vtero naturalis ſuus ſitus reddendus eſt.

VANDORPE *annotata circa humorum in infimo ventre profuſiones poſt viſcerum laeſiones a cauſſis externis.* p. 38.
Sanguis effuſus in ichorem putridum, mortiferum mutatur, inciſione in parte maxime decliui inſtituta ſtatim euacuandum. Perniciofae maxime bilis profuſiones ſunt. Incidit aliquando Auctor talem tumorem, ex quo cum aegrae leuamine, adiuuante ſola inteſtinorum actione, X. ichoris librae euacuatae ſunt.

Epito-

Epitome diſſertationis de liquiritiae extractis Cl. DE LA PLANCHE. In Hiſpania, vbi radices liquiritiae copioſe proueniunt, hae ad ſuccum ex iis parandum non mundantur. Calor nimius in ſucco coquendo adhibetur, nigerque eius color nimii caloris ſemper indicium eſt. Cuprum etiam copioſum, magnis ſubinde cupri particulis a cortinis deraſis, in hoc ſucco continetur.

Epitome primae menſis facultatis medicae Pariſinae auctore LEROUX DES TILLETS. Febres tertianae ſyncopales nouembri menſe 1782. frequentiſſimae fuerunt. Optime ad eas valuit diacodii ſyrupus cum liquore anodyno minerali Hoffmanni. Alcali minerale ventriculus non tulit. Sequuntur obſeruationes meteorologicae facultatis medicae Pariſinae, necnon Cl. BOUCHERI.

In *nouis litterariis* de magnetiſmo animali MESMERI quaedam dicuntur.

Februarius.

Coaca oracula Cl. AUBRY excerpta vberius, ſequentes autem proprias obſeruationes continet.

p. 123. DE VAULEVIER *obſeruatio de puella, cui vigeſimo aetatis anno poſt narium haemorrhagiam et menſium profluuium interceptum barba erupit.* Facies ſpiſſa, prolixa, nigerrima barba, vt in maxime barbatis, dehoneſtata eſt. Cutem mundam a pilis remedium iſtud celebre ex calce viua et auripigmento non reddidit. A fluxu menſtruo intercepto, praeter barbam, nulla alia ſymptomata.

p. 128. AUBAN *obſeruatio de febre quadam miliari.* Eruptionem exanthematum ſordes in primis viis interceperant. Poſt purgantem demum medicinam datam miliaria cum leuamine eruperunt.

MICHEL *de vlceribus ſcrophuloſis cum pollicis carie.* Interne aperientia data ſunt, vulneribus autem mercuriale vnguentum impoſitum. Separatis carioſis phalangibus vlcus ſanatum eſt.

MICHEL *obſeruatio de fractura completa et complicata cruris cum vulnere et carie.*

MERILLE *obſeruatio de ſingulari quodam combuſtionis effectu.* Ab igne admodum modico totum virginis admodum obeſae, vino vinique ſpiritui deditae, corpus combuſtum ita eſt, vt praeter cineres et oſſa quaedam de corpore nihil ſupereſſet. p. 140.

Litterae Cl. DESTREMEAU. Pompoſo ſermone nouum inſtrumentum a Cl° BIANCHI inuentum deſcribitur ad lac ex mammis infarctis euacuandum papillasque melius formandas. Eſt antliae ſpecies. (Talem STEINIUS, V. Ill. ante aliquot annos iam inuenit, ſed talia neſciunt plerumque Galli, rerum Germaniae medicarum indoctiſſimi). p. 142.

Epitome primae menſis facultatis medicae Pariſinae ann. 1783. et tabulae meteorologicae. p. 145.

Martius.

BAUMES *obſeruatio de febre quartana a febris miliaris miaſmate inducta.* Morbus potius febris acuta fuit in quartanam terminata. Durante quartana, aegra verſus febrilis acceſſus finem foetum felici partu edidit. Lochia, lac, omnia naturalia, febre permanente. Lente reſoluentium medicinarum vſu morbus poſtea ad tempus ſuffocatus eſt, ſed rediit. Tandem exanthemata miliaria alba apparuere, et cum cutis deſquamatione ſimul acceſſus febriles diſparuere. Morbum a cachexia lactea Auctor deriuat, miliare exanthema pro criſi morbi habens. Talem criſin ſe et in iuuene obſeruaſſe aſſerit febre ad hecticam declinante correpto. Vnica tamen poſt pruritum in cute puſtula erupit, eaque morbus ſublatus eſt. Eodem tempore pleuritides inflammatoriae et putridae graſſatae ſunt, quarum frequens comes venenum morbi miliaris eſt. p. 225.

GONDINET *de febre intermittente tertiana duplicata locali, quae quarto demum die continuae febris characterem aſſumſit.* Vir hemicraniae antea ob- p. 232.

noxius oculi dolore intenſiſſimo, neruoſo, correptus eſt. Is dolor demum poſt varia incaſſum adhibita auxilia typum febris intermittentis tertianae duplicatae localis aſſumſit. Horroris in quouis acceſſu primum ſenſus in occipite, poſtea oculi affecti rubor et dolor. Quatuor elapſis horis, dolor ſenſim mitior factus eſt, muco copioſo e naribus profluente. Cortice Peruuiano cum antiſpaſmodicis iuncto morbus feliciter profligatus eſt.

p.239. PISSIER *obſeruationes de differenti ſitu, quam inferior oſſis fracti pars aſſumere poteſt, et de optimo membrorum fractorum, partibus fractis recte diſpoſitis, ſitu.* Quatuor in oſſibus cylindricis fracturarum auctor ſpecies aſſumit, quoad ſitum inferioris fracti oſſis partis, anteriorem videlicet, poſteriorem et duas laterales. Situs fracti membri talis, in quo omnes muſculi maxime relaxati ſunt, bonus quidem eſt, ſed non in omnibus caſibus, ſiniſtro v. g. femore ad partem lateralem externam fracto, quadrat.

p.246. BARRIERE *obſeruatio de indigeſtione equorum, quam meteoriſmus ſequitur, inteſtinorum punctura ſanata.* Acu punctoria *(trocar)* auctor equi, a meteoriſmo ad extrema redacti, latus perforauit ad inteſtini coeci baſin. Aëris copia inſignis exiit. Oedematoſus partium tumor natus inde eſt ab aëre in tela celluloſa effuſo pendens. Vlcus demum in loco vulnerato exortum eſt, hoc vero conſolidato, equus perfecte conualuit. Additae ſunt his obſeruationibus annotationes HUSARDI.

DE LUNEL *tractatio de emetico aut ſale antimoniato.* Ex vitro antimonii tartarum emeticum parandum eſſe, ſed dephlogiſticato, docet. Haec dephlogiſticatio peragitur mixtione vitri antimonii cum oleo vitrioli, quod ſub igne fortiori, ceu ſulphuris acidum, decedit.

Apri-

Aprilis.

BONNEL DE LA BRAGERESSE *epiſtola de pulſatillae in herpete vſu.* Anemone pratenſis LINNEI eſt, ex cuius floribus extractum paratur, quod aegris cum ſaccharo remixtum exhibetur. Doſis ad XV. grana eſt. Mire ad herpetem valet, ſed in eius vſu perſiſtendum eſt.

DE LA ROBERDIERE *epiſtola de emolumentis et detrimentis lactatus materni.* Hic de emolumentis tantum agitur; detrimenta ſequentur. p. 331.

DESGRANGES *epiſtola conſultatoria de matricis deſcenſu.* Vteri oris labium anterius ſimul praeter naturam prolongatum erat. Peſſaria nihil praeſtiterunt. Num orificii vterini portionem prominentem cultro reſcindere expediat.

BARRIER *obſeruatio de veneficio per arſenicum, et quantum periculum ex formulis medicis ſubinde ſit, quae venenum quoddam pro baſi habent.* Vino arſenici ſolutio ex improuiſo infuſa fuit. Lacte demum et bezoardico minerali, quos hoc venenum laeſerat, ſanati ſunt. p. 353.

Noua methodus aetherem vitriolicum acquirendi, auctore DE LA PLANCHE. p. 358.

Maius.

DE LA ROBERDIERE *epiſtola de emolumentis et detrimentis lactatus materni continuatur.* Morbi, qui lactationem impediunt, recenſentur. Feminae nimis delicatae, acrimonia humorum laborantes, grauidae, morbis acutis et diuturnis omnis generis affectae, infantes ſuos lactare non debent. p. 406.

LEMONNIER *obſeruatio de eclampſia.* Puer duorum annorum iam ſenſuum omnium vſum amiſerat, et paulo poſt mortuus eſt. Cadauere inciſo, in ventriculo vaſorum infarctus, in duodeno aſcaris lumbricoides adhuc viuens, hepar duris tuberculis obſitum, dura mater cranio vehementer adhaerens reperta ſunt. p. 421.

p. 425. DESGRANGES *obſeruatio de conuulſionaria Lugdunenſi pro ſancta habita, quae per ſeptem annos ſine omni victu vixiſſe dicebatur.* Virgo laborum omnium ſummo taedio capta ira aliquando exagitata ſenſuum expers concidit. Poſtea menſes intercepti illi ſunt. Ob ventris tumorem pro grauida habita delubra ſanctorumque altaria frequenter adiit ob pigritiem, vel, vt ipſa aiebat, vt querelas ſuas ob pudicitiam et caſtitatem ſuam in dubium vocatam coram Deo effunderet. Tandem abſtinentiam perfectam ſimulauit, et pro ſancta habita, ad lubitum in conuulſiones incidit. Poſt mortem inuentum eſt, ſanctam hanc abdomen arte pinguefactum geſtaſſe. Mortua autem eſt ex pulmonum vomica.

p. 433. MICHEL *obſeruatio de capitis vulnere cum carie ſicca.* — *Einsdem obſeruatio de cruris completa fractura cum vulnere et conuulſionibus complicata et de remediis, quae ad accidentia profliganda adhibita ſunt.*

IEZE *de olei nucum vſu ad oculorum leucomata maculasue.*

MURAIRE *obſeruatio de ſingulari quodam combuſtionis effectu.* Et in hac obeſa potuique dedita femina totum corpus in cineres mutatum eſt, vicinis corpori partibus ab igne penitus illaeſis.

Iunius.

p. 506. DOMINICI CIRILLI *de modo vnguentum ex mercurio ſublimato corroſiuo in morbis venereis et aliis morbis curandis adhibendi, qui ſaepe optimis remediis reſiſtunt.* Mercurium ſublimatum, ad dira eius vſum ſaepe excipientia ſymptomata arcenda, cum opio coniunxit. Quum autem et hac miſcela venenum omni periculo non careret, mercurium ſublimatum in vnguenti forma cum axungia porcina adhibuit. Vſus eſt auctor cum optimo ſucceſſu vnguento in his, qui venereo articulorum dolore laborabant. Idem vnguentum ad ophthalmias admodum rebelles in valde ſenibus, falſas exoſtoſes, iſchiadicum malum, cum ſuc-

ſucceſſu adhibuit. Vtitur autem vnguento mercuriali in malo iſchiadico a quauis cauſſa inducto.

BAUMES *epiſtola ad* MORINUM *de medicis florum Zinci virtutibus.* Innocua maxime medicina eſt, ad conuulſiones infantum ſpecifica. Ea in puella conuulſionibus laborante, ad quas helmintochordon herba non valuerat, nec non in muliere admodum hyſterica, ſanitatem reſtituit. p. 527.

MORINUS in epiſtola lacrymam vitium, ceu depilatorium, commendat ex PLINIO.

PASCAL *de metaſtaſi quadam poſt variolas.* Dolore puella correpta eſt in femoris articulo pedis motum impoſſibilem reddente. Tumor femoris ingens, caput eius luxatum, corpus atrophicum. Tumor inciſus eſt. Multa ichoroſa continuit. Sanatum vulnus eſt, ſed aegra clauda remanſit. p. 538.

Tomo LX. haec continentur: T. LX.

Iulius.

SIBLOT *de taenia quadam.* Conuulſiones cum internorum ſenſuum obnubilatione produxit. Expulſa medicina ex rheo et mercurio dulci eſt. p. 22.

DE ROSIERS *tractatio de medica electricitate, qua ratione et experientia boni effectus commotionis et ſcintillarum electricarum in rheumatiſmo et paralyſi probantur.* Nil mali a forti et diuturna commotione ope machinae electricae producta ſequi ex *vnico* adducto caſu probare adnititur auctor, eamque multum boni in violentiſſimo rheumatiſmo a transſpiratione ſuppreſſa inducto praeſtare ex alio caſu, pariter *vnico*, probat.

LE THUAL *de lactis coagulis et glandularum infarctu.* Acidum gas lac reſoluere, adeoque, ſi lympham ſtagnantem fluidam reddere velis, illam acido impraegnandam eſſe adſeritur. p. 35.

GOIRAND *obſeruatio de vulnere carpi a ſclopeto inducto.* Ad carpum vſque omnes partes globi vis

ſecum rapuit. Metacarpi et carpi oſſa reſidua valde contuſa. Arteriae laceratae. Vulnus tandem coaluit poſt cariem, et conuulſiones, ad quas ſcarabei minoris domeſtici ſpadicei *(kakerlaque)* (ſine dubio *Blattae orientalis* LINN.) ſuccum cum vini aut ſacchari ſpiritu adhibuit.

p. 49. BERNARD *epiſtola de guttis anodynis abbatis* ROUSSEAU. Opium eſt fermentatione cum aqua ſolutum.

Auguſtus.

p. 113. DUPLAN *obſeruatio de pectoris hydrope.* Morbum primum (vt ſaepe accidere ſolet) pro catarrhali auctor habuit. Poſtea inſigni pectoris oppreſſione cum tuſſi et orthopnoea aeger laborauit, tandemque in abdominalem hydropem incidit. Morbus ſanatus, leuatus ſaltim maxime eſt purgantium et diureticorum vſu. (Sed dubitamus de eo, quod pectoris hydrops fuerit).

p. 120. BRILLOUET *de variolis inſitis, ſumme confluentibus, cum morbillis complicatis obſeruatio.* Die duodecimo variolae poſt mala ſymptomata, decimo tertio vero morbilli tunc graſſantes, poſt peſſima ſymptomata apparuere. Tribus exactis vero diebus cutis a morbillis iam libera fuit. Poſtea demum variolae apparuerunt copioſiſſimae, maxime confluentes. Putrida ſuppuratoria febre acidis mineralibus, caet. debellata, omnia optime ſucceſſerunt. (Nos caſum vidimus ab hoc non penitus abludentem, ſed funeſtum, nempe variolarum inſitarum, quas naturales ſuperuenere. Quum naturales iam erupiſſent variolae, noua eruptio a veneno arte inducto *manifeſte* percipi poterat. Sed variolae verrucoſae ex iisque demum mors!)

p. 129. MOTHE *reſponſio ad interrogatoriam conſultationem Cl.* DESGRANGES *ſuper matricis deſcenſu cum labii anterioris orificii vterini externi prolongatione.* Conſultationis ſupra mentionem fecimus. Excreſcentiam

tiam orificii vterini ſarcoma eſſe putat, aut vterinum polypum.

TRABUC *obſeruatio de abſceſſu in regione iliaca, cuius fomes in renibus latuit.* Tumorem aeger in regione iliaca ſiniſtra ex longo tempore habuerat. In tumore fluctuatio; inciſio tumoris non absque periculo. Ea tandem facta, puris ſanguinolenti copia maxima profluxit. Aeger mortuus eſt. Cadauere inciſo, ren aegri lateris praeter naturam magnus et ſuppuratus calculos continuit. p.146.

September.

DOURLEN *epiſtola ad* BOUCHERUM *de pluribus apoplecticis tractandis.* In plethoricis et ſtatim poſt paſtum apoplecticis non tam ad indigeſtionem, quam ad imminutionem quantitatis humorum et ad reuulſionem reſpiciendum eſt. His, in quorum ventriculo magna pituitae copia collecta eſt, emetica apprime conducunt; purgantia vero ſordibus in inteſtinali tubo collectis et praeſentibus indicationibus emeſi aduerſis. p.210.

VANDORPE *epiſtola ad Cl.* DESGRANGES. Quid ad herniae reductionem cortex Peruuianus valuerit. Alia ad herniae caſum, in eodem diario, anno 1782 expoſitum, illuſtrandum valent. p.217.

HUARD *obſeruatio de extractione acus crinalis a puella in vrethrae canalem inductae, lapidisque, cui haec acus nucleus fuit.* Vrethra dilatata, calculus forcipum ope diffractus et eductus eſt. Acus trium pollicum longitudinem habuit. p.229.

DOLIGNON *obſeruatio de extractione ligni in veſicam vrinariam inducti, quod altera extremitate calculo nucleum praebuerat, altera vero veſicam et vaginam vteri perforauerat.* p.236.

October.

PONCHE´ *obſeruatio de epilepſia accidentali et periodis fixis ſubiecta, Zinci floribus interne adhibitis ſanata.* p.311.

Epileptica puella, floribus Zinci per tres menſes ad XVIII. grana quotidie aſſumtis, phthiſi pulmonali correpta interiit. Epilepſiam a terrore inductam Zinci flores ſanauerant.

BOUCHEREAU *de mammae exulceratione poſt menſium interceptionem emmenagogis medicinis ſanata.* Sale martis RIVERII menſtruus fluxus prouocatus eſt.

p.319. BOCQUIS *obſeruatio de vulnere abdominis cum omenti prolapſu et gangraena.* Vulnus enſe militi inflictum. Omentum putredine diſſolutum, partes, per quas omentum prolapſum erat, laceratae. Tandem aeger ſanatus eſt.

p. 323. BOURGINE DE LETANG *de vulnere in abdomen penetrante cum coli inteſtini vulnere obſeruatio.* Vulnus admodum amplum, poſt ſuturam inſtitutam coalitum.

p. 326. GARLAUD *obſeruatio de partu praeternaturali arte abſoluto, in quo matri et foetui vitae periculum minata eſt haemorrhagia vteri ex ſecundinis in vteri orificio obuiis nata.* Secundinarum oblatarum corpus perforandum a manu ad partum accelerandum inducta erat. Foetus, partu accelerato, verſione eductus.

p.332. GLAND *obſeruatio de femina grauida ex alto delapſa et brachiis ſuſpenſa.*

p.335. GENIL *obſeruatio de foetu in matris vtero putrefacto, cuius oſſa in vmbilici regione depoſita per eam exierunt.* Dolores partus in femina, quae tres iam liberos partu felici ediderat, quarto die poſt ſanguinis largam profuſionem euanuerunt, tumorque ventris imminutus paululum eſt. Venter tamen in dextro latere tumidus magis durusque remanſit. Poſt quindecim menſes in vmbilico tumor natus eſt, pus copioſum peſſime olens profundens. Plura poſtea foetus oſſa ex hoc tumore extracta ſunt. Femina hoc modo affecta, morbo ſuo durante, domeſtica ſua negotia omnia peregit, nunc ſana.

BER-

BERGERET *obſeruationes in opus* Cl. PAULET *de fungis bulboſis.* Aether vitriolicus optimum talium venenorum antidoton eſt. Fungorum bulboſorum ſpecies copioſe enarrantur.

November.

SUTTONI *obſeruationes in variolarum inſitionem a Cl.* BRILLOUET *) *peractam.* Rixae ſunt, quas SUTTONUS in conſilium vocatus mouet. p. 425.

SUMEYRE *obſeruationes de bonis effectibus liquorum ſpirituoſorum in morbis pituitoſis.* Pituitoſa tuſſis cum ventriculi dolore taffia ſanata eſt. Aliae pituitoſae tuſſes vini ſpiritu forti ſanatae ſunt.

LEAUTAUD *obſeruationes de contuſionibus infimi ventris, quas vehementes dolores exceperunt.* Dolores ſummi. Tumor, inflammatio inſignis, abdomen maxime tenſum. Aluus ſanguinolenta depoſuit. p. 434.

CROHARE' *inquiſitio in puluerem de* GODERNAUX, *ſupremum aut vnicum dictum.* Medicamentum eſt ex mercurii in acido ſalis marini ſolutione natum. p. 436.

December.

SEBIRE *obſeruatio de pyloro et pancreate cartilaginoſis inuentis.* Aluus et vrina in aegra LXI. annorum admodum tarda. Alimentorum et medicamentorum vomitus. Abdomen collapſum; in epigaſtrio tumor admodum reſiſtens. — Inciſo cadauere, pylorus, duodeni inteſtini pars et pancreas cartilaginoſa, cum dorſi vertebris coalita, duodenum pancreati firmiter adnexum. p. 548.

BOCQUIS *obſeruatio de ſpina ventoſa in pede poſt variolas cauterii actualis vſu ſanata.* Metatarſus carie exeſus erat. p. 551.

BEAUSSIER DE LA BOUCHARDIERE *obſerv. de panaritii inciſione.* Limitandas eſſe admodum has p. 558.

*) vid. ſupra ſub Auguſto menſe p. 278.

inciſiones ex propriis et Cl[i] RAVATON obſeruationibus docet.

p. 570. DE LUNEL *tractatio de terra foliata.* Acidum vegetabile addito vitrioli acido concentrare Cl. vir adniſus eſt.

p. 576. *Anonymi epiſtola de vrina ſuppreſſione a pluribus calculis in veſica vrinaria producta, lethali.*

XXI.

Anleitung zur Bildung ächter Wundärzte, von Dr. IOHANN IACOB KOHLHAAS. *Erſten Theils erſten Bandes erſtes und zweytes Stück. Nebſt Kupfertafeln. Regensburg, bey Keyſer. 1784. in 8. 12 pl. praeliminaribus exceptis.*

i. e.

Inſtitutio ad chirurgos formandos, auctore IO. IAC. KOHLHAAS. —

Scholae chirurgicae Ratisbonenſi Cl. Auctor praeeſt, hocque libro prima elementa diſciplinarum chirurgo neceſſariarum tradere, in praelectionum vſum adniſus eſt. Primi voluminis hae partes matheſin puram, arithmeticam ſcilicet et geometriam, continent. Methodus Cl. Auctoris ſatis facilis eſt. Inſolitum autem paululum eſt, licet inſtituto vtilitatem ſuam non denegemus, in libro ad inſtituendos chirurgos conſcripto matheſeos ſcientiam contineri, nec rationes, quas Cl. auctor ad operis excuſationem adducit, ſufficiunt. Alterum volumen matheſin adplicatam ſine dubio continebit.

XXII.

Cynoſura annue viſitandorum per regnum Bohemiae pharmacopoliorum, iuxta pharmacopoeae Auſtriaco-Prouincialis editionem quartam. Pragae, litteris Schoenfeldianis 7 pl. in fol. 1784.

Norma quaedam eſt, quam phyſici in viſitandis officinis pharmaceuticis in Bohemia obſeruare debent. Primum ad homines, qui pharmacopolio praeſunt, reſpicitur, et quod mirati ſumus, et ad tirones eosque, qui in ſodalitio inuenti ſunt et tirocinium abſoluerunt. Poſtea quae in laboratorio, in camera materiali, herbario, aquario, notanda ſint, occurrunt. Pharmaca alphabeti ſerie conſignata ſunt, ita, vt ſpatium quoddam relictum ſit, cui medicus qualitatem, quantitatem, inſcribere poſſit, hoc modo:

Nomen pharmaci	Qualitas		Quantitas		deficit	dicitur non vſuale
	bona	mala	ſufficiens	exigua		
Aqua carminatiua regia						
— — embryonis						
— — cicutae papaueris.						

Pharmaca ex prima pagina deſcripſimus. Si ex hac ſuperfluorum numerum aeſtimare licet, is CXII. certe excederet.

XXIII.

Obſervations on the method of curing the hydrocele by means of a ſeton, by* I. HOWARD *Surgeon. London 1783. 8. pagg. 56.

i. e.

Obſeruationes de curanda hydrocele ſetacei ope, auct. I. HOWARD.

Examinatis breuiter hydrocelen curandi viis variis, ſetaceum reliquis omnibus, ipſi cauſtico, praefert.

fert. Setaceum enim non adeo vehementem inflammationem excitat, ſimulque, quo propius ad partes accedat, ipſam reſoluit, ſuppuratio eo adhibito lente procedit, nec tunicam vaginalem afficit, quapropter etiam non talia producit ſymptomata, ſicuti cauſticum. Immo interdum nulla omnino ſuppuratio locum habet. Nec albugineae cauſticum pepercit, quam ſetaceum nunquam laedit. In aegris variis acrimoniis vel ſingulari irritabilitate laborantibus plane reiicit cauſticum, in quibus tamen adhuc ſetacei vſum concedit; imminuit modo filorum numerum ita, vt tantum octo vel decem fila adhibeat. Suſpenſorium vero ex panno noſtris *Flanell* dicto format. Caeterum ſub finem harum obſeruationum praeceptorem ſuum Celeberrimum POTT aduerſus Cl^um^ VAUX, qui nuper methodum Elſianam denuo commendauit, defendit.

XXIV.

Experimentum anatomicum, quo arteriolarum lymphaticarum exiſtentia probabiliter adſtruitur, inſtitutum, deſcriptum et icone illuſtratum a IANO BLEULAND M. D. 4. pagg. 36.

Confirmat Cl. Auctor exiſtentiam arteriolarum tertii ordinis, quarum mentionem iam fecerunt BOERHAAVIUS et alii, iniecta in vaſa inteſtini duodeni maſſa ceracea ſubtiliſſima. Qua iniectione inſtituta, ope microſcopii ipſa ſubtiliora vaſa curatius examinauit atque cognouit. Mox diſtinguit arterias lymphaticas a vaſis lymphaticis ſiue venis abſorbentibus, atque nominat praecipuos ſcriptores, qui de vtroque genere vaſorum expoſuerunt. Arteriae autem lymphaticae ſiue vltimi arteriarum apices finiuntur in telam celluloſam, in venas ſubtiliſſimas, in glandulas

dulas lymphaticas et venas abſorbentes. Ni fallimur, terminantur ipſae in vniuerſum in omnes partes ſubtiliores.

XXV.

Entdecktes Salpeterſauer in den animaliſchen Ausleerungen — nebſt einer Abhandlung vom Salpeter, von IOH. PHIL. BECKER. *Deſſau 1783, in der Buchh. der Gel. 8. pagg. 80.*

i. e.

Acidum nitroſum detectum in animalium excrementis, vna cum commentatione de nitro, auct. IOH. PHIL. BECKER.

Omnino inſunt huic tractatui vtilia quaedam experimenta; at nequaquam cum auctoris theoria vbique poſſumus conſentire, nec eius rude et inconditum dicendi genus laudare. Perturbato enim ordine omnia profert et confuſe miſcet. Multis e locis ſatis ſuperque elucefcit, eum aut non intellexiſſe, quae recentiores naturae ſcrutatores de acidi nitri natura et partibus conſtitutiuis detexerunt; aut plane haec eum fugiſſe.

In *praefatione* refutat theoriam Stahlii de acidi nitroſi ex vitriolico ortu ope phlogiſti; illamque recentiorum, qua aëri ipſi generationem huius acidi tribuunt. Se perpendiſſe dicit, nitriarios e ſola ſtabulorum terra, quae vrina vaccarum, equorum, ouiumque imbuta eſt, nitrum trahere poſſe; et hoc idem ipſum perduxiſſe, vt inueſtigaret vrinam vaccarum, quae nitroſi acidi ſit domicilium. Nitrum, quod ad Aetnae montem reperitur, a noſtro declarat diuerſum, illud vero, quod ex India adportatur, factitium. p. 6.

Examen vrinae vaccarum. In ipſa fermentata et euaporata ſal cryſtalliſatum reperiebat Noſter, quod p. 11.

abluen-

abluendo aqua frigida album euaſit. Gaudebat ſapore dulci, quapropter ipſum ſal eſſentiale vrinae dulce nominat. In aqua tantum bulliente poſt triturationem in mortario lapideo ſolui potuit. Haec ſolutio a ſale alcalino turbida facta eſt. Sal carbonibus candentibus inſperſum deflagrabat et aliquid terrae relinquebat. Poſt praecipitationem ex ſolutione eius cum ſale alcalino factam oleum Vitrioli vapores nitroſos expellebat; haudquaquam ex ipſo ſale eſſentiali.

p. 17. *Fimetorum lixiuium* ſale lixiuioſo fixo non impraegnatum eſſe, probat; ſed efferueſcentiam eius cum acido nitri a ſale vrinoſo deducit. Vrina humana cum ſpiritu nitri non efferueſcebat.

p. 26. *Methodus antiqua boruſſica nitrum generandi, — ea, quae Caſſellis ſueta eſt, — noua methodus boruſſi-*
p. 27. *ca.* — In hac additum ſal commune et ſtercus reprobat; In haſſiaca vero humum, ſtercus et calcem inutilia noxiaque, totamque methodum nimis ſum-
p. 33. tuoſam declarat. Ex ſtridente combuſtione cuiusdam Nicotianae ſpeciei, quae vulgo *Cnaſter* audit, concludit Auctor, ipſi ineſſe nitrum naturale. Nonne vero hoc potius in praeparatione additum fuit? Caeterum acidum nitroſum in regno tantum vegetabili produci contendit, indeque in animalium corpora tranſire, praeparari et vrina excerni. Itaque nihil nobis in nitri confectione reſtat, niſi heterogenea, e. g. ſal commune, partes mucilaginoſas, aliaque ab acido iam praeparato in vrina ſeparare. Examinat nunc reliqua, quae vulgo pro confectione ni-
p. 37. tri conſtruendis muris addunt, ſalem ſcilicet culinarem, cuius partes conſtitutiuas nunquam in illas nitri conuerti poſſe, recte iudicat. Nonne vero aperte falſum eſt, quum dicit, ex ſolutione ſalis communis additum ſal lixiuioſum praeter terram calcaream ſal alcalinum minerale? Nonne hoc in ſolutione ſolutum reſtare debuiſſet!

Fime-

Fimetorum lixiuii examen. Hoc ſali lixiuioſo nuptum exhibuit auctori nitrum. Analogiam inter ſal eſſentiale vrinae et ſaccharum commune et lactis eſſe, oſtendit. Lixiuio fimeti ineſt quidem acidum nitri; at pro confectione nitri perfecti ipſi addi debet ſal lixiuioſum. Quod vt adipiſcatur viliſſimo pretio, ſuadet Noſter, fimetum poſt ſufficientem elixiuationem ſiccatum comburere, et e cineribus relictis ſal lixiuioſum parare. Murorum tamen conſtructionem pro nitri confectione vtiliſſimam declarat, vt in ipſis vrina mucilaginoſas et pingues deponat partes, fermentatioque eius tanto melius et diutius fiat. Propter hanc fermentationem perhibet, quod irroratio murorum noua vrina aut fimeti lixiuio noxia ſit. Conſilia poſtea ſuppeditat pro conficiendis nitrariis eligendisque terris huic ſcopo idoneis. Temporis ſpatium, in quo nitrum generetur, minime tam longum diutinumque eſſe, vt vulgo credunt; ſed experimentis tantum determinari poſſe dicit. Pari modo lixiuii alcalini copia, quae terrae nitrariae addi debet, per experientiam nunquam non inuenienda eſt. Terra e cellis nihil continet, quod confectionem nitri adiuuare poſſit, eamque ergo ineptam pro conſtruendis parietibus declarat. Inuehit ſimul in eos, qui inutile conſilium dederunt, vt terra e cellis ſubditorum in ipſorum magnum damnum ad aedificandas nitriarias peteretur. Tegumenta parietum credit ſuperuacanea. Nunc iterum quaedam experimenta circa terras ad conſtructionem parietum adhibitas enarrat, et repetit examen ſalis culinaris, cuius baſis alcalina nunquam in illam nitri conuerti poſſit.

p. 42. p. 54. p. 58. p. 64. p. 67.

De Calce. Vt cognoſcatur ſal calcis, ſuadet Noſter, aquam calcis recentem ligno braſilienſi ſuperfundere et inuicem coquere. Ex colore laete rubente decocti nunc concludit ad ſal proprium eum producentem. Sal calcis medium quaſi tenere inter p. 71.

acidum

acidum ſalis et ſal purum lixiuioſum cenſet, additoque nitro (!!) et ſale alcalino cauſticum producere. Eam ob cauſam calcem viuam nitriariis inutilem
p. 72. maximeque nocuam iudicat. Multa nunc iterum repetit ſaepius iam dicta de noxiis ex additione ſalis
p. 77. culinaris, deque vtilitate additi ſalis lixiuioſi. Ea vero, quae Auctor profert, vt ſeſe conſilii a ſe dati cauſſa, nitrum ſcilicet perfectum nitriariis conſtruendis addere, defendat, plane non intelligimus. Ipſe enim reſponſurus quaeſtioni de huius additamenti vtilitate nullo verbo nitrum ipſum attingit; ſed potius de lixiuio a cryſtalliſatione nitri remanente, noſtratibus *Mutterlauge* dicto, loquitur, illudque ſicut fermentum agere, contra omnia ſanioris chemiae fundamenta perſuaſum habet.

XXVI.

Supplement zu der Abhandlung vom Salpeter und näherer Beweis, daſs der Salpeter und deſſen Säure nirgends, denn aus dem Pflanzenreiche und animaliſchen Ausleerungen zu erwarten ſey; durch Verſuche bewieſen von IOH. PHIL. BECKER. *Deſſau 1784. auf Koſten der Verlagskaſſe für Gelehrte und Künſtler, und zu finden in Leipzig, in der Buchhandlung der Gelehrten. 247 Seit. in 8.*

i. e.

Supplementum commentationis de nitro, et probatio, nitrum eiusque acidum nullibi, niſi ex vegetabili regno et animalium excrementis, eſſe recuperandum, experimentis confirmata a IO. PHIL. BECKERO.

Auctor in hoc opere vberius experimentis probare ſtudet, acidum nitroſum in animalium excrementis iam paratum ineſſe. Cui ſcopo cum vrina

et

et excrementis hominum et animalium, e. g. caprarum, equorum, vaccarum, ouium, porcorum, gallinarum, columbarum, cumque humo ex ouilibus, bubilibus et equilibus inſtituit experimenta. Ex quibus omnibus plus minus nitri obtinuit ope ſalis alcali vegetabilis. Stylus Noſtri itidem adhuc incultus et barbarus, ordo inconcinnus ſeſe nobis praebuit. Semel dicta centies repetit, omnia miſcet et pauca magnis verborum ambagibus tradit. Recentiorum vero chemicorum detecta ipſi quoad maximam partem ignota fuiſſe, quam faciliime multis e locis perſpici poteſt. An etiam cuncta ſua aſſerta cum veritate congruant, aliorum experimenta euincere debent. In enarrandis examinibus quantitatem partium ingredientium vix attingit.

Capite primo tradit examen *vrinae humanae*, p. 1.
quae reſpectu partium ſalinarum longe ab animalium vrina ſuperatur. In illa his multo maiorem copiam inuenit ſalis communis, ſal volatile ammoniacum, pauxillum ſalis non ſeparandi et puluerem griſeum lanuginoſum. Vrina ad conſiſtentiam extracti inſpiſſati redacta et aqua diluta non efferueſcebat cum ſale alcalino. Itaque illam ad nitri confectionem inepte adhiberi contendit.

Excrementorum caprarum libram vnam aqua fri- p. 25.
gida elixiuabat et lixiuio ſolutionem ſalis alcali vegetabilis addebat. Miſtionem euaporabat et impuritates ſeparabat. Haec paucas ipſi exhibebat cryſtallos easque minimas, quae alcalinam naturam omnino exuebant. Reliquum lixiuium ad ſiccitatem vsque inſpiſſabat et ſalis vnciam vnam et ſemiſſem obtinebat, quod nitri naturam oſtendebat et carbonibus inſperſum deflagrabat. Neminem ergo dubitare poſſe credit, quin acidum nitri in excrementis adfuerit et cum alcali addito conſtituerit nitrum. Itaque acidum illud ſolummodo in plantis exiſtere et per has in animalia ingeri, perhibet. Hiſce patere, vrinam

excrementaque pecorum nobis breui tempore exhibere poſſe nitrum, nec pro eius confectione longi temporis tractu indigere. Sine addito ſale alcalino etiam lixiuium ſcybalorum caprarum et humi ſtabulorum cryſtallos ſalis dedit, cui nomen ſalis eſſentialis caprarum tribuit, quodue ſicuti genuinum nitrum ſeſe habuit. Nihilominus tamen in confectione nitri ſal alcali fixum lixiuio addere monet, ne magnam iacturam ſalis lixiuioſi ſubtilioris ſub euaporatione faciamus.

p. 45. Ex *vrina equorum* ſimile ſal obtinuit, ſed forma floccorum. Salia ex vrina animalium eſſe flocccoſa, hic putat, illa vero ex eorum ſcybalis educta forma gaudere priſmatica ſeu cubica. Porro perhibet, acidum, quod in animalium ventriculo adſit, cum vegetabili acido pabuli ſic concoqui et elaborari, vt vrina et ſcybala exinde ſecernant acidum nitri.

p. 49. *Humum ex equilibus* elixiuabat aqua frigida, et lixiuium alcalinum addebat, vsque dum nullum amplius edebat praecipitatum. Sub euaporatione lixiuii, quod genuinum nitrum gerebat, faeces in fundo vaſis aderant, quas alcali ſuperfluum fuiſſe contendit. An vero ſal alcalinum vegetabile plus aquae requirit ad ſolutionem, quam nitrum, citiusque hoc ex ſolutione ſecernitur? Sic multi alii nobis obuiam veniere loci, quibus facile elucet, Dn. BECKERUM examina ſua nec circumſpecte, nec accurate inſtituiſſe, vel potius inſtituere potuiſſe.

E ſcybalis *equorum* ope lixiuii alcalini quoque obtinuit nitrum; multo minus vero ex *humo ſuilium*. Maiorem copiam e *porcorum excrementis*, ex *humo ouilium* et *bubilium* accepiſſe narrat. Scybala *vaccarum* recentia cum cinere lignorum efferueſcebant, ſed lixiuium ex iisdem non limpidum fieri voluit. Quare cineres elixiuatos cum lixiuio humectabat, eosque aëri exponebat, vt pingue et vnguinoſum, quod veherent, exuerent. Illis poſtea iterum elixiuatis,

lixi-

lixiuioque ad cryſtalliſandum repoſito, nitrum quoque impetrabat, quanquam impurum fuerit.

Ex ipſis *gallinarum* et *columbarum* ſcybalis ni- p.77.82.
trum conficere potuit ope additi ſalis alcalini vegetabilis; nec minus ex *humano coeno* illud parauit. Nullum vero ſalis communis veſtigium in hoc inuenit; id quod tamen vrina hominum in tanta copia vehit.

Sal lixiuioſum ex *ouium* ſcybalis combuſtis edu- p. 94.
ctum nec ſyrupi violarum, nec ſyrupi rubi idaei colorem mutauit. Sal alcali purum ergo eſſe nequiuit; ſed peculiare conſtituere ſal neutrum, ad nullam claſſem referendum, putat. Poſtea tamen affirmat, quod acidum nitri vehat. Magnum nunc init certamen, quare ſal ſuum lixiuioſum non purum alcali eſſe potuerit. — Docet hac occaſione *ſyrupum rubi idaei* breui tempore parare, eo nimirum modo, vt ſyrupo violarum addatur ſpiritus vitrioli, vsque dum ille acquirat colorem laete rubentem. Certe nullam pro hoc inuento apud nos iniit gratiam Auctor: nam mera eſt adulteratio.

Melius nobis placuit determinatio ſalis alcalini p. 103.
in cineribus ligni et ſtraminis contenti pro confectione nitri adhibendi. Modius vnus cinerum lignorum ſolidorum iuxta menſuram berolinenſem ponderat circa XLVIII—L libras, et exhibuit poſt elixiuationem cum aqua frigida IV libras ſalis lixiuioſi fuſci; modius vero cinerum ſtraminis aequat XXXIII libris, et VI libras ſalis lixiuioſi aqua frigida educti dedit.

Tandem illos, qui nitrarias exſtruere tendunt, p. 135.
inſtruit, et nonnulla adhuc experimenta enarrat. Suadet repetitis vicibus excrementa animalium ſolummodo admiſcere terrae et humo, vt vnguinoſum, quod vehant, ſeponant. Non opus eſſe, vt putrefactionem exſpectemus, ſeu eius cauſſa corpora aëri exponamus, ſi nobis nitrum conficere mens eſt, quum putrefactio corporum nil ad nitri ortum con-

tribuere poſſit. Acidum nitri iam paratum latere in animalium excrementis, et totam rem in eo poſitam eſſe, vt iuſtam ſalis alcalini copiam lixiuio eorum addamus.

p. 193. Annexum eſt huic commentationi de nitro examen chemicum *Arſenici rubri*, quod in Saxonia paratur. Auctor per ſua experimenta probare vult, arſenicum album nullam cum ſulphure communi puro inire combinationem, nec rubrum arſenicum cum ipſo conſtituere, ſicuti Chemici vulgo credunt. E contra perhibet, arſenicum rubrum, quod in Saxonia parant, nullum vehere arſenicum. Caeterum e loco quodam, vbi de recentiorum acido aëreo diſputat, elucelcit, ipſum ne veram quidem de hoc acido habuiſſe notionem, ſed potius ſub illo acidum ex aëre depromtum falſo intelligere.

XXVII.

Herrn PETER IOSEPH MACQUER'S, *Doctors der Arzneygelahrheit von der Pariſer Facultät, Mitglieds der königl. franzöſiſchen Akademie der Wiſſenſchaften und der königl. Geſellſchaft der Arzneygelahrheit, Profeſſors der Chymie, u. ſ. w. chymiſches Wörterbuch oder allgemeine Begriffe der Chymie nach alphabetiſcher Ordnung. Aus dem Franzöſiſchen nach der zweyten Ausgabe überſetzt und mit Anmerkungen und Zuſätzen vermehrt von D.* IOH. GOTTFR. LEONHARDI. *Leipzig bey Weidmanns Erben und Reich, in 8. Zweyter Theil, 1781. 778 Seit.; Dritter Theil, 1781, 798 Seit.; Vierter Theil, 1782, 784 Seit.; Fünfter Theil, 1782, 804 Seit.; Sechſter Theil, 1783. 400 Seiten.*

i. e.

i. e.

PETRI IOSEPHI MACQUERI Lexicon chemicum ex franco-gallico in germanicum ſermonem translatum et adnotationibus atque ſupplementis auctum a IOH. GOTTFR. LEONHARDI. Pars II. III. IV. V et VI.

Praeſtantiſſimum hoc opus, cuius tomum primum iam recenſuimus *), ad finem nunc perductum conſtat, illudue his in caeteris tomis genuinae editioni franco-gallicae palmam quoque longe praeripere, nemo certe eſt, qui dubitat. Supplementa vero, adnotationes emendationesque, quibus Cl. LEONHARDI librum MACQUERI inſtruxit, tot tantaque ſunt, vt nimis longum et ab inſtituto noſtro alienum ſuſciperemus laborem, ſi haec omnia indicare vel in compendium redigere vellemus. Itaque ſufficiat, vt e numeroſa rerum copia paucas ſolummodo eruamus, quum dubitare non poſſimus, vllum chemiae recentioris acrem cultorem fore, qui hoc libro careat, eumque non ſaepiſſime voluat reuoluatque.

Tomus ſecundus continet verba ſub litteris *Erz* vsque *G.* comprehenſa. T. II.

Docimaſiam minerarum MACQUERUS vix attigerat, quam LEONHARDI prolixius exponit; inprimis vero de docimaſia ferri commentatur. Eam, quae humida via inſtituitur, praeſentiam ferri potius, quam eius copiam, probare poſſe, Noſter perhibet. Illa, quae *ſicca* audit, vel magnetis vel fluxuum et ignis ope perficitur. Quum vero varia cum ferro cohaerere poſſunt corpora, quae vna cum ipſo per magnetem attrahuntur, et nonnullae ferri minerae poſt fuſionem cum inflammabili quadam materia vim retractricem tantummodo primum acquirunt, haec methodus ope magnetis inſtituta nec p. 92.

 deciſa

*) vid. ſupra commentar. Vol. XXV. P. 1. p. 65.

deciſa et certa, nec omni in caſu applicanda eſt. Exploraturi ergo ferri mineras optime agimus, ſi illas idoneo fluxu igni exponimus. Vſtulatio in illis ſolummodo neceſſaria eſt, quae pyritae ſunt adunatae vel ſulphur et arſenicum continent. Puluis carbonum praeſtantiſſimam et maxime neceſſariam in quolibet fluxu docimaſtico efficit partem. Salia ſoluunt quidem terras mineris admiſtas, in ferrum vero ipſum agunt, et in ſcorias illud mutant; id quod inprimis de alcalinis valet ſalibus. Fel vitri non melius ſe habet, quod inſuper, ſicuti gypſum, tam facile ob acidum vitrioli, quod continet, in hepar ſulphuris abit. Methodus, quam GELLERTUS conſuluit, Cl° LEONHARDI maxime proficua videtur, eaque ferrum optimae notae obtinuit. Iuxta illam miſcetur reſiduum duorum anteriorum docimaſticorum minerae vſtulatae facile fuſibilis cum dimidiato centenario vitri in puluerem triti; ſi difficilius funduntur minerae, additur Boracis centenarii dimidia pars, octaua vel quarta vero calcis, ſi ſulphure vel arſenico ſunt inquinatae. Quolibet vero in caſu pulueris carbonum ſemper admiſcetur centenarii octaua pars. Repentina refrigeratio grani martialis, quam fuſione obtinemus, ſollicite eſt euitanda, quum alias nec de ductilitate, nec de fragilitate ferri iudicare poſſimus.

p. 112. Inter Aceti combinationes, quas cum alcalinis ſalibus, terris et metallis init, MACQUERUS tantummodo priores et illam calce indicauerat. LEONHARDI vero omnes huius acidi relationes et combinationes adiicit, quae cum terra muriatica ponderoſa, et aluminari efficit, ſicuti illae, cum metallis, quae hactenus a chemicis ſunt tentatae.

p. 207. *Acidum pinguedinis animalis* MACQUERUS *nondum perſpicue cognouerat*, de quo ergo Noſter peculiari articulo agit, eiusque naturam et relationes fuſius exponit ſecundum experimenta Cl. CRELLII. Salia neutra et media, quae ope huius acidi obtinentur,

tur, nequaquam eodem modo latine exprimi poſſe, vti BERGMANNUS vult, vt eorum nimirum nomen indicet partes conſtitutiuas, ſed multo magis aliis nominibus indicari debere. Sic LEONHARDI: acidi pinguedinis cum alcali vegetabili, minerali et volatili adunationes ſal neutrum Segneri, Crellii et ammoniacum Segneri appellare ſuadet, et ſic etiam de caeteris; qua tamen in re nos magis cum BERGMANNO conſentimus.

MACQUERUS propriam et peculiarem ſubſtantiam caloris negat, et calorem tantummodo pro qualitate et modificatione corporum habet; quae in partium aggregatarum motu inteſtino conſiſtat, et per concuſſionem lucis et frictionem producatur. Recentiorum chemicorum et phyſicorum de materia, cui effectus ignis attribuunt, ſententias hic collegit LEONHARDI. POERNERUS vnam eandemque materiam proferre lucem et ignem credidit; et lux ipſi eſt materia caloris diffuſa, ignis vero materia caloris concentrata. Illa phlogiſton in motum agit et ſic calorem producit. Phlogiſton vero ipſi eſt materia lucis, quae ope terrae ſubtilioris figitur. MEYERUS etiam perhibet, lucem eſſe materiam elementarem puriſſimam caloris, quae, ſi cum quodam acido principio combinetur, acidum item pingue conſtituat, quod inter combuſtionem in motum agatur, et materiam communis noſtri ignis conſtituat. Phlogiſton vero miſtionem lucis, acidi pinguis, terrae et aquae habet. SCHEELIUS e contrario putat, phlogiſton eſſe ſubſtantiam elementarem, quae cum certa copia aëris, vti dicit, dephlogiſticati, ſeu, vt SCHEELIO audit, *ignei*, calorem producat, qui, ſi maiori copia phlogiſti adhuc combinetur, lucem proferat. Iuxta WEIGELIUM lux et calor effectus vnius eiusdemque materiae ſunt, quae pars conſtitutiua corporum fieri poteſt, et quidem, ſi libera in ipſis continetur, principium *cauſticitatis* efficit et *materia ignis* appellatur; ſi vero per terram ſubtiliorem figitur, *phlogiſton* dicitur. p. 222.

citur. Quae theoria cum illa congruit, quam BEAUME' dedit, qui inſuper naturam terrae in phlogiſto magis determinat eamque vitreſcibilem declarat. WALLERIUS caloris et lucis materiam intereſſe materialem differentiam perhibet, ignem produci per has materias, ſi in motum agantur. Phlogiſton ipſi eſt materia caloris terrae ſubtiliori affixa. *Theoriam illam* CRAWFORDII hic non exponit, interpres noſter, cum eam iam parte prima indicauerit. Ipſe vero declarat, theoriam SCHEELII omnibus palmam praerepturam fore, niſi illis tam grauibus premeretur dubiis, quae WALLERIUS contra illam protulit.

P. 351. Articulus *Gas* maximam huius tomi partem explet, et praecipue notis illuſtratus et emendationibus adauctus eſt. Quum aër communis ab HELMONTIO *Gas ventoſum* nuncupatur, *aëri dephlogiſticato* quoque nomen *Gas ventoſum puriſſimum* tribui poſſe, ſuadet Noſter. MACQUERUS eum gas dephlogiſticatum, KEIRIUS aërem factitium purum, SCHEELIUS aërem igneum, BERGMANNUS aërem purum appellat. SIGAUD DE LA FOND merito monuit, haec aëris ſpecies reſpectu aëris communis, ſeu, vti Noſtro videtur, reſpectu aëris phlogiſticati ſolummodo relatiuo modo appellari poſſe dephlogiſticata. Omni phlogiſto ea plane non carere videtur, ſed eo tantummodo, quod aëri non firmiter adhaeret. BERGMANNUS non accurate determinat materiam, quae acido aëreo nupta conſtituat aërem purum. Iuxta SCHEELIUM ex acido aëreo et phlogiſto aër purus eſt compoſitus; iuxta FONTANAM vero ille eſt acidum nitroſum ab omni phlogiſto liberum. Cuius vero experimenta ab Cel. PRIESTLEY repetita hunc nequaquam conuicerunt, vt ſuam de hoc aëre ſententiam mutaret, ipſum ſcilicet conſtare ex acido nitroſo et particulis terreſtribus, quibuscum phlogiſton forte ſit combinatum, quod illis ſtatum aëriformem tribuat. Nos omnino FONTANAE ſententiam amplecti

impel-

impellimur, tam aliorum, quam propriis experimentis innißi, ſic vt materia caloris acido nitroſo ab omni phlogiſto puro nupta tribuat ſtatum aëriformem, nam ſi per deſtillationem ſiccam fortiſſimo igni vrges, maximam non ſolum copiam huius aëreis obtinebis, et reſiduum alcali cauſticum refert, quod ſalis neutri natura orbatum eſt, ſed etiam nec minimum huius aëris impetrabis, ſi inflammabile quid ſufficienti copia admiſſum eſt.

Gas mephiticum acidae indolis eſſe, nemo eſt, qui dubitet. De eius vero ortu non omnes conſentiunt. Pauci ſolummodo illud habent naturale acidum peculiare. Permulti factitium habent. Ipſe PRIESTLEY appellat factitiam ſubſtantiam. Nonnulli adhuc putant, ipſum eſſe aërem communem acido alieno, e. g. vitriolico vel nitroſo, imbutum. Quum vero omnia acida eam ex alcalinis expellant ſalibus et terris abſorbentibus, et qualitates et relationis huius ſubſtantia ſemper remaneant eaedem, haec opinio plane falſa eſt, et noſtris temporibus non eget vlteriori refutatione. — Multi hoc Gas mephiticum cum phlogiſticato confundunt, vti FONTANA. De natura huius aëris Noſter nil decidit. Vtilitatem ipſius in re medica probat viribus *mixturae Riuerii,* et methodo NATH. HULMII illum contra haemoptyſin, hydropem, ſcorbutum, arthritidem et podagram propinare; ſicuti virtute inſigni aquarum mineralium ipſo imbutarum. Ipſius vero vſui in pulmonum vlceribus, quem PERCIVAL ſuadet, laudes tribuere non poſſumus, quum reſpirationi nullo modo inſerviat. p. 445.

In articulo: *Gas nitroſum*, Cl. LEONHARDI theoriam CRAWFORDII de calore animali, quae tunc temporis demum inclaruit, exponit. Sed ſimul argumenta, eaque non leuiora, contra eam profert. Minime enim eſſe probatum, quod ignem et phlogiſton alia interſit differentia, quam inter mate- p. 515.

 riam

riam ignis liberam et ligatam ſeu fixam; et dephlogiſticatio ſanguinis tantummodo in pulmonibus, exitus vero materiae caloris in ſola cute fiat. Nam ex obſeruationibus INGENHOUSII patere, quod e ſuperficie corporis tam phlogiſticus, quam fixus erumpat aër. Praeterea nimis quid deſiderari, ſi nos perſuaſos eſſe cupit Auctor, ad productionem caloris animalis ſufficere, vt materia caloris, quae per phlogiſton ope pulmonum exſpiratum ab aëre reſpirabili ſeparatur, et quaſi praecipitatur, ſeſe miſceat ſanguini, actionemque tam multorum neruorum et vaſorum aeque minus geneſi caloris corporis animalis viui inſeruire, ac vitrum, in quo mixtio aquae et olei vitrioli calorem efficit. Halitum porro, qui per pulmones exſpiratur, aëre inſpirato frigidiorem non eſſe. Caeterum quoque menſurationes caloris corporum variorum inuicem mixtorum omnis erroris expertes eſſe, valde dubitat Noſter.

Noui quoque articuli, quos in principe editione deſiderabis, hic acceſſerunt: e. g. *acidum pinguedinis animalis (p. 207); lini maceratio et exſiccatio (p. 278); emaculatio (p. 288); alumen terra ſua ſuperſaturatum (Glasſelenit, p. 687); ſuccus mineralis (Guhr, p. 755); Gummi Laccae, (p. 763); Gypſi calcinatio, (p. 775).*

T. III. *Tomus tertius* de titulis litt. *H.* inde vsque *Ph.* comprehenſis agit.

p. 3. MACQUERUS quinque tantummodo *ſemimetalla* recitat, nimirum regulum Antimonii, Zinci, Biſmuthi, Cobalti et Arſenici, quibus poſtea regulum Niccoli addit. Hiſce vero Cl. LEONHARDI regulum *Magneſii* ſecundum GAHNII et BERGMANNI experimenta adiicit, deque ipſo hic vberius diſſerit. DE LA PEIROUSE aſſerit, lapidem roſeum, qui mineram auri Nagyagenſem vehat, eſſe Quarzum ſpatho calcareo mixtum et magneſio tinctum. Ferri mineris

inſtar

inſtar fluxus inſeruire magneſium, quum facile vitreſcat, easque, quae illud vehant, bonum exhibere chalybem.

Experimenta Cl. GAHNII et SCHEELII circa acidum phosphori in oſſibus, vngulis, cornubus animalium iam nouit quidem MACQUERUS, attamen ab illo tempore multa circa illud innotuerunt noua. p.193.
ROUELLE ſecundum SCHEELIUM cornu cerui vſtum in acido nitri ſoluit, et ſolutioni admiſcuit acidum vitrioli, vt hoc terram calcaream ab acido phoſphori et nitri ſecernat et in ſeleniten mutet. Miſtionem examinat, an acidum vitriolicum in ipſa praedominetur ope ſolutionis oſſium in acido nitri, aut an calx nitrata adhuc ſuperſit ope acidi vitrioli. Calx nitrata caeterum ſyrupum violarum ſemper tingebat colore viridi, ſolutio vero oſſium animalium in acido nitri efficiebat colorem rubrum. Liquorem leni tantummodo calore deſtillabat, et maſſam remanentem cum aqua in pultis formam redigebat, liquorem limpidum ab ipſa decantabat et cum duodecuplo ſpiritus vini commiſcebat, qui acidum phoſphori praecipitabat, quod conſiſtentia reſinae Ialapae recens paratae gaudebat, poſt candefactionem vero repentinam formam vitri cryſtallini acquirebat.

Ebur, oculi cancrorum et mater perlarum vix aliquid huius acidi exhibuere. — DE MORVEAU, MARET et DURANDE ſolo acido vitriolico ipſum ex oſſibus calcinatis extraxerunt. — Cl. CRELLIUS hoc acidum ope ſalis alcalini volatilis a terra calcarea in oſſibus vel cornubus animalium, ipſisque humanis oſſibus ſecernere docuit. — BERNIARDI experimenta Interpretis noſtri coniecturam confirmarunt, ouorum teſtas quoque hoc acidum continere. DE BOUILLON ipſum e ſpinis piſcium obtinuit. Secundum BARTHOLET aqua calcis vrinae recenti admiſta praecipitatum efficit, quod multum huius acidi exhibet. Sed PROUST multis experimentis probauit, acidum

acidum phoſphori, quod ex oſſibus animalium vel ſale fuſibili vrinae obtinetur, nequaquam eſſe purum, id quod ſolummodo de illo dici poſſe, quod per deliqueſcentiam ipſius phoſphori paratur.

p. 404. Etſi articulus *Gas* cum adnotationibus et commentariis Interpretis multas paginas tomi praecedentis expleret, maximamque eius partem conſtitueret; attamen multa ſupererant adnotanda, quae in articulo, *aër,* collegit, ipſique adiecit. Quum tot tamque clare inter ſe diſcrepantibus ſubſtantiis tribuatur nomen aëris, de illa eam definitionem ponit, vt ſit ſubſtantia fluida, inuiſibilis, grauis, elaſtica, calore rarefacienda et frigore condenſanda, in vaſe vitreo bene obturato aſſeruanda, nec vllo frigoris gradu in materiam viſibilem fluidam aut ſolidam congelanda. Quibus notis omnino omnes aëris ſpecies a luce, igne, materia electrica et magnetica et vaporibus facile diſcernuntur. Nonne vero acidum ſalis dephlogiſticatum quoque pro aëris factitii ſpecie haberi debet, etſi viſibilis et colore flauo ſit tinctum? Nullo enim gelu, ſicuti vapor, in liquorem cogi poteſt, ſed potius elaterem retinet. Varias aëris ſpecies in duas diſpeſcit claſſes, in *reſpirabiles* ſeu veri aëris ſpecies, quo *aërem atmoſphaericum* et *gas dephlogiſticatum* refert; et *irreſpirabiles* ſeu *mephitides*, quae nec reſpirationi inſeruiunt, nec flammam alunt. Has vero in duos ordines diuidit, in *combuſtibiles, vti gas inflammabile*, *hepaticum et alcalinum volatile*, et illas, quae combuſtionis ſunt expertes, quae vero *vel* aqua ſolui poſſunt, vti aër fixus ſeu *gas mephiticum* MACQUERI, *gas acidum nitroſum*, *muriaticum, ſulphureum*, *fluoris mineralis*, et, ſi vllum datur, *gas acetoſum; vel* ſolutionem in aqua reſpuunt, quo pertinent *gas nitroſum* et *aër phlogiſticatus.* Spatii penuria nobis non permittit, caetera, quae Noſter in hoc articulo tradit, adſcribere, e. g. BERGMANNI ſententiam de generatione et ortu variarum aëris

ſpecie-

ſpecierum, illam ACHARDII de aëre inflammabili, ſuique ipſius probationes de natura acida aëris fixi peculiari.

Multis itidem hunc tomum locupletauit articulis nouis, quae in opere gallico deficiunt, quorſum inprimis pertinent: *(p. 25) reſina elaſtica; (p. 58) Indigo; (p. 114) vſtio calcis; (p. 243) confectio carbonum; (p. 247) copal; (p. 358) corii* et *pellium animalium praeparatio; (p. 391) tubus ferruminatorius; (p. 569) vinum et ſpiritus ardens e lacte animalium paratus; (p. 572) acetum e ſero lactis; (p. 724) Orleana; (p. 724) color purpureus e lichene roccellae et parello.*

Tomum quartum conſtituunt tituli ſub litteris *Pill* inde vsque ad *See* comprehenſi.

Experimenta ill. com. DE SICKINGEN circa *Platinum* tunc temporis nondum erant typis expreſſa, attamen ex amicorum relationibus iam hic adducit Noſter, illum idipſum malleabile reddidiſſe poſt depurationem ab omnibus inquinamentis ferri. Platinum tunc in laminas et fila redigi poteſt, ſeque tenaciorem praeſtat auro. Minime vero ex auro et ferro eſt compoſitum, cum haec variis rationibus inter ſe mixta nullam exhibuerunt materiam, quae platino ſimilis fuit. Puriſſimum platinum magnete non vltra attrahitur. p. 3.

Quando in confectione *mercurii dulcis* inter miſcendum mercurium ſublimatum corroſiuum cum mercurio viuo additum fuit aliquid aquae, vitrum, quod ſublimationi miſcelae inſeruit, non ſtatim ab initio ſublimationis obturari debet, ſed tunc demum, quando omnis humiditas euaporata eſt. — Ad ſublimationem mercurii dulcis minor caloris gradus requiritur, illo, quem mercurii corroſiui ſublimatio poſcit. Ignis iuſto validior ſublimatum reddit nigrum, vti WILSON notauit, nec ſine addito ſale p. 203.

com-

communi iteratae ſublimationes id reddere poſſunt album. Veroſimile eſt, hanc nigredinem mercurio crudo cum dulci intime mixto ortum debere. — MACQUERUS exiſtimat, reſiduum, quod facta ſublimatione in fundo vitri ſupereſt fixum, eſſe terreſtre quid; ſed ſecundum BEAUMÉ et CRELLIUM multo magis eſt crocus martis. Saepe vero illud fuiſſe veram calcem mercurii, WEIGELIUS adnotauit. — Iam ZWELFERUS commendauit methodum depurandi mercurium dulcem ab omni inquinamento cum mercurio corroſiuo, qui ne repetitis quidem ſublimationibus penitus ſecerni poteſt, ope edulcorationis cum aqua feruida. Cui vero illa, quam BEAUMÉ ſuadet, praeferenda eſt, vt loco aquae purae ſumatur ſolutio ſalis ammoniaci in multa aqua, quia huius ope mercurius corroſiuus facillime ſoluitur. (Sane optandum foret, vt in omnibus diſpenſatoriis haecce edulcoratio mercurii dulcis, qui vſui interno deſtinatus eſt, praeſcriberetur pharmacopoeis!) — Confectionem huius medicamenti iuxta SCHEELIUM via humida hic quoque adducit Cl. LEONHARDI.

p. 416. Commentationes de ſalibus, eorumque diuerſis ſpeciebus maximam huius tomi partem explent, et nimis operoſus longusque labor eſſet, ſi omnes ac ſingulas, quibus auxit hoſce articulos, in compendium redigere vellemus adnotationes et ſupplementa.

p. 632. Inter titulos, quos fruſtra in gallico opere quaeres, praecipue hic adnotandum eſt *acidum ſalis dephlogiſticatum.* Cl. SCHEELIUS hoc primus parare detexit, eiusque inuentum multis phaenomenis in chemia affert lucem. Si acidi ſalis concentrati tres partes ab vna parte magneſii puluerifati per retortam vitream in balneo arenae deſtillantur, acidum ſalis dephlogiſticatum in vas recipiens tranſit ſub forma vaporis citrini. Iuncturae vaſorum tantummodo charta bibula obuolutae ſint neceſſe eſt, et vas recipiens

piens aliquid aquae contineat. Hoc toties mutatur, quoties repletum eſt vapore. Quo facto ſtatim obturatur. (Hanc vero methodum eo modo adhuc corrigi poſſe, vt deſtillatio inſtituatur ope apparatus pneumatico-chemici aqua repleti, ſicuti aliarum aëris factitii ſpecierum, propria experientia edocti ſumus; tali modo vapores pulmonibus perniciofiſſimos facilius euitare poſſumus). In hoc proceſſu magneſium ob maiorem affinitatem phlogiſton acidi ſalis attrahit, et hoc dephlogiſticatum efficit, quod nunc vaporis, vel potius aëris, forma in vas recipiens tranſit.— Acidum hoc dephlogiſticatum difficilius aquae nubit. Obturamenta vitrorum e ligno ſubere mox corrodit et flauos reddit. Colorem plantarum et florum, et chartae ſucco heliotropii tinctae breui tempore aufert, eumque in album mutat. Ignis in ipſo ſtatim exſtinguitur, inſecta moriuntur. Olea expreſſa et animalium pinguedines in tenacem condenſantur maſſam, color vitrioli martis viridis in rubrum mutatur, cinnabaris ſuperficies colore albo tingitur et deſtruitur. Nam acidum phlogiſticatum eum et argentum viuum ſtatim in mercurium corroſiuum ſoluit. Alcalina ſalia in eadem mutat ſalia neutra, vt acidum vulgare ſalis communis; id quod cum terris quoque accidit abſorbentibus. Omnia metalla ſoluit, illaque ipſa, quibuscum vulgare acidum ſalis ſine praeparatione nullam init combinationem. Aurum mox ſoluit, et alcali volatile hac ex ſolutione aurum fulminans praecipitat. Quam luculentiſſime nunc naturam aquae regis eiusque effectus in aurum perſpicere poſſumus.

Terra ponderoſa, itidem a SCHEELIO detecta, p. 773. nouum hic efficit articulum. Quoad qualitates et relationes ab omnibus aliis differt terris alcalinis. In magneſio eam primus inuenit SCHEELE, quem poſtea GAHNIUS docuit, quod ipſa partem efficiat conſtitutiuam ſpathi ponderoſi, quam MARGGRAFIUS cal-

careum

caream falſo credidit. Cl. LEONHARDI hic methodum SCHEELII et BERGMANNI tradit terram hanc ab acido vitriolico in ſpatho ponderoſo ſeparandi, (cui vero optimo iure illam WIEGLEBII praeferimus), relationes terrae purae ad acidum aëreum et vitriolicum, qualitates terrae ponderoſae vſtae, ſalia media, quae cum acidis mineralibus et vegetabilibus exhibet, et affinitates varias ſecundum BERGMANNUM prolixius exponit.

T. V. *Tomus quintus* tandem titulos ſub littera *Sei* inde vsque *Z.* indicatos complectitur.

p. 147. Ad confectionem *tartari emetici* MACQUERUS *puluerem Algaroth* ſumere iubet, quo medicamentum obtineatur ſemper ſibi quoad effectus et vires aequale. HOEPFNERUS, qui multa experimenta circa optimam praeparationem tartari emetici inſtituit, perhibet, illum, qui ex vitro antimonii paratus ſit, validiorem, viliorique pretio conficiendum eſſe. At Cl. LEONHARDI hic experimenta illa pertractat, et argumentis HOEPFNERI de maioribus viribus emeticis medicamenti ſecundum ipſius praeſcriptionem parati ſe non conuictum eſſe confitetur. Merito monet, reſpectu tam heroicorum medicamentorum, quale tartarus emeticus eſt, cuiusque certam et conſtitutam doſin medici tam chemiae gnari quam ignari praeſcribere ſolent, nullam mutationem in praeſcriptione praeparationis moliendam, ſed potius morem a longo tempore ſolitum ſeruandum eſſe, ne medici minus cauti periculum ſubeant, damnum inferre, quod alias minus fecerint.

p. 322. Vnicam tantummodo *antimonii tincturam* refert MACQUERUS, ſcilicet *tartariſatam.* Plura adiecit Interpres noſter, earumque praeparationem et differentiam. *Tinctura antimonii nigra*, *ſeu mineralis amara*, viribus et effectu tartariſatam ſuperat, quum maiorem vehat copiam ſulphuris antimonialis. *Tin-*

ctura

ctura antimonii genuina MANGOLDI e ſulphure aurato cum tinctura antimonii acri digeſto parata cum illa conuenit, multum continet ſulphur antimonii. *Tinctura antimonii ſaponata* SCHULZII vix aliquid ſulphuris antimonii vehit, et nil, niſi ſolutio ſaponis in tinctura tartari eſt. *Tinctura* vero *antimonii ſaponata* IACOBI ſeu *ſulphur antimonii auratum liquidum* ſolutionem efficit huius ſulphuris in concentrata tinctura antimonii acri. Facile vero rancida euadit, ſicuti omnes tincturae ſaponaceae, et ſulphur temporis mora ex illa deiicitur. *Tinctura antimonii* THEDENII, quam BASILIUS VALENTINUS iamiam cognouit, eſt ſolutio terrae foliatae tartari aliquot particulis ſulphureis antimonii nupta. *Tinctura antimonii acris*, quae iuxta DEHNII praeſcriptionem optime parata, nullas continet regulinas partes antimonii, et mere conuenit cum tinctura metallorum ſeu tartari. *Sapo chemicus* ſeu *tinctura alcalina veneris et antimonii*, *iuniperinus* DIPPELII, itidem eſt tinctura antimonii tartariſata cum oleo Iuniperi imbuta. *Tinctura antimonii* HUXHAMI eſt ſolutio vitri antimonii vinoſa, nec praecedentibus analoga. Cui vero ſolutio tartari emetici extemporanea in vino dulci longe praeferenda eſt, quum temporis tractu vires mutet et praecipitatum deponat.

Acidum Tartari purum ſimili modo omiſit MAC- p. 665.
QUERUS inter articulos generaliores, quapropter Interpres illud proprio adiecit titulo. Quid nomine acidi tartari vulgo intelligatur explicat, eius praeparationem ſecundum SCHEELIUM, qui primus acidum tartari purum parare docuit, tradit, aetiologiam proceſſus et varias relationes huius acidi ad alia corpora fuſius exponit. Salia neutra, et neutra, quae conſtituit acidum tartari, eiusque effectus in metalla ſaliaque, quae cum ipſis efficit, metallica ſecundum RETZIUM et PAECKEN, affinitatesque ſecundum BERGMANNUM recitat. Hoc vero acidum tartari

 nil

nil niſi acidum ſacchari eſſe maiori copia phlogiſti modificatum, vti HERMBSTAEDT probauit, Noſtro illo tempore adhuc latuit.

Quum vero ſoli articuli generaliores indicari poterant ordine alphabetico, in largiſſima illa rerum ac verborum copia omnino neceſſe erat, vt indices adiicerentur. Quos ipſe Noſter componit, eosque *tomo ſexto* locupletiſſimos elaborauit. Labor, quam maxime ſane taedioſus et operoſus! Antea vero, praeter nonnullos in prioribus tomis omiſſos articulos, methodum adhuc indicat, (p. 10), qua totum opus ſerie connexa ordineque ſyſtematico perlegi poſſit. Indices quatuor conſtruxit, ſcilicet *vocum gallicarum*, *latinarum*, *rerum* et *ſcriptorum* et *obſervatorum chemicorum*. Recentiſſimas obſeruationes et detecta, quae tum temporis, quum opus in lucem ederet, nondum nota erant, ſparſim indici reali inſeruit, quia haec omnia peculiaribus ſupplementis colliget et in lucem edet.

Sane nunc chemia noſtra de opere gloriari poteſt, quali paucae aliae ſcientiae gaudent!

XXVIII.

Gemeinnützige Aufſätze für Geſunde und Kranke aus dem Reiche der Arzneykunde, Berlin 1783, bey S. F. Heſſe, pagg. 248. in 8.

i. e.

Commentationes medicae in ſanorum aeque ac aegrotorum vſus publicatae.

Hoc potiſſimum fuit VDENII, libelli huius auctoris, propoſitum, vt ſeruandae ſecundae valitudinis praecepta lectoribus ſuis daret, ſimulque euentus, quibus neglectus eorundem anſam praeberet, accurate deſcriberet, ac praeterea, vtut nullas medendi rationes, nec remediorum formulas, diaetetica tamen

men auxilia aegrotis variis profutura commendaret, rectamque eorum adhibendorum methodum ipſis cognitam redderet. Non ergo noua, prorſusque inaudita ſunt, quae hoc volumine continentur, placita, neque tamen adeo trita et in vulgus nota, vt iisdem denuo diuulgandis ſuperſedere Auctor potuiſſet, quorum quippe repetitam lectionem potius multis perutilem futuram cenſeamus, quae ſit variis praeconceptis opinionibus diluendis, euellendisque admodum idonea. Laudabimus quaedam ſumma libri capita, vt, quibus potiſſimum argumentis illuſtrandis Auctor operam dederit, quodammodo pateat.

Quum aër, quo nemo carere poſſit, nullibi purus inueniatur, ſed maiorem mox, mox minorem portionem alienarum particularum admixtam habeat, qua minus aptus ad reſpirationem, caet. reddatur, neceſſe omnino eſt, vt, qui ſui corporis curam habere velit, eum ſtudioſe vitet, qui valde diues impuritatibus ſit, aut cauſſas remouere ſtudeat, quibus aër ſalubris in eum verti poſſit, qui ſanitati noxius habeatur. Hinc calore nimio elaſtica virtute orbatus, aut putridis, ſalinis, aliisque exhalationibus humano corpori haud proficuis diues, aut terreſtris materiei plenus, caet. aër, ſi prorſus vitari nequit, mutandus et in ſalubrem conuertendus eſt, vt noxios effectus producere queat nullos. Hic ipſe autem finis variis obtineri artificiis poteſt, quae, qualia ſint, breuiter Auctor declarauit, ſuumque ſermonem idoneis argumentis ſtabiliuit. p. 21.

De potulentorum calidorum, infuſi theae et caffeae inprimis, noxiis in humanum corpus effectibus varia Auctor teſtimonia profert, colligitque, matutinum calidi potus vſum ad diluendam ſiccam mucilaginem, quae in faucibus, internoque ore ſe tempore nocturno accumulauit, quodammodo concedendum, peruerſam autem conſuetudinem, poſt p. 121.

meridiem infuſum caffeae, et aliquot ante coenam horas infuſum theae, caet. bibendi, omnino interdicendam eſſe.

p. 169. Aluina obſtructio quemadmodum a variis, iisque vel magis, vel minus grauibus, cauſſis produci poteſt, ita etiam aliis mox, mox aliis mediis tollitur, quae cauſſis illis remouendis vere aptae ſunt; horum autem auxiliorum varia, quibus potiſſimum ſani homines ad aluum liberam ſeruandam conferre poſſint, diaetetica ſunt, quorſum corporis motus, aptus ciborum delectus, potus, caet. pertinent, quae ipſis medicis auxiliis quandoque praeſtant, et proinde hic deſcripta et ſtudioſe lectoribus commendata ſunt.

p. 202. Sanguinis per vaſa arterioſa et venoſa circuitus qualis in ſano homine ſit, quanquam cognitum ſatis eſt atque perſpectum, breuem tamen Auctor huius ipſius fluxus adumbrationem exhibuit, et praeterea nonnullas alias animales actiones, velut ciborum in ventriculum iter, caet. ita deſcripſit, vt ab iis etiam, qui ab arte medica plane alieni ſint, facile intelligi queant. Quare omnino non dubitamus, fore, vt, quibus dicatus hic libellus eſt, vtilis admodum atque proficuus eſſe poſſit.

XXIX.

Aphoriſmi de Tartaro Antimoniali, quos — Praeſ. Doct. CHRIST. WOLLIN, Med. Reg. et Med. Prof. Ord. pro Gradu Doctoris ventilandos exhibet IO. HARDTMAN — d. 21 Dec. 1782. Lundae. 4. plagg. 2.

Tartarus antimonialis ex pulueris Algarothi vnc. 4 cum cremoris tartari vnc. 5 in vaſe vitreo coquendo paratur (§. III.); laudatur ad lentam et viſcidam materiam, in ventriculo fluctuantem nauſeamque mouentem,

tem, emeſi eiiciendam (gr. IV. cum ſacch. gr. XXX. trit. add. crem. tart. drachm. IV. M. div. in p. aequ. VIII, ſingulis horis dandas, donec ſequatur emeſis) ad reſerandas obſtructiones, paralyſes tollendas, vt emeticum, praemiſſis praemittendis datum, praeſertim vero hic praeſtantia vſus antifebrilis cet. in doſi refracti exponitur (§. IV.) ſic commendantur: in ſynocha ſ. febre continua remittente ſublata diatheſi phlogiſtica granum vnum, cum antimonii diaphoretici ſcrup. IV. miſcendum, diuidend. in p. aequ. quatuor, alternis horis ſumendas, donec lenis profluat ſudor, calidis diluentibus ſuſtinendus (§. V.); in ſynocho ſ. febre putrida, praemiſſis laxantibus lenioribus et diluentibus, grana II cum ſacch. albi ſcrupulo pulueriſque nitroſi vncia mixta, diuiſa in p. aequ. XVI alternis horis propinandas, ſimul ſumto decocto hordei vitriolico acido acidulato, inſequente cort. peruv. vſu (§. VI.); in cynanche maligna doſi refracta vna cum cortice peruuiano et gargariſmatibus (§. VII.); in pleuritide et peripneumonia, ad reſtituendam expectorationem ſuppreſſam, grana III cum oxymell. ſcillit. drachm. IV et aquae menthae vnc. IV redigenda in mixturam, cuius cochlear vnum alternis, vel, ſi nauſeam moueat, dimidium ſingulis horis dandum, donec ſoluatur expectoratio (§. VIII.); in rheumatiſmo acuto, methodo §. V. exhibita, ſublata venaeſectionibus et ſalibus cathartícis diatheſi phlogiſtica, ad abſoluendam ſudore promouendo curationem (§. IX.); in ipſa peſte, initio vt emeticum, dein doſi refracta, ad normam §. V, iuncto decocto hordei, ſale medio adſperſo, vel, ſi laudata a Cl. CULLEN cum opio et ſale medio combinatio placeat, ſalis ammon. drachmae II, tart. antim. Extr. opii ana granum vnum, mixta diuiſaque in p. aequ. IV, ſingulis horis medicis propinandas, donec eliciatur ſudor, vocato ſimul in auxilium cortice peruuiano (§. X.); in variolarum initio tar-

 tarus

tarus antimonialis vt emeticum, in confluentibus laxantia refrigerantia eodem acuata, v. g. pro adultis tart. antim. gr. I. trit. cum ſacch. albi gr. XXX. ſal. mirab. Glaub. vnc. I. M. diuiſ. in p. aequ. VIII. ſingulis horis propinandas, donec ſoluatur aluus, quin et in febre confluentium ſecundaria nil praeſtantius ſit tartaro antimoniali, refracta doſi, ſed ita, vt nauſeam pariat, interdum vomitum, dato, abſoluente curam cortice peruuiano (§. XI.); in febre ſcarlatina, praemiſſa V. ſ., tart. antim. refracta doſi, ſcopo laxandi, iuncto ſale mirabili (§. XII.); in febre catarrhali, poſt V. S., tart. antim. vt vomitorium, dein refracta doſi, ad eliciendum ſudorem (§. XIII.); in dyſenteria, gr. II. trit. cum ſacch. alb. ſcrup. II. add. ſal. cathart. Angl. vnc. I. M. diuiſ. in p. aequ. VIII. ſingulis horis dandas, vt bene purgetur aluus (§. XIV.). His expoſitis camphorata in turbandis paroxyſmis febrilibus, tartaro antimoniali palmam eripere, et ipecacuanham eiusdem vices ſupplere poſſe, negat Noſter (§. XIV. XV), qui eundem, ſalibus catharticis iunctum, vires eorum intendere, vt efficacius aluum ducant, ipſumque hoc pacto maiori propinari poſſe doſi abſque vomitu, aſſerit (§. XVII.), et e dictis concludit, tartarum antimonialem excellentiſſimum eſſe medicamentum antifebrile, nunquam iners, ſemper actiuum, pulcherrimos ſuos effectus palam monſtrans, quando recta propinetur manu (§. XVIII).

XXX.

Tal, om viſſa ſvårigheter och andra omſtändigheter, ſom möta vid utöfvandet af Chymien; hållet för Kongl. Vetensk. Academien, vid Praeſidii Nedläggande, den 6 Nov. 1782. af GUST. VON ENGESTRÖM. Stockh. 1782. pl. 1½.

i. e.

Oratio, de quibusdam difficultatibus aliisque circumſtantiis Chemiam exercitaturo obviis etc. auct. GUST. VON ENGESTROM S. R. M. Suec. a Conſil. Metall.

Quantumcunque copioſis hoc aeuo chemia ditata ſit detectis, laborare tamen contradictionibus, illam exercitaturo ſaepe inter propria alienaque experimenta obuiis, monet Cel. Auctor et probationis loco affert exempla. Primum eſt fluoris, quem indagarint MARGGRAF et SCHEELE, hic calce pro- p. 2
prioque aſſeruerit conſtare acido, aſſentiente WIEG- p. 3.
LEBIO, aſt phoſphori acidum eſſe SAGE, vitriolicum MONNET, ac muriaticum Gallus quidam mutuato nomine BOULANGERI cum ABILGAARDIO affirmarint; cuius acidum aqua vnitum generare terram ſiliceam SCHEELIO viſum ſit, quam contra ob- p. 4.
tentam terram MARGGRAF et ACHARD peculiarem habuerint, in fluore praeexiſtentem, SAGE acido phoſphorico fluoris et terra vaſis vitrei ſoluta abſorbente productam, PRIESTLEY et MONNET e fluore ipſo per acidum vitrioli expulſam, WIEGLEB et CRELL autem ſiliceam vaſis vitrei acido ſub deſtillatione ſolutam. Similiter mineram plumbi ſpathoſam albam calce plumbi acidoque ſalis compoſitam contendiſſe, monet Noſter, SAGE, SPIELMANNUM, WOULFFE, aſt negaſſe LABORIE, MONNET, MACQUER, CADET, BOURDELIN, LAVOISIER, p. 5.
MALOUIN, BAUME', Cll. viros. Neque minus dif- p. 6.
ferre de acido pingui MEYERIANAM ac de aëre fixo BLACKIANAM ſententias, quibus componendis IES- p. 7.
METH manus praebuerit, pergit Cl. Auctor, LAVOISIERUM et PRIESTLEYUM, quod prae caeteris abs- p. 8.
que partium ſtudio expoſuerint, laudans et Cl[i] DE LA FOLIE obiectiones quasdam, contra aëris fixi

 theo-

theoriam propoſitas, (qui nempe, cum plumbi lothones 12 calcinatione duobus augeantur, ſi hoc augmentum aëri fixo tribuendum, 700 pollices cubici aëris, quot nempe duobus lothonibus reſpondeant, 12 ſemiunciis plumbi impingi poſſint, qui admiſceri poſſint absque inſigni voluminis augmento, et cur, cum elaſticus dicatur aër fixus, ac vltra 30 grana aëris ad effectum violentum ſclopeti pneumatici non requirantur, illi 700 poll. cub. ſ. 2. ſemunciae aëris, e 12 loth. plumbi expulſi, exploſionem non ef-
p. 9. ficiant, adhuc magis periculoſam? qui,, mercurium per ſe calcinando maiorique aeſtu reuificando, ſolius ignis ope figi et iterum volatiliſari poſſit aër?) Porro, vbi propriae indagationi locus non detur, quam parum fidendum ſit alienis iudiciis, diuerſae epiſtolae Cl[i] DEMESTE in diariis, *Eſprit des Journaux et Journal des Sçavans* dictis, diiudicationis exemplo
p. 12. illuſtrat Noſter, recte confuſionem potius inde timens ſcientiarum, quam propagationem. Sique ſaepe vacillet chemia proprie ſic dicta, adhuc pluribus laborare non poſſe non monens alchemiam, in qua perpauca ſint extricata, nihili facile cenſenda, quam-
p. 13. vis negandum non ſit, lapidem philoſophorum quaerentes interdum alia detexiſſe vtilia non minus attentione digna. Quanti et hic occurrant diſſenſus, fabulis probat Graecis Aegyptiisque ſignisue hierogly-
p. 14. phicis, quorum haec alchemiae cauſſa detecta putauerit PERNETTY, conſtellationum deſcriptionem cenſuerit DUPUIS, ad iterum penes arcticum polum detectum ſuum regnum atlanticum requiſiuerit BAILLY,
p. 15. et ex illis Troiani obſidii Colchicique velleris fabulae non maiori iure in vſum alchemiae ſint adductae.
p. 16. Tandem, quam SWABIO tribuere voluerunt recentiores quidam, tubi ferruminatorii ad indaganda mineralia adhibendi inuentionem, CRONSTEDTIO vin-
p. 17. dicat Cel. Auctor, et veterum detecta ſaepe pro nouis propriisque venditari ab hodierni aeui ſcriptori-

bus

bus indicata a Cl. TENNETAR probat, auri argentique, cum ſaliua terendo, calcinatione, quae dudum iam deſcripta in KELLNERI *officina chymico-metallica curioſa* ſit reperiunda. p. 18.

XXXI.

Chirurgical Eſſays, on the cauſes and ſymptoms of ruptures; their natural conſequences, if neglected; and the various dangers in applying truſſes. With caſes to illuſtrated the ſucceſs of an improved method of treatment and cure. By T. BRAND, Member of the Corporation of Surgeons in London, and Surgeon Extraordinary in Caſes of Ruptures to this Majeſty's Royal Hoſpital at Greenwich. To which are added, the Opinions of the late Sir EDWARD BARRY; and JOHN HUNTER, Eſq; Surgeon Extraordinary to the King, confirming the peculiar Efficiency of the Elaſtic Bandages applied by the Author. — London 1782. 8maj.

Remarks on Mr. BRAND's Chirurgical Eſſays on the Cauſes and Symptoms of Ruptures, their natural Conſequences, if neglected, and the various Dangers in applying Truſſes; with a ſhort but true hiſtory of the invention of Mr. BRAND's patent Elaſtic Truſſes: intended to ſhew how will He is qualified to be the Head of his Profeſſion, and cenſure all others as ignorant and preſumptuous. To which are added, an Attempt to eſtabliſh a Criterion to diſtinguiſh the

Empiric from the fair Practitioner in Rupture Caſes, and Queries to Mr. BRAND on Particulars that are ſaid to conſtitute Part, if not the Whole of his improved Method of Treatment and Cure. By *T. Sheldrake*, Junior, Truſs-maker — London 1782. 8maj.

In priori ſcripto Cl. BRAND generalia de ortu, diagnoſi et prognoſi herniarum inguinalium proponit, caſusque nonnullos allegat, vbi partim diagnoſis falſa damnum induxit, partim neglectus auxiliorum vel iuſto tempore inſtituendae operationis funeſtum euentum induxit, partim auxilia ab auctore ipſo adhibita bonum effectum praeſtiterunt. Quum vero acrius in eos, qui bracheria conficiunt, inuectus fuerit, quamuis ſolis fere verbis Cll. ARNAUD et POTT vſus, hoc aegre tuliſſe fertur aduerſarius eius, alterius ſcripti auctor, in quo primum docet, Cl. BRAND patrem, ex ſeruitio militari ob herniam dimiſſum, ſibi ipſi bracherium confeciſſe, cuius forma in conficiendis aliis vſus ſit, ſibique coëmiſſe priuilegium, quo inuentor bracheriorum elaſticorum declaratus ſit, hanc vero fraudem poſtea coram iudicio patefactam oſtenſumque fuiſſe, iam ante propemodum triginta annos quendam Cl. BLAKEY hoc inuentum Pariſiis retuliſſe, aliosque idem imitatos eſſe, idque melius, quam Cl. BRAND; huncque ideo repudiatum, priuilegiumque eius ſubdole acquiſitum pronunciatum fuiſſe. Poſtmodum per partes libellum Cl^i BRAND, mendasque hinc illinc obuias ſatis acriter perſtringit; teſtimonia allata diiudicat, monetque, Cl. BARRY iam antea mortuum eſſe, quam priuilegium Cl^i BRAND in forum delatum fuerit, adeoque non patere, vtrum patri, an filio datum ſit hoc teſtimonium; ac tandem quaeſtiones admodum

dum acres ſubiungit, quae illum non ignorantiae tantum et defectus neceſſariae dexteritatis, ſed ſordidae etiam auaritiae accuſant. Ceterum noui quicquam, quod ad augendam ſcientiam aliquid conferre poſſit, in neutro horum libellorum inuenimus.

XXXII.

Kongl. Vetenſkaps Academien Nya Handlingar Tom IV. fŏr 1783. Stockholm, tryckte hos Iohann Georg Lange 1784. 8. p. 330. Tabb. X.

i. e.

Nova Acta Ac. R. Sc. Suecicae Tom. IV. ad ann. 1783.

Trimeſtre primum.

I. GUSTAVUS ab ENGESTRŎM lunae corneae reducendae modum faciliorem docet. Indidit aequas partes lunae corneae et cinerum clauellatorum 6 ſemuncias cuiusuis materiae retortae, quam balneo arenae immiſit, et igne, donec canderet retorta, aucto, deinde ſenſim imminuto, pauxillum phlegmatis reperit in recipiente retortae fundum igne fuſum; parietes ſale, quod ebullierat, obductos, maſſam inditam, exterius rubentem, interius filis argenteis refertam, quam aqua calida lotam, ſpongioſam, ſplendentem, animaduertit, aqua vero per filtrum miſſa, particulas argenteas in filtro collegit: omnia rurſus cum cineribus clauellatis igni in crucibulo expoſuit, et regulum argenteum obtinuit ſemuncias $4\frac{1}{2}$ argenti, ex 6 lunae corneae. Ita vero nihil argenti periiſſe, alio experimento ſe conuicit, ſemuncia argenti puri in aqua forti ſoluta, et ſale communi praecipitata, quae luna cornea facta pependit ſemuncias $1\frac{3}{8}$. (Itaque ſi pondera lunae corneae et argenti ſint in ratione $1\frac{3}{8}$: 1, vtique 6 ſemunciae lunae corneae continent p. 3.

argenti

argenti $4\frac{4}{11}$) Hanc, quam ipſe parauerat lunam corneam, etiam reduxit nullo detrimento. In crucibulo etiam aliam lunam corneam reduxit, et hoc modo expertus eſt, volatilem non eſſe, vt metuebatur.

p. 12. II. ANDR. EHRNSTRÔM deſcribit *praedium regium: Neukloſter*, ſitum in ducatu Megalopolitano.

p. 33. III. CAR. WILH. SCHEELE pergit explicare, *quid coloret in caeruleo berolinenſi;* ſed haec, niſi prolixius deſcribendo experimenta, huc non poſſunt transferri. Suſpicatur materiam hanc colorantem forma aërea exhiberi poſſe, etſi id ipſi nondum ſucceſſerit. Alcalicis aut calci iuncta, menſtruum efficit, quod calces metallicas ſoluit, et cum iis tripiex ſal medium conſtituit, quod ab acido aëreo non decomponitur. Neque materia haec ſolutiones metallorum ſecundum ſimplices adfinitatis leges decomponit, exceptis, argento in acido nitri ſoluto, mercurio in eodem acido, et metallis acido aëreo impraegnatis. Cum coeruleum berolinenſe non ſoluatur ab acidis, conſequens eſt, vt arctior affinitas ſit materiae in eo colorantis et ferri, quam acidorum et ferri, nihilominus, hac materia ſolutioni vitrioli ferri mixta, nulla conſequitur praecipitatio, quod quidem difficilius explicatu indicat.

p. 43. IIII. PETR. G. TELGMANN de *auibus* refert, quae in Vplandiae peninſula quadam *Almare Staek* habitant. Ea occaſione varia generatim ad ornithologiam facientia edit. *Falconis palumbarii* cera, nec obſcura, nec viridis eſt, vt in Syſt. Nat. dicitur,
p. 46. ſed colore citrino. Deſcribit *Strigem* capite laeui, corpore griſeo, maculis piſiformibus albis, iridibus flavis, quam a nullo ornithologorum deſcriptam reperit. Qui RUDBECKII ſplendidum opus poſſident, videant, an ſit eius noctua maior, oculorum iridib. croceis.
p. 47. Faun. Suec. n. 74. *Strix Stridula* non deſcribitur in Fn. Su. nec character eius ſufficienter ibi traditur, itaque

que hic deſcriptionem addit. Edit etiam deſcriptionem *Scolopacis fuſcae*, LINN. BRISS. *Tom. V. p.* 277. *Pl. 23. fig. 1.* Deſcribit item *Motacillas: Hippolaidem, ſalicariam, Schoenobenum, Atricapillam,* marem et feminam. Accuratius docet, quomodo differant *Motacilla curruca* et *ſyluia. Muſcicapam griſolam* credit in Fn. Su. relatam eſſe ſub nomine *Motacillae Ficedulae.* Veram Ficedulam in Suecia reperiri neſcit.

V. CASTEN RÖNNOW *anatomica obſeruatione* p. 55. oſtendere conatur, *quod os interdum ſanis foeteat, non a ventriculo eſſe, ſed ab oeſophago.* Patet, ſermonem non eſſe de iis, qui polypo narium laborant, aut quibus carnium particulae intra dentes putreſcunt. Noſter, cum Pariſiis capita cadauerum finderet, ad partium internarum ſtructuram melius cognoſcendam; ſeligeret autem ſana, dentibus omnibus praedita aetatis 30 aut 40 annorum: contigit ipſi, caput genubus ſuſtinenti, et in larynge remouendo occupato, epiglottidem vero verſus glottidem inclinanti, vt naſum eius foetor cadaueroſus feriret, ea vehementia, vt caput ex manibus dimitteret, licet illud ſatis recens videretur. In originem foetoris inquirens, ad latus, ſub baſi et cornubus maioribus oſſis hyoidei, in ſuprema parte oeſophagi, rugam circiter digitum longam reperit, duas aut tres lineas latam, plenam ciborum particulis comminutis, quales dentes cauos replere ſolent, hinc ſpargebatur ille foetor. Itaque ſi ſanis os foeteat, colligi poſſe creditur, in ſimili ruga oeſophagi cibos putreſcere, qui optime eiiciantur, vomitu procurato, qui has partes vehementer concutiat. Viſum ipſi eſt, rugam naſci ab eleuatione membranarum oeſophagi facta ope muſculorum laryngis ſubiacentium. Sed haec, exemplari ſuo parcens, vlterius proſequi non potuit.

VI. HENRICUS NICANDER, *machinae hydraulicae Wirzianae theoriam* exhibet. Inuentor ANDR. p. 59.

WIRZ

WIRZ ſtanni faber Tigurinus eius ope aquam e fluuio eleuauit. Tubus cauus ſpirae in modum torquetur et circa axem horizontalem ſpirae plano-rectum voluitur, axis in ſuperficie aquae eſt. Ita altero extremo haurit tubus aquam, altero extremo in tubum verticalem, qualem antliae habent, ſed embolo vacuum, propellit. DAN. BERNOULLIUS ex ſpira ſerpentem fecit, ſeu cochleam archimedeam, axe horizontali. Ita immutatam computat noſter.

p. 80. VII. OTHO FRID. MÜLLER deſcribit *duas plantulas microſcopicas* reperiundas in mari, qua *Seelandiam* et *Sconiam* alluit. Nudum oculum effugiunt, et non niſi attentius examinatae, inprimis quod motu carent, plantae agnoſcuntur. Vtraque ad Conferuas pertinet, et MÜLLERO pulchre imitari videntur partes ornatus muliebris. Prima ipſi eſt: C. *moniliformis (Perlenband)* filamentis inarticulatis ſerie globorum oualium inſtructis. His globis ſemina continentur. Altera *(Armband) C. armillaris* filamentis articulatis tripartitis, diſco roſaceo. Huius articuli, figura, coniunctione, ipſis ſeminibus quouis articulo contentis, proxime ad taeniam accedunt, ſed duritie, vitrea perſpicuitate, motus defectu, a verme diſtinguuntur. Picturae exhibentur.

p. 88. VIII. O. SWARTZ deſcribit nouam Sueciae plantam indigenam. Eſt illa: *Gentiana pulchella* corolla quinquefida infundibuliformi, tubo elongato, ſtilo ſimplici, caule ſimpliciſſimo, vix vnciali, vnifloro. Tubi et caulis conditionibus differt a *G. Centaurio*, ad quam alias proxime accedit. Copioſam inter gramina reperit in inſula *Aoland* in parochia *Finſtroem* ad littora ſinus, quem mare ibi efficit. Figurae exhibentur, nudo oculo ſpectatae et aliquantulum auctae.

Trime-

Trimeſtre ſecundum.

I. SAMUEL OEDMAN de *hiſtoria generis Larorum*. Eius generis ſpecies diuerſiſſime ab auctoribus recenſentur, de ſynonymis multum diſputatur. Cuius cauſſam inprimis eſſe monet, quod pulli, donec adoleſcunt, plurimum, praecipue quoad colorem, mutantur, ne quidem remigibus et rectricibus exceptis, quorum colorem, aeque ac iridis, alias permanere in auibus PENNANT pronunciat. Character genericus *Lari* Noſtro eſt: Roſtrum rectum apice ſubadunco, mandibula inferiore gibba angulata, cera nulla. Nares lineares antice latiores in medio roſtri. Differentias ſpecificas a colore ſumi oportet. Eſt vero Larorum omnium pars inferior alba, dorſum et alae colores habent omnes inter album et nigrum intermedios, igitur et magnitudo conſideranda eſt. Pedum color, cui plurimum tribuit LINNEUS, non, niſi in aue omnino adulta, tutus eſt; quantum iunior abſit a ſtatu perfecto, color pedum minus aut magis ſaturatus oſtendit. Saepius conſpiciuntur Lari: canus, fuſcus et marinus, pedibus colore obſcuriore, qui labente tempore in flauum aut rubrum abit. Iam oeconomiam auis in genere deſcribit. Specierum aliae ſunt capite concolore, aliae nigro, omnium numerum ad octonarium reducit, enarratis vbique, quae varii auctores habent, quorum vel deſcriptiones, vel picturae, quomodo ad ſpecies pertineant, quas conſtituit, oſtendit; quaedam dubia relinquit. p. 89.

II. NICANDER continuat theoriam *machinae hydraulicae* Wirzianae. p. 122.

III. C. P. THUNBERG deſcribit nouum plantae genus, cui nomen *Houtuyniae* dedit. Pertinet ad polyandriam polygyniam. Character generis eſt: Calix 4phyllus, Cor. o. Stamina mixta piſtillis. Vnicam nouit ſpeciem, quam a foliis *cordatam* appellat. Satis copioſam reperit in Iaponia, inter metropolin p. 149.

tropolin Iedo et inſulam Dezima, vbi Batauorum mercatores habitant. Iaponenſibus *Do Ku Dami* vocatur, item Sjuujak.

p. 152. IV. NIC. BJERKANDER *erucam* deſcribit, quae ſecalis autumno ſati teneras plantulas depaſcitur, hyeme in terra degit, Maio in chryſalidem abit, ex qua ſub Iunii finem exit *Phalaena noctua conſpicillaris* Faun. Su. p. 314. Syſtem. Nat. p. 849. Plurimae plantulae deſtructae reperiuntur prope lapidum ſtrues aut finium rigores graminibus tectos, forte quod larva gramine nutriatur, donec ſecales plantulae progerminent.

p. 154. V. IO. STRÔM Profeſſor et paſtor in loco Egen, Norvegiae de *inſectis quibusdam marinis*: *Cancer Locuſta* quomodo a *C. Pulice* differat. Maior eſt, quam Locuſta, et pro magnitudinis ratione, antennas habet longiores, tenuiores, oculos rotundos, non oblongos, os magis obtuſum, chelae in extremo caudae breuiores ſunt pedibus, qui ſub cauda collocantur, cum in C. Pulice ſint aeque longae aut longiores. Cancer Pulex *Suecis Grundmårgla* vocatur, Norvegis *Marfiue*, Danis *Tangloppe*, ad oua edenda credit STRÔMIUS hunc cancrum vti paribus duobus pedum, quos ſub cauda habet; nam alium cancrum, a duobus, quos nominauit, diuerſum, illos pedes adhibere vidit ad protrudendos cancellos ex ſquamis ventris, quibus continebantur. Iidem vero pedes ſimul natatorii ſunt; vnde non mirum eſt, eſſe vtrique ſexui communes. Cancrum Pulicem retia piſcatorum deſtruere, Noſter, multum cum piſcatoribus verſatus, nunquam audiuit. Adhibent tum retibus picem fluidam et corticis alni decoctum, contra putredinem, quae quidem alibi contra cancros adhiberi refertur. Qua occaſione narrat, in Norvegia farinam et farinacea contra inſecta defendi vaſis ex ligno alni confectis, aut immiſſis alni ramis, item erucas braſſicam

deſtruen-

deſtruentes, alni ramo cum foliis, braſſicae impoſitis, fugari. Iam Oniſci ſcopulorum LINN. ſiſtit deſcriptionem et picturam. Tandem, quae FABRICIUS in it. Norveg. p. 383. appellauit Phalangii marini duo tentacula, non tentacula aut palpos eſſe contendit, ſed oui ductus.

VI. ADOLPHUS MODEER diſſertationi praecedenti quaedam addit. Ipſe inter piſcatores educatus, nullum audiuit queri de damno, quod Cancer pulex retibus inferat. Alni vero ligno certe non fugari inſecta, ſibi enim eſſe ſellas ex hoc ligno factas, quas chiliades cimicum habitauerint. Eaedem ſellae inductae erant corio ruſſico, igitur ne huius quidem odore arcebantur. Viridia vero alni folia vitant inſecta minora, ob humorem viſcoſum, quo tecta ſunt. p. 159.

Trimeſtre tertium.

I. P. VARGENTIN exhibet compendium obſ. *meteorologicarum Holmiae* annis 1758 — 64 inſtitutarum. p. 169.

II. ERIC. PROSPERIN conatur *elementa Planetae* ab *Herſchelio* detecti eruere. p. 178.

III. IO. CAR. WILCKE deſcribit nouam *Eudiometri* ſtructuram. Vtitur antliarum ſpecie, quae aërem examinandum ſugant: ſed ſine figuris de inuentis his diſſeri nequit. p. 192.

IV. HENR. NICANDER pergit in examinanda *machina Wirziana.* p. 202.

V. IO. L. ODHELIUS experimenta edit *de vi Ledi paluſtris contra Lepram*, ad quem morbum plurimum faciat ſordities et victus deterior. p. 224.

VI. PETR. IAC. HJELM inquirit, quatenus *terra calcarea ingrediatur ſaccharum.* Saccharum aqua forti ſoluit et ita tractauit, vt ſolet acidum ſacchari quaeri; item igne in crucibulo vſſit, ſemper addito acido vitrioli, gypſum obtinuit, itaque terra cal- p. 227.

carea ſaccharo inerat; nam nec ab aqua forti, nec a vaſis, nec aliunde illam acceſſiſſe certum ſe eſſe ait. Eius vero terrae tantillum ineſt, vt ab ea nihil metuendum ſit, vel immodice, qua de re queritur, adhibito ſaccharo; neque terram calcaream comitari acidum ſacchari, niſi ope oleoſi, quod ſaccharo ineſt.

p. 234. VII. RETZIUS de genere *Aſteriae.* Excuſandum LINNEUM, quod ab Oceano remotior, ſiccis exemplaribus, in ſpiritu vini ſeruatis, aut picturis vſus, non omnia recte docuerit. RETZIUS in itinere ad Scaniae litus occidentale, multas viuas vidit, ipſe non paucas adſeruat. Itaque iam tradit, quae ad illarum hiſtoriam ſupplendam et emendandam faciunt, plura forte daturus, cum maiorem ſpecierum numerum collegerit.

p. 244. VIII. C. P. THUNBERG addit quaedam de *Aſteriis* inprimis, quas in mari Indico obſeruauit. Tum haec animalia, tum alia maiora, etiam mammalia, antequam ſiccata explicentur, poſſunt in ſpiritu vini ſeruari, quo inſecta arcentur. Plura animalia in vno vaſe ſpiritu pleno ſi hoc modo in itinere transferenda ſint, conuenit, ſingula ſingulis inuolucris linteis tueri, ne concuſſa ſe mutuo laedant.

p.246. IX. Cl. BIERKANDER *laruam*, quae in fructibus *Rubi idaei* reperitur, educauit et in coleopterum abire vidit, quod *Anobium atrum* dicit et deſcribit. Larva non ipſo fructu rubi veſcitur, etſi illum ablatum ſequatur, ſed fundi parte, cui fructus inſidet.

Trimeſtre quartum.

p. 249. I. ION. THEOD. FAGRAEUS M. D. de *fermentationis vſu in agricultura.* Plantas non nutriri a craſſioribus particulis, quibus recipiendis pori ipſarum et ductus nimis anguſti ſint, ſed a materiis in maximam tenuitatem diuiſis, quas ex ipſo aëre foliorum ope attrahant. Itaque cum organica corpora fermentatione et putrefactione in particulas tenuiſſimas

mas reſoluantur, haec inprimis ad nutriendas plantas requiri. Cui fini quomodo fimus adhibendus ſit docet, cuius maximus vſus ſit, ad nutrimentum plantarum fermentatione et putrefactione euoluendum.

II. TORB. BERGMANN de *fontibus ſalutaribus Loka.* p. 256. Pauxillum acidi aërei continent, paulo plus aëris hepatici, ferri nihil, nihil acidi vitriolici. Qui effectus edantur ab aqua ſola intra corpus adſumta, non ſatis conſtat, quoniam plerumque balneo ſimul adhibetur. Fricantur, qui balneo vtuntur, limo, qui a ſphagno paluſtri ortus eſt, et pauxillum vitriolici continet. Subiungitur ingens catalogus morborum, quibus laborantes pauperes huc venerint, et ſimul indicatur, quot a quouis morbo conualuerint, aut non. Additur etiam loci ichnographia, in illa domus, quam rex eo accedens habitat, item hortus, cuius prima exordia propriis manibus ornarunt Rex, Regina et Principes Regii 1761, 1762.

III. ANDR. ROERING, adi. Chem. in acad. Oboenſ. *Chemice* examinauit *calculos bronchiales* tuſſi eiectos ab hectico, haemoptyſi, arthritide et variis aliis morbis laborante. Reperit illos, non arthriticos, calculis renum congeneres, quod initio credi poterat, ſed oſſeae naturae, ſcilicet terra conſtare, quae ſit calx vnita acido phoſphori, item materia aliqua in igne auolante, cuius natura ob exiguam calculorum quantitatem examinari non poterat, odor combuſtorum idem erat ac oſſium. Erant albidi, laeues, maximam partem paulo maiores capitulo acus, petiolo inſtructi, rarius in latera extenſi, formati, vt videbatur, in cryptis glandularum bronchialium, aut ex ipſis cellulis pulmonum eiecti. p. 267.

IV. D. MELANDERHIELM de *figura externae ſuperficiei tormentorum bellicorum maiorum*, quam ex eo definit, quod metalli cauum cylindricum tormenti p. 271.

includentis craſſities ea eſſe debeat, quae vim, qua materia elaſtica ex puluere accenſo nata ſe expandit, contineat.

p. 280. V. FRIDER. MALLET *paradoxum* quoddam *calculi integralis* a Dom. D'ALEMBERT editum, ex conſtante, quam addi oportet, explicat.

p. 284. VI. NICANDER, theoriae *machinae hydraulicae ſpiralis* continuationem *tertiam* edit, inprimis varia ſerpentium genera inter ſe comparans.

p. 299. VII. ADAM AFZELIUS phil. adiunct. Vpſaliae, deſcribit *fungi genus*, cui nomen: *Heluella.* Id multum ſimilitudinis habet cum Phallis et Pezizis, charactere tamen ſequenti generico diſtinguitur: Fungus turbinatus biformis, fructificatio ſupra pileum ſublaeuem ſparſa. Nullus enim dubitat, puluerem, quem fungi ſpargunt, ſemen eſſe, cum, illum ſerendo, plures fungorum ſpecies propagauerit. Tres autem diuiſiones facit Heluellarum; Pileo deflexo, plano, verticali. His octo ſpecies continentur, et aliquarum varietates. Nullam recepit, quam non ipſe poſſideat neque libros citat, niſi quos in manibus habuit, Schaeferi iconibus fungorum aegre caruit, quaedam imaginibus illuſtrat, aliorum figurae vbi reperiantur, indicat. Multa tamen hic, vt in aliis fungis, vlteriore diſquiſitione illuſtranda profitetur.

p. 313. VIII. SAMUEL OEDMANN, Comminiſter, edit obſeruata de *anate hiemali.* Character auis eſt: roſtri faſcia rubra, rectricibus duabus intermediis longiſſimis, ſpeculo alarum nullo, quo vltimo defectu ſatis diſtinguitur ab anate acuta, ſola cum qua confundi poſſit, cum non niſi hae duae ſpecies anatum rectricibus longioribus inſtructae ſint. Suecis appellatur *Alfogel!* varietates duae ſunt praecipuae, *Vinteral* forte errore calami mutatum in *Vinteraud* in
p. 317. LINN. Fn. Su. 125. et *Sommaral.* Quae aues ab auctoribus memoratae ad alterutram pertineant, recenſet, priorem vero, ſenem auem eſſe, alteram iuniorem,

rem, pluribus confirmare nititur. Ouis incubat intra circulum polarem, ingruente hyeme clementius ipſi eſt clima Sueciae cum vicinis. STELLERUS it. p. 321.
Kamtſchatkat. p. 89. cantui velut anatis 6 tonos tribuit, quos Noſter diſtinguere non potuit, fatetur tamen, ineſſe aliquid grati ſono, quem auis edit. Poſt varias modulationes, quas a-a-l — ſcribere poſſis, ſubito ſono *aglek* abrumpit. Inde Suecis *Al* appellatur, Groenlandis *Aglek;* In eodem ſono Kamtſchatenſes *Aangitſch* audire ſibi viſi ſunt, illoque nomine vocant. STELLERO cogitanti de mechaniſmo oeſophagi et laryngis, vnde oriatur haec auis vox, non ſubſcribit Noſter, qui ſimilem mechaniſmum in aliis auibus marinis reperit, et has aperturas pertinere credit ad moderandos aquae marinae effectus, quam, dum ſubmerguntur, ingurgitant. Anas hyemalis conchyliis veſcitur, quae comminuta in eius ventriculo Noſter reperit, in Groenlandia inprimis nutrimentum ipſi praebet *Mytilus diſcors.*

VIIII. ANDR. FALCK, Conrector, obſeruauit p. 323.
Eclipſin Lunae 10. Sept. 1783. *Skarae.*

X. CAR. WILH. SCHEELE examinat *materiam* p. 324.
dulcem, oleis expreſſis et pinguedinibus contentam. Occaſionem in haec inquirendi dediſſe ipſi videtur, quod in pharmacopoliis vocatur *emplaſtrum ſimplex,* et producitur coquendo olea pinguia et expreſſa cum aqua. Itaque coxit partem vnam calcis plumbi, vel lithargyrii, in puluerem tenuem redacti, cum duabus partibus olei recentis oliuarum, et vna parte aquae, ſpathula perpetuo mixturam agitando, donec oleum omnem calcem plumbi ſoluerit, tunc rurſus additur pars vna aquae, et ebullitio continuatur per minuta vnum aut duo, dein remoto aheno ab igne et emplaſtro refrigerato, decantatur aqua, quae ſuperſtat, et hanc dulcedinem continet, haec aqua filtratur, et coquendo inſpiſſatur ad ſyrupum. Dulcedinem hanc non eſſe ab acido quodam olei, quod calcis

plumbi quidpiam ſoluerit, inde probat, quod, additis alcalicis, aut acido vitrioli, nihil calcis praecipitetur, niſi forte oleum vetuſtum ſit et rancidum; tunc enim paululum calcis continet, id vero, caute addendo acidum vitrioli, facile ſeparatur. Omnino ſimilem dulcedinem eodem modo obtinuit ex oleo amygdalarum, raphani, lini, illo, quod acidorum ope a ſapone ſeparatur, butyro, pinguedine ſuilla. Igitur oleis pinguibus quibuscunque ineſt dulcedo, quae a ſaccharo et melle his rebus differt: 1) non abit in cryſtallos. 2) Ignem fert, longe fortiorem, antequam deſtruatur, et tunc etiam pars eius, nihil mutata, manente dulcedine, tranſit in vas recipiens. 3) Non fermentat, 4) miſcetur ſolutionibus ſpirituoſis alcalicis. Haec omnia ex eo naſci credit, quod plus phlogiſtici inſit huic pinguium dulcedini; id colligit inde, quod magna acidi nitri copia opus ſit ad eam dephlogiſticandam, antequam acidum ſacchari appareat, cum vulgare acidum ſacchari multo minore copia acidi nitri indigeat.

(Marginal references: p. 326. beside "dalarum"; p. 329. beside "ſaccharo")

XXXIII.

IOHANN INGENHOUS *vermiſchte Schriften phyſiſch-mediciniſchen Innhalts. Ueberſetzt und herausgegeben von* NICOLAUS CARL MOLITOR — *Zweyte verbeſſerte, vermehrte Auflage. Mit Kupfertafeln. Erſter Band. Wien bey Wappler. 1784. in 8. 1 Alph. 4 Bogen. Zweyter Band. 1 Alph. 12 Bogen.*

i. e.

Opuſcula varia argumenti phyſico-medici, auctore IOANNE INGENHOUS, edita a Cl° MOLITORE. —

Laudabili opera plurima ab illuſtri INGENHOUS edita opuſcula collegit Cl. editor et notulis ſubinde

inde illuſtrauit. Nota enim omnibus doctis viris ſunt, quae Illuſtris Auctor in philoſophiae naturalis partibus pluribus praeſtitit, ſed libri, in quibus inventa ſua deſcripſit, ſparſi nimis fuerunt, hinc ſcite ab editore congeſti.

Doctrinae de electricitate prima initia, inprimis quoad electrophorum. Breuiter expoſito ſyſtemate FRANCKLINI, electrophori theoria traditur, ad hanc theoriam, ceu inconcuſſam maxime, confirmandam. Oratione publica coram ſocietate Regia ſcientiarum Londinenſi anno 1778. habita Ill. Auctor electrophori phaenomena ex FRANCKLINI ſyſtemate electricitatis poſitiuae et negatiuae explicuit. Haec oratio ex BAKERI inſtituto habita hic translata legitur. p. 1.

Num acuti fulminis deriuatores obtuſis praeſtent noua tractatione expenditur. Expenditur 1) num aedificia acutis probeque conſtructis deriuatoribus inſtructa magis a fulmine ſecura ſint, quam obtuſis deriuatoribus inſtructa, 2) num acutus deriuator fulmine frequentius tangatur, 3) num acutus deriuator frequentius fulmine tangatur, quam ipſum aedificium nullo deriuatore inſtructum, 4) num obtuſus deriuator frequentius a fulmine tangatur, quam aedificium nullo deriuatore inſtructum. Adſeritur ex electricitatis theoria et ex exemplis, acutos fulminis conductores obtuſis multum praeſtare. p. 95.

Deſcriptio nouae machinae electricae, quae frangi non facile patitur, et ad candelae flammam accendendam quouis tempore idonea eſt. Machinam conficiendi modus tabula aenea prima illuſtratur. p. 143.

Deſcriptio machinae electricae, ad ſclopetum aëre inflammabili onuſtum explodendum. p. 164.

De machinis electricis globorum vitreorum loco ex diſcis vitreis planis conſtruendis. Praelectio eſt in conſeſſu Regiae ſocietatis ſcientiarum Londinenſis p. 170.

 habita.

habita. Vtilitatem talium machinarum vſus ſatis confirmauit.

p.191. *Noua methodus candelam ope lagenae materia electrica onuſtae accendendi.*

p.203. *Noua methodus aëris dephlogiſticati ope lucem ſplendidiſſimam, lucidiſſimam producendi.* Talem lucidum ſplendorem in aëre dephlogiſticato praebent camphora, phoſphorus Kunkelii, ferrum, chalybs.

p.213. *Lampadis ex aëre inflammabili deſcriptio, vſui oeconomico inſeruientis.* Ab EHRMANNO, V. Cl. iam in peculiari libro deſcriptum Ill. vir variis additamentis auxit, vſuique magis accommodauit.

p.235. *Noua aëris inflammabilis ſpecies, qui vnico momento, ſine vllo apparatu praeparatur, et ad exploſionem tam aptus eſt, vt inflammabilis aëris caeterae ſpecies omnes*, ex praelectione in conſeſſu ſocietatis Regiae Londinenſis habita anno 1779. Obtinuere Cll. viri AENEAE et CUTHBERSON, phyſici Amſtelodamenſes, inflammabilem aërem ex vitrioli oleo et vini ſpiritu mixtis. Exploſionem ingentem producunt aetheris Frobeniani vapores, aëri dephlogiſticato admixti, globum ex ſclopeto propellentem, isque vapor nouum aërem hunc conſtituit.

p.249. *Sclopeti aëre exploſiuo onerandi deſcriptio, quod breui tempore plures exploſiones patitur.*

p.305. *Noua pulueris pyrii theoria.* PRIESTLEYUS omnem theoriam pulueris pyrii in aëris dephlogiſticati euolutione, dum hic puluis accenderetur, poſuit, hoc vero Noſter plane negat. Neceſſaria ad puluerem pyrium tantum nitrum et carbones ſunt, puluis pyrius adeo ſine ſulphure paratus tormentis bellicis grandioribus admodum inſeruit, globos quippe magis propellens et fumi tantam copiam haud excitans. Probatur, omnes pulueris pyrii effectus ab aëre inflammabili ex carbonibus, et ab aëre dephlogiſticato ex nitro caloris ope a carbonibus inducti oriun-

oriundis inter ſe mixtis et ſummam exploſionem producentibus oriri.

Theoria pulueris pyrii ex nitro, tartari ſale et ſulphure parati, quem exploſiuum *(Knallpulver)* vocant. Hic puluis exploſionem maximam inducit, ſi in cochleari carbonum calori exponitur. Explicantur iterum omnia ex miſcela aëris dephlogiſticati nitroſi cum aëre inflammabili ſulphuris. p. 335.

Auri fulminantis theoria. Explicantur et huius phaenomena, antehac tam difficilia explicatu, ex aëre dephlogiſticato cum inflammabili aëre mixto. p. 340.

Tranſitus *ad obſeruationes quasdam eſt circa oeconomiam naturae in regno vegetabili.* Mirum admodum eſt, plantarum genera varia in aëre omni modo ſicco, in exuſtis ſole petris, laete procreſcere et admodum ſucculenta eſſe. Laetus hic prouentus aliter explicari nequit, niſi ſtatuamus, plantas alimenti magnam partem ex aëre attrahere, aërem nempe ipſum, quem digerunt, phlogiſtonque, quod ſibi adſimilant. Defenditur nouis argumentis experimentisque, plantas noctu aërem mephiticum exhalare. p. 346.

De magnetica vi et magnete artificiali. Magnetem artificialem Ill. vir ex magnetis puluere cum caſeo in pultem redacto confecit, naturalem magnetem vi ſua longe ſuperantem. Increuit vis, ſi ferri limatura adiiceretur. In animalem oeconomiam magnes nullum penitus influxum habere videtur. p. 398.

De platini vi magnetica et de modo platinum ductile reddendi, ab Illuſtriſſ. Comite de SICKINGEN *inuento.* Vidit Ill. vir, plurimas platini particulas a magnete magis minusue attrahi, et veros magnetes conſtituere. Caeterae particulae, magneticae vi non ſubditae, aut verum aurum, aut arenulas retulerunt. Liquauit caeterum Ill. vir platinum ignis electrici ope, vt alia metalla, quod et, vt alia metalla, hoc modo tractata, verum ignem emiſit. p. 416.

p. 433. *Noua methodus ſpatium ab aëre vacuum producendi.* Nititur methodus Ill. viri experimento FONTANAE, quo conſtat, carbones viuos, in mercurio viuo exſtinctos, octuplam paene aëris communis partem ingurgitare. Antliam pneumaticam conficiendi modum vberius docet iconibus illuſtratum.

Alteri tomo haec inſunt:

De aëris dephlogiſticati natura, optima eum obtinendi methodo, de eum inſpirandi modo, methodoque illum explorandi abbreuiata. Ipſe Ill. vir hunc aërem ſaepe cum ſumma εὐφορίᾳ inſpirauit, eundemque aërem, qui XIV. inſpirationibus pulmones tranſierat, praeſtantiorem adhuc communi aëre inuenit. Omnes, qui hunc aërem inſpirarunt, ſe ſumme iucundum in thorace ſenſum, quaſi thorax vacuus eſſet, perſentire dixerunt. Adhibuit etiam STOLLIUS, V. Ill. eundem aërem in aſthmate diuturno feliciter. Multum etiam hunc aërem valere ad epidemias ex exhalationibus atmoſphaerae putridis aliisque oriundas, ad morbos putridos ipſos, admodum probabile eſt. Opus autem eſt, vt copiam magnam talis aëris aegrotantes deuorent. Sufficere putat Ill. Auctor, ſi omni die quinque aut ſex vaſa aëris 150 pollices cubicos continentia deuorentur. Augenda etiam doſis eſt, idemque aër tam diu inſpirandus, donec, quoad qualitatem, atmoſphaerico par ſit. Optimus aër dephlogiſticatus ex nitro ſat forti igne fuſo, et copioſiſſimus, par paene, ex mercurio praecipitato rubro obtinetur. Satis bonus etiam is eſt, qui ex plantis ſucculentis obtinetur. Deſcribitur vberius methodus aërem dephlogiſticatum ex nitro et mercurio praecipitato rubro obtinendi, quam deſcriptionem et tabula aenea illuſtrat. Optima methodus aërem dephlogiſticatum inſpirandi ea eſt, qua hic aër in globoſo vaſe contentus tubuli ope hoc modo per os inſpiratur, vt os lagena ex reſina

elaſtica

elaſtica facta exacte circumdet. Exactis experimentis conſtitit dephlogiſticati aëris eandem partem a ſano quater inſpirari poſſe, priusquam aëris atmoſphaerici qualitates acquirat. Vita animalium in aëre dephlogiſticato ſepties et vltra longius producitur, quam in communi aëre. Hoc experimenta in auibus inſtituta Ill. virum docuere.

Adnexa eſt operi deſcriptio methodi abbreuiatae p. 97. aërem dephlogiſticatum explorandi, quae vero excerpi non patitur.

Obſeruationes circa microſcopii vſum. Materia- p. 120. rum aquoſarum guttulae microſcopio ſolari ſubditae facile funduntur et in aëre diſſipantur. Haec omnia non accidunt, ſi guttulis lamina vitrea tenuiſſima imponitur.

De originibus et natura materiae viridis Prieſt- p. 127. *leyanae, conferuae fontinalis, nec non tremellae generibus, vt et de aquae in aërem dephlogiſticatum mutatione.* Viderat PRIESTLEYUS, in communi, inprimis fontana aqua ſoli expoſita viridem materiam oriri, dephlogiſticati aëris fontem vberrimum. Hanc materiem PRIESTLEYUS pro vegetabili habuit, INGENHOUSIUS vero copioſiſſimis experimentis didicit, eam in initiis vere animalem eſſe, nempe ex inſectis conſtare primum in aqua ſeparatim fluctuantibus, poſtea vero mucoſae cuiusdam materiae ope conglutinatis et tunc magis viridibus. Multum autem origines huius materiei accelerantur, ſi aquae pars plantae ad corruptionem prona, aut adeo animalis quaedam particula adiicitur, ita vt vere aſſeri queat, hanc materiem corruptionis filiam eſſe. Concludit Ill. Auctor, viridem materiem a ſolis inſectis pendere, cum quibus infinita paene tentamina inſtituit. Haec inſecta dephlogiſticati aëris copiam admodum largam largiuntur, quod Cl. FONTANA primum detexit. Cocta aqua meraca talem viridem colorem nunquam dedit, natus vero eſt, dum mate-

riae

riae ad putredinem pronae in ea macerarentur, ſed lente, nec tam copioſe. Concluditur inde, veterum de generatione aequiuoca doctrinam omnibus argumentis adeo deſtitutam non eſſe.

p. 183. Vberius haec materia virideſcens quoad varias et ſingulares ſuas formas pertractatur. Puncta ſubinde format nucleum referentia, ex inſectorum maiori congerie. Ex his punctis inſecta copioſe deſcenderunt, conum referentia. Formantur copioſius in aqua mucilaginoſas partes plures continente.

Vim inſignem materiei virideſcentis eſſe ad aërem dephlogiſticatum producendum Ill. Auctor in libro: *Experiments upon Vegetables*, probauerat. Ipſam autem aquam huius materiei ope in aërem dephlogiſticatum mutari Ill. vir nunc docet, aut ſaltim materiam in aqua contentam. Dedit enim cocta aqua, cui viridis materiae quid iniectum erat, aëris dephlogiſticati ſtupendam quantitatem. Viridis haec materies, vbi in putredinem tranſiit, aërem dedit fixum et phlogiſticatum, poſt, ceſſante putredine, perfecte dephlogiſticatum.

Hanc vero materiam virideſcentem regno vegetabili adſcribendam non eſſe, plura inſtituta experimenta docent, nec aëris dephlogiſticati euolutio probat, hanc materiem vegetabili regno adſcribendam eſſe; plantae enim variae eodem modo tractatae, quo viridis materies, aërem mephiticum, fixum, phlogiſticum dederunt. Dephlogiſticatus ſemper euaſit aër, ſi plantae aquae inditae in ea putreſcerent.

p. 218. Tranſitus ab his omnibus ad obſeruationes eſt circa naturam et ſtructuram Conferuae riuularis et Tremellae Noſtoc inſtitutas. Obſeruationes cum no-Conferua nodoſa inſtitutae ſunt. Conſtat haec conferua tubis coloris expertibus et ſtupendo numero inſectorum viridium, ſupra deſcriptorum. Hinc origines conferuarum a materia viridi Prieſtleyana deri-

deriuantur. — Tremella Noſtoc, dum plane ſiccata in aqua ſoli exponitur, aëris dephlogiſticati inſignem quantitatem edit. Multum, quoad origines ſuas, cum conferua riuulari ſimilitudinem habet. Chemico examini ſubditae conferua riuularis et tremella Noſtoc, eadem perfecte largiuntur.

De aëris marini ſalubritatis gradu cum aëre in oris maritimis et terreſtri comparato, ex litteris ad Ill. quondam PRINGLE anno 1780 datis. Suſpicatus erat Ill. PRINGLE ex copioſis phthiſicorum in aëre marino curationibus, aquarum magnas collectiones ad animalium ſanitatem conſeruandam eatenus conferre, quatenus aërem depurent. Puriorem omni modo terreſtri marinum aërem inuenit, in terreſtri et is purior fuit, qui in arborum vicinia fuerat collectus. Purior generatim aër eſt frigore durante, phlogiſticatur admodum aër a calore hybernis menſibus ſubinde ingruente. p.237.

Obſeruationes vlteriores circa regni vegetabilis in regnum animale influxum, ex praelectione in conſeſſu ſocietatis Regiae Londinenſis anno 1782. habita. Duplici modo plantae in regnum animale agunt, materiam phlogiſticam, ceu alimentum ſuum, reſorbendo, et ſummam copiam aëris dephlogiſticati exhalando, hinc aëris atmoſphaerici ſalubritatem conſeruando. Confirmantur plurimis nouis experimentis Ill. viri obſeruationes de plantis aërem dephlogiſticatum in ſolis calore exhalantibus a Cll. viris PRIESTLEY et CAVALLO negatae. p.281.

De differentia celeritatis, qua calor varia metalla penetrat. Calor metalla hac ſerie penetrat: argentum, cuprum, aurum, ſtannum, ferrum, chalybem, plumbum. p.349.

De metallis flammam concipientibus. In metallis ferrum et chalybs in aëre dephlogiſticato flammam facillime concipiunt propagantque. Facile etiam Zincum flammam concipit, cuprum vero, ſtannum p.357.

et

et plumbum facile flammam non concipiunt, nec in aëre dephlogiſticato propagant.

p. 391. *Obſeruationes quaedam circa aquae, aëre fixo, acidis variis et aliis ſubſtantiis impraegnatae, vim plantarum et ſolis caloris ope aërem dephlogiſticatum producendi.* Experimenta copioſiſſima recenſentur vix in epitomen redigenda, theoriam Cl[i] SENNEBIER, partim confirmantia, partim infirmantia.

IOANNIS van BREDA ad INGENHOUSIUM *epiſtola de differentia eorum, quae in explorationibus communis aëris reſultant, ab aquae differentia deriuanda, et de deſtillata aqua ad hunc finem adhibenda.* Varius ſemper euentus, ſubinde admodum a conſueto recedens fuit, ob aquam fontanam variam. Varius pariter ſemper euentus fuit, quod tabulae additae docent aëris, ope pluuiae et fontanae aquae explorati.

Epiſtola Cl[i] SENNEBIER ad INGENHOUSIUM. Continet varia Noſtri obſeruationes de aëris dephlogiſticati originibus concernentia, a SENNEBIER probata.

p. 481. *Obſeruationes* INGENHOUSII *in epiſtolam praecedentem, adiectis obſeruationibus quibusdam vlterioribus de virtutibus aquae, aëre fixo impraegnatae.* Concernunt obſeruationes de aquae aëre fixo impraegnatae virtutibus mutationem talis aquae in aërem dephlogiſticatum, ſi ſolis calor accedit.

Tabularum explicatio libro adiecta eſt. In his vna viuis coloribus elegantiſſime diſtincta eſt, mutationes ſucceſſiuas materiae viridis PRIESTLEYANAE exhibens.

XXXIV.

Mémoire ſur l'etabliſſement des écoles de médecine pratique à former dans les principaux hopitaux civils de la France à l'inſtar de celle de Vienne; pour perfectionner l'art de la Medecine-pratique et la faciliter aux jeunes medecins. Par Mr. WÜRTZ, *Docteur en Medecine de la Faculté de Strasbourg — à Paris et Strasbourg 1784. in 8. 41 pagg.*

i. e.

De ſcholis medico-practicis in principibus noſocomiis ciuilibus Galliae ad modum ſcholarum Vindobonenſium inſtruendis, auctore Cl° WÜRTZ.

In varias regiones, vt ſcientiae medicae in iis ſtatum cognoſceret, peregrinatus eſt Cl. Auctor, in hoc libro Gallis itineris ſui medici rationem redditurus. Vindobonenſem inprimis ſcholam medicinae practicae talem expertus eſt, vt parem illi in vniverſo Galliae regno vllam neſciat, inprimis quoad vtilitatem, quae in ciues inde redundat.

Quae in itineribus ſuis, inprimis Vindobonae, didicit anno 1781, cum ſocietate Regia medica Pariſina Cl. vir communicauit, eaque, quae in hoc libro de ſcholis medico-practicis in Gallia inſtruendis leguntur, dicto anno iam cum dicta ſocietate communicata ſunt.

Noſocomia autem ciuilia plurima licet in permultis Germaniae vrbibus inſtructa ſint, in plurimis aut quoad valetudinis aegrorum curam, aut quoad vſum ad medicos iuniores in praxeos exercitio confirmandos, varie delinquitur. Ad haec omnia vero in noſocomiis Vindobonenſibus Auguſtiſſimae quondam Imperatricis, MARIAE THERESIAE, iuſſu diligenter reſpicitur.

Hiſpa-

Hiſpanicum Noſocomium ſcholaque in eo clinica a Cl° viro maxime laudatur. Vt medicinae practicae tyro eo perfectius inſtruatur, ex infinita aegrorum paene copia ii eliguntur, qui maximam attentionem in medendo requirunt. Primum a STOLLIO viro Ill. aegrorum generalis quoque die cura geritur, eaque peracta tranſitus ad aegros ſingulari attentione dignos eſt. Eligunt in his tyrones ſibi, quorum curam ſub auſpiciis Ill. STOLLII ſpeciatim gerant. Inſiſtitur inprimis in exacta morbi cauſſaeque, quae eum produxit, diagnoſi, ſimulque quae ad ſalutem aut mortem praeſagiendam conferant, diligenter expenduntur, demum medicinae, diaeta, caet. morbo maxime accommodata praeſcribuntur. Omnia, quae aegris accidunt, diligenter in aduerſariis notantur, praecepta vero omnia ab Ill. STOLLIO aut probantur, aut reformantur, nullo ad vilius aut maius medicamentorum pretium reſpectu habito. (hoc inprimis in Ienenſi noſocomio clinico, laudabili profecto inſtituto, taxamus, quod medicamenta vilioris pretii tantum aegris praeſcribere liceat: licet enim vilioris pretii medicinis efficacia ſumma ſaepe denegari nequeat, certum tamen eſt, complures dari morbos, in quibus noſtrates medicinae euporiſtaeque non ſufficiunt: ſi vero tyroni talium medicinarum praeſcribendarum facultas in noſocomio non data eſt, facile haec in conſuetudinem tranſeunt, aegris ſaepe funeſtam ipſique ex tyrone medico practico vix ferendam).

Aegri, qui morbis diuturnis et ſanatu difficilibus laborant, ad quos ſanandos cum nouis aut incertae efficaciae medicamentis experimenta inſtituuntur, ſubinde a tyronibus examinantur, vt et hi ſciant, quid medicamentis praeſtitum fuerit.

Optat Cl. Auctor, vt in hac practica ſchola et pathologiae theoreticae praelectiones inſtituantur, vt plus temporis pathologicis praelectionibus impendatur,

tur, vt theoreticae medicinae profeſſor, dum ſtudioſis morborum ſymptomata, ſigna, effectus tradit, omnia ſua dicta coram aegrorum lecto ex exemplis confirmet, vt demum talis ſchola in Pariſino quodam noſocomio inſtruatur.

XXXV.

MOYSII CACCIANIMICI PALCANI de vita EUSTACHII ZANOTTI Commentarius. Bononiae ex Typographia inſtituti ſcientiarum. 1784. pagg. 38. 8.

Huius libri pauciſſima exemplaria edita ſunt, neque ea vnquam venalia proſtiterunt. Non igitur inutile quid facturos nos arbitrati ſumus, ſi eundem commentariis noſtris insereremus; praeſertim cum et ſingulari elegantia conſcriptus ſit, et magna doctrinae copia redundet, adeoque digniſſimus ſit, qui in eruditorum manus veniat.

Doctorum hominum praeconia litteris conſignare vetus adeo conſuetudo eſt, neque ſolum vſitata, verum etiam quotidiana, vt mirum eſſe debeat quemquam reperiri, qui id factum vituperet, ac ſententia ſua homines ingenio, et maximarum rerum ſcientia abundantes laudatione ſpoliet. Ac ſi qui alios ornari nolunt, aut eſſent ipſi litterarum rudes, aut a laudis cupiditate remotiſſimi, ferri commodius poſſent, patientius quidem certe. Cum vero hi et in iisdem ſtudiis verſentur, in quibus illi vixerunt, nec adeo leuis ſint animi, et lucem ſplendoremque fugientis, vt gloriam repudient, videant, ne, ſi quod volunt, non probauerint, alienae virtutis hoſtes, et laudis inuidi, quod eſt turpiſſimum, exiſtimentur, ſi probauerint, ne, contra quam cupiunt, iaceant, et minus honeſtam mortis conditionem ipſi ſibi relinquant. Nam quod aiunt ſe Galileo, aut Newtono, aut paucis, ſi forte, aliis laudationes, et monu-

 men-

mentorum elogia fore ampliſſima decreturos, ceteris non item, ne, ſi praemia virtutis peruulgentur cum multis, dignitatem amittant; primum id ipſum ſuperbum eſt, praeter pauciſſimos illos, neminem putare dignum, quem laudent; deinde non intelligunt, eorum etiam, quibus honorum gradus pares ſunt, glorias interdum eſſe diſpares. Itaque nemo eſt noſtrum, qui ſe Caualerio, aut Gulielmino parem eſſe dicat, licet eumdem in Gymnaſio locum occupet, quem illi tenuerunt, ac eosdem fere, quos illi, honorum gradus ſit conſecutus. Quod ſi ornamenta reliqua, vt per ſe clara, et magnifica ſint, perinde tamen habentur, atque eorum, qui illa acceperunt, virtus eſt; quanto id in laudationibus appareat magis? quae alias in alios accommodari poſſunt, neque eaedem in plures conueniunt. Neque enim, ſi poetam eſſe dixero laude digniſſimum, putandum erit hunc continuo cum Homero aequari, neque, ſi imperatorem fortiſſimum fuiſſe affirmauero, erit metuendum, ne hic ſtatim cum Caeſare in virtutis contentionem veniat. Quapropter qui de Euſtachio Zanotto ſcribere ingredior, neque paſſus ſum plus apud me quorumdam obtrectatorum, quam vniuerſae Ciuitatis vocem valere, et voluntatem, ſi quis obiiciat, non eum fuiſſe Zanottum, quem in Mathematicorum Ducibus et Principibus ponas, non contendam; ſed qui eos omnes inglorios, ignobilesque dimittat, quibus Principes hi praeſtiterunt, quantum ipſi praeſtiterint, ſciet numquam: vt ad clariorem horum gloriam pertineat etiam alios laudari. Caeterum nos tantum Zanotto concedimus, quantum neque ambitioſi, neque inuidi tribuere alteri debent. In quo tametſi difficile eſt iis ſatisfacere, qui omnia ad viuum reſecant, nec verba numerant modo, ſed tamquam appendunt; nos tamen, quid aequis rerum aeſtimatoribus videatur, non quid moroſi illi probaturi ſint, intuebimur, neque vero

time-

timemus, ne, quia perraro grati homines reperiuntur, idcirco ciuibus noſtris crimini detur, quod nimium Zanotto grati eſſe dicantur. Sed de his plura perſequi non eſt opus; ad rem venio.

EUSTACHIUS ZANOTTUS clariſſimis aetatis noſtrae hominibus non ſtirpe modo, verum etiam ingenio, induſtria, rerum geſtarum magnitudine coniunctus fuit; quae prope maior cognatio eſt, quam illa, qua plerique delectantur, generis, et nominis. Patrem Ioannem Petrum poetam longe probatiſſimum, Patruum Franciſcum habuit, robur illud Bononienſis Academiae, cuius per multos annos ab actis fuit. Illius aetas in ea tempora incidit, quibus, ſi quando alias, omni litterarum genere Bononienſes florebant. Neque enim poſſumus Manfredios, Ghedinos, Beccarios, aliosque bene multos, quorum in hac vrbe magna ingenia, et conſilia fuerunt, recordari, quin doctrinarum prope, non hominum nomina obuerſari nobis videantur. Cum his Zanottus vterque, Ioannes Petrus, et Franciſcus, coniunctiſſime, et ſine obtrectatione viuebant; quod in tanta maximarum rerum aemulatione, quantam inter eos intercedere oportebat, vt nunc ſunt mores, vix fieri potuiſſe arbitreris; ſed qui tum docti et erant Bononiae, et habebantur, fere aequabiliter omnes erant huiusmodi, atque haec laus eximiae innocentiae non ad homines ſolum, verum etiam ad illa tempora pertinebat. Vix autem dici poteſt, quam ea conſuetudo Euſtachio emolumento fuerit. Nihil enim adoleſcentulus domi audiebat, niſi doctum, et elegans, quodque non ipſum aut ſcientia augeret, aut exemplo. Inſtruebatur interea Scientiarum Inſtitutum, et ſupra, quam dici poteſt, magnificentia atque opibus creſcebat. Marſilius praeclaram ſuſceptionem illam ſuam perpetua quadam conſtantia roborabat, neque in tanta re torpere quemquam patiebatur. Senatores pro veteri ipſorum conſuetu-

ſuetudine in litteras propenſi nihil habebant antiquius, quam vt Marſilio plane ſatisfacerent, et egregie inchoatum opus vrgerent. Ipſe Pontifex, quamquam erat multis, grauiſſimisque negotiis diſtentus, partem tamen aliquam curae, et cogitationis ſuae in Inſtitutum deriuabat. Omnino ingens erat tam praeclari operis gloria, multique certatim, alius alio copioſius, nouas aedes muneribus exornabant; qui in Inſtituto docebant, omni in hominum coetu, et omni ſermone celebrabantur: neque tantus ardor Bononienſium finibus potuit coërceri; ſed ex vrbe in vrbem traductus Italiam, atque adeo Europam breui occupauit. Quae cum in aliorum adoleſcentum mentibus inhaereſcerent, tum in Euſtachii animo obliterari non poterant. Etenim omnibus Inſtituti rebus ipſe aderat, aut, ſi quando abeſſet, eas vnus propter doctiſſimorum hominum familiaritates omnium maxime audiebat. Itaque alacrem magnumque animum ad eas attulit artes, quarum cognitione ſubnixos ad ſummam dignitatem aduolaſſe alios videbat celeritate mirabili; cumque Euſtachii Manfredii ſpectatae, praeter ceteros, virtutes eſſent, ad hunc ſe applicuit, atque ad huius imaginem ſe totum confingere prorſus ſtuduit. Sapienter is quidem, qui, cum optimum ſibi ad imitandum propoſuiſſet, ab ineunte aetate prouidit, vt, ſi etiam ſuperare illum, aut aequare forte non poſſet, ſaltem in deligendo recte ſenſiſſe iudicaretur. Cum vero haud pauci ſeſe in Manfredii diſciplinam per eos annos tradidiſſent, vix vlli clarius exſplendeſcebant, quam Algarottus, Zanottusque. Eminebat enim in vtroque cum indoles virtutis, tum diſcendi ardor plane incredibilis; ſed alter ingenii celeritate, alter iudicandi prudentia magnus habebatur: ille omnium doctrinarum cupidus nullam fere liberalem diſciplinam non attigit; hic a mathematicis artibus, in quibus ſeſe puer abdiderat, vix vnquam ſe abſtrahi

hi paſſus eſt: illius diſtincti, ornati, feſtiui ſermones laudabantur; huius oratio ſobria, adſtricta verbis, denſa ſententiis, nihil vt in ea notari poſſet diffluens, nihil redundans: denique vt nihil addi Algarotto poterat, niſi inepte, ita nihil huic, niſi temere, detraxiſſes. Qua praeſtantia cum eſſet, annos natus fere viginti conſecutus eſt, vt Manfredio in Aſtronomia excolenda adiutor daretur. In quo facile oſtendit, ſapientiae interdum, quam aetatis, curſus eſſe celeriores, veriſſimeque dici; non, vt arbores et fruges, ſic mentes et ingenia habere ad partus dies certos. Siue enim ſiderum motus obſeruaret, ſiue aſtronomicum opus generoſis adoleſcentibus explicaret, adoleſcens ipſe, ita vtroque in munere praeſtitit, vt omnibus probaretur, Manfredio in primis, cuius nos iudicium reliquorum teſtimoniis anteponimus. Atque grauiſſimis hiſce occupationibus laxare ſe vix poterat, vnusque iam tum Aſtronomi partes ſuſtinere cogebatur. Coeperat enim Manfredius ex renibus laborare, lapideque in veſica facto grauiſſimis doloribus excruciabatur, quibus anno milleſimo ſeptingenteſimo trigeſimo nono confectus eſt. Nemo illum non lacrymis, et moerore eſt proſecutus, hocque vnum, quod veriſſime poſſumus dicere, ingenti, vt in malis, conſolatione Bononienſes leniuit, quod Manfredii gloriam Zanotti doctrina renouatam non ſperabant modo, ſed prope ſibi cernere videbantur. Itaque ea prouincia Zanotto commiſſa eſt, quam in Inſtituto Manfredius obtinuerat, eidemque imperatum, vt, quod ille antea fecerat, Aſtronomiam in Gymnaſio explicaret; ac nemo profecto aetate illa erat alius, cui ſe Aſtronomia, credo, ipſa committi mallet. Cum vero is intelligeret, quam magnum onus ſuſcepiſſet, ac quanta de ſe eſſet exſpectatio, non modo vt ante collectam famam conſeruaret, verum etiam vt ſpem confirmaret reliqui temporis, curare coepit. At primum

 ephe-

ephemerides illas longe nobiliſſimas, quibus Manfredius futuros planetarum curſus ad annum milleſimum ſeptingenteſimum quinquageſimum praenunciauerat, ad alios duodecim annos Zanottus produxit, neque poſtmodum in eo labore nunquam, dum vixit, ſeſe exercuit. In his autem libris facile apparuit, quam penitus in eius animo Manfredii praecepta inhaeſiſſent. Nunquam enim ab ea ratione, quam ille in praedictionibus ſuis agendis tenuerat, Zanottus diſceſſit, atque in iisdem fere Aſtronomorum tabulis inſtitit, niſi ſi forte vtiliores aliae, magisque ad veritatem accedentes viſae fuiſſent; quamquam nihil minus in eo volebat, quam nouus videri, ac recentiſſimas quasque tabulas laudabat magis, quam ſequebatur, neque antea vſurpabat, quam illas maxime emendatas eſſe, correctasque longo vſu didiciſſet. Laborem hunc alius excepit. Etenim vixdum ad Aſtronomiam tradendam acceſſit, cum annumeranda ſibi, et deſcribenda ſumſit clariora ſidera, quae certis infixa ſedibus ſignifer orbis complectitur, vel vt prouinciam cognoſceret ipſe ſuam, vel vt, quam in obſeruandis ſideribus habebat ſolertiam, eam ſtudio, et exercitatione redderet acriorem. Nam certe non ignorabat, quam multi ante ſe Aſtronomi deſcriptiones huiusmodi confeciſſent, qui etiam longe plura in Zodiaco aſtra, quam quae Zanottus animaduertit, ſtudioſe diligenterque notaverant. Ex quo intelligi poteſt, quam diligenti ſimul, et quam magno fuerit animo. Nam qui vel omnium primi in deſignandis inerrantibus ſtellis euigilarunt, vel qui aliorum notationibus multa poſtea addiderunt, feceruntque antiquorum inuenta meliora, ſapientes illi quidem, qui ingenti ſpe gloriae excitabantur, ne qua poſſet ipſos defatigatio retardare. Zanottus ſapientior, cui officium pro gloria fuit, quique in ſolam propemodum artis ſuae cognitionem intentus hanc ad vigiliarum ſuarum fructum duxit

eſſe

eſſe permagnam. Quamquam non eſt putandum, Zanotti conſilium ſplendore caruiſſe. Primum enim id ipſum laudem habeat oportet vel ſine laudis exſpectatione in magnis tamen rebus ſtudium ponere, deinde, quum id ageret, ea Zanottus aperuit, quae nec erant ſatis nota noſtris, et erant cognitione digniſſima; velut illud, maximas ſaepe exiſtere in ſtellis prope omnibus varietates, quibus ſit, vt interdum longe lateque colluceant, interdum lumine imminuantur, ac prope niteſcere intermittant. Fuerat enim antea in paucis ſtellis id animaduerſum, neque fere aſtronomi adduci poterant, vt vel in paucas illas vere inconſtantiam cadere arbitrarentur. Adeo enim placebat, eorum ſiderum, quae inerrantia ipſi dixiſſent, mutabilitatem plane eſſe nullam, vt, cum ſtellas extenuari cernerent, incuſare quiduis mallent, quam illas, eiusque rei culpam aut in oculorum fallacias, aut in aërem conferebant, qui modo craſſus concretusque, modo tenuis et putus nobis offunditur. Neutrum Zanottus concedebat, hocque vrgebat maxime: ſtellarum commutationes tum fieri, cum metuendum non eſt, ne aut videndi ſenſus fallat, aut coeli diſſimilitudo fraudem faciat. Fit enim interdum, vt, ſi ad duas ſtellas, quarum altera quam proxime alteram ſit, rurſus teleſcopio inſpiciendas te reuoces, alteram ſibi mirifice congruere videas, alteram mutata forma a ſe ipſa diſſidentem cernas. Quid hoc autem eſt inſolens adeo vel coeli, vel oculorum ingenium, vt harum ſtellarum alteri lucem eripiant, et noctem quaſi quamdam offundant, alteri non item? Haec autem cum Zanottus proponeret, illud quoque non omittebat, non ſe eum eſſe, qui has ſiderum conuerſiones certis terminis circumſcriberet, aliorumque induſtriae malebat confidere, quam ſuae. Modeſte, et conſiderate ille quidem. Namque, vt mittam, quam magnum fuiſſet id opus, atque haud ſciam, an de Aſtronomicis

operibus longe maximum, alia etiam non deerant, quae ipſius conatus prohibere poterant. Nondum enim Baillius viam, rationemque docuerat, qua aſtrorum magnitudines accurate exquiſiteque conferri poſſent inter ſe, quaeque ad illorum ordines definiendos pertinebant, erant obſcuriſſima prope omnia, multisque obſtructa difficultatibus. Zanottum praeterea, vt qui negotioſam prouinciam adminiſtrabat, aliud ex alio impediebat. Namque praeter Ephemeridas, quas, vt dixi, labore ſummo conficiebat, ſi quando ſol, aut luna, aut aliqua earum ſtellularum, quas vi ſua Iupiter complexus contorquet, deficerent, aut Mercurius, Venusque ſolem traiicerent, vel ſi qui cometa ſe proderet, ac longiſſime adueniens intra planetarum orbes ſeſe coniiceret, vel ſi quid aliud in coelis occurreret obſeruatione dignum, ea prope vnus notare cogebatur. Neque enim laborem hunc delegare multis in ea vrbe poterat, in qua pauci admodum Aſtronomiae ſtudio trahuntur, aliis ad quaeſtuoſiora properantibus, aliis ne ad haec quidem. Plerasque ex illis obſeruationibus Zanottus edidit, quas qui legerint, nullum ab eo experientiſſimi aſtronomi officium deſiderabunt: hoc certe nomine apud Mairanum, Caillium, Meſſierium, aliosque praeſtantiſſimos aetatis noſtrae mathematicos in honore fuit; Caillius etiam, cum in Africam iter faceret, vt eas, quae circa Auſtralem polum voluuntur, ſtellas in aſtronomorum catalogos referret, aliorum quorumdam ſiderum, quae nobis conſpicua ſunt, motus, et conuerſiones cum aliis longe clariſſimis viris, tum notandas Zanotto commiſit, qui pro ſua fide et diligentia ex Caillii voluntate ſuſceptum negotium ſic geſſit, vt opinionem, quae de ſe erat, aequauerit, et doctiſſimi illius hominis deſiderium expleuerit. Sed Zanotto praeter inſitam animo induſtriam ad bene de Aſtronomia merendum fortuna etiam, cuius magna in vtramque partem

tem vis eſt, adiungebatur: idque tum praeſertim apparuit, cum templi D. Petronii Curatores, Alamanno Inſulano Senatore ampliſſimo in primis ſuadente, celeberrimum gnomonem, quem in ea magnificentiſſima aede Caſſinus conſtruxerat, emendandum Zanotto, reficiendumque crediderunt. Iamdiu enim dolebant homines, praeſtans illud, ac ſingulare inſtrumentum, per quod Caſſinus cum alia bene multa, tum ſolis acceſſus, diſceſſusque ſubtiliter definiuerat, temporis diuturnitate fuiſſe corruptum, partim commota lamina, cuius centrum radius Solis traiicit, partim deprauata ea linea, quam, cum meridies eſt, radius ipſe attingit. Hanc certe, quam Caſſinus ferreis regulis aliis aliisque deinceps poſitis conſignauerat, marmoreis lapidibus, quo illae magis firmarentur, inſertis ſolo hinc et hinc, infixisque, praetereuntes quotidie homines ſic protriverant, vt eſſet vitioſiſſima, aliis eiusdem partibus depreſſis, atque introrſum in pauimentum actis, aliis praeter modum aſſurgentibus, inconditeque curuatis. Labem etiam aliquam, ne omnem eius culpam in homines conferamus, terrae motus fortaſſe fecerant, quibus identidem Bononiae aedificia nutare, crepitare compages, tabulata concuti viſa ſunt. Quae cum Manfredius animaduertiſſet, nihil magis optaverat, quam vt praeclara adeo conſtructio, quae vitium fecerat, reſtitueretur. Itaque eos, qui templo praeerant, inuitauit ſaepe, rogauit, obſecrauit: egregium Caſſinianae ſolertiae monumentum interire ne ſinerent, atque ad gnomonem nobiliſſimum reficiendum, quidquid ipſorum eſſet, praeſtarent; ſe quidem in eam rem, ſi vellent, diligentiam quam poſſet maximam collaturum. Haec ſaepe Manfredius, et cum multis, ſed tunc Inſulanus in corona non aderat. Itaque cum reſtituere ille gnomonem non poſſet, quod reliquum erat, id vnum ſuſcepit, in quo nullum impendium fieret, niſi laboris, ac ſingu-

larum partium libramenta, erroresque dimenſus, quam hi cautionem haberent, diligentiſſime patefecit. Zanottus felicior; perficere enim potuit, ne quid per multa ſaecula, quantum augurari coniectura poſſumus, a gnomone cauendum eſſet. Quare clariſſimum illud aſtronomicae facultatis inſtrumentum eſt ab ipſo refectum diligentia tanta, vt adhuc Caſſino dignum videri poſſit, ea vero firmitate, qua ſe a temporis, hominumque iniuriis facilius tueatur. Multa vero, quae obſeruaſſe e re aſtronomica erat, huius inſtrumenti ope ſunt a Zanotto animaduerſa. Neque enim aut poli altitudinem, aut eclipticae obliquitatem, aut anni longitudinem inueſtigare praetermiſit, neque oblatam ſibi illuſtrandae Aſtronomiae facultatem ad nihilum recidere paſſus eſt. Neque ſolum vidit, quid eſſet maxime notatione dignum, quod eius doctrinam commendat, verum etiam in iis, quae perquiſiuit, cum clariſſimis Aſtronomis, ac Slopio in primis, conſenſit, quod facile oſtendit, quam diligens ſpectator coeli ſiderumque Zanottus fuerit. Quam certe laudem, etſi aliae abeſſent, nos tamen ipſam per ſe vel magnam, vel potius maximam, eſſe putaremus. Nam ſi qui in coaceruandis publicis, priuatisque tabulis aetates conterunt ipſas, et vel vnius oppidi monumenta diligenter collecta, atque annotata proferunt, in celebritate verſantur; quanto in honore eos eſſe oportet, qui tamquam mundi annales conficiunt, et hiſtoriae ſuae fines coeli regionibus terminant? Quamquam conatus eſt etiam Zanottus mathematicorum doctrinis aliquid, atque adeo multum, addere de ſuo. Namque breuiſſimos calculos, minimeque artificioſos aperuit, quibus cometarum poſitus, et conuerſiones inuenirentur, ac, quantum in eo ſimplicitas poſſet, expertus eſt: quidquid certe ad cometarum curſum deſcribendum pertinet, id omne ad trigonometriam, et ad falſas quasdam poſitiones reuocauit, quo facinore nae ille

magnam

magnam ab aſtronomis gratiam iniit. Etenim plerique omnes, cum locum hunc tractant, vt mathematici fere ſunt laborioſi, indulgentes ſibi longiſſimos calculos ineunt, nec niſi per exquiſitiorem induſtriam ad id, quod eſt propoſitum, accedunt. Moleſtiam hanc leuare Zanottus voluit, idque illi in cometis duobus, quorum alter anno milleſimo ſeptingenteſimo trigeſimo nono, alter milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo octauo prodiit, ceſſit pulcherrime. Neque vero diſſitemur, Zanotti inuentum in cometas alios aegre accommodari potuiſſe, neque horum inuentorum fortuna communis eſt recuſanda. Cum enim cometae toto coelo vagentur, ac ſeu dum incitantur, ſeu dum retardantur, ſeu dum inſiſtunt, innumeras habeant varietates, non eſt poſtulandum, vt vna praeceptio ſit ad omnium curſus definiendos aptiſſima. Eſt tamen aliquid, cum in re difficillima verſeris, atque ea, quam nemo vnus vniverſe perfecit, aſtronomorum commodo iterum iterumque proſpexiſſe. Neque alia non exſtant, quae eius ingenium, doctrinamque teſtantur. De forma Terrae, quae noſtrae aetatis aſtronomos maxime ſollicitos habuit, ſermones conſcripſit probabiles, et vero probatos, quos qui legerint, hominis elegantiam mirabuntur. Nam quamuis hac ſuper re eodem, quo alii, fere peruenerit, breuius tamen id praeſtitit, et facilius, ac theoremata quaedam adeo venuſta explicauit, vt dicantur Boſchouichium in amorem ſui rapuiſſe. Quum vero docet Zanottus, quemadmodum e poſitionis, quem vocant, angulo forma terrae cognoſcatur, ea nimirum tractat, quae plane pro nouis haberi poſſe crediderim. Quamquam de terrae forma ſcripſerunt adeo multi, vt difficillimum ſit tenere aliquid non antea fuiſſe ſcriptum; quo fit, vt ea ipſa, quae a Zanotto deprehenſa fuiſſe arbitramur, non facile noua eſſe affirmemus. Idemque fortaſſe valet in multis aliis, neque ego vllam in partem

tem diſputo. Quis enim praeſtet, quae ſunt ab ipſo in vſu, ac tractatione micrometrorum obſeruata, ea ſuperioris aetatis diligentiam effugiſſe? praeſertim cum conſtet, eſſe illa inuentu adeo facilia, vt vel ſe offerre potuerint non quaerenti. Itaque Zanottus ipſe, qua moderatione erat animi, non ſe illa aiebat proponere, quae ingenium oſtenderent, id enim elucet in difficultate, ſed quae aſtronomiae ſtudioſis prodeſſe poſſent, quamuis parua, et mediocria et eſſent, et viderentur. Sed vero quae de perſpectiua conſcripſit, vt nominibus aliis, ſic nouitate mirifice commendantur. Omnem enim cum ichnographiam, tum ſcenographiam, quod a nemine antea factum legimus, vno, breuiſſimoque praecepto complectuntur. Neque enim quisquam eſt, qui ignoret, quam multas in partes diducta initio fuerit perſpectiua, quamque varias praeceptiones nunquam non habuerit. Quas omnes Zanottus cum in vnum theorema contraheret, non tam veterem artem excolere viſus eſt, quam nouam propemodum docere. Quocirca non eſt mirandum, ſi Zanotti ſcripta vixdum edita omnes fere Italorum ſcholas peruaſerint, neque defuerint, qui illa non ſolum veterum libris anteponerent, qui plerumque exiles ſunt, et aridi, et multis obſcuritatibus inuoluti, ſed vel Tayloro ipſi, qui magnus habebatur, eratque in omnium fere manibus. Mechanicen quoque Zanottus attigit, ac de corporum percuſſionibus pauca quaedam edidit, quam ſubtilia non dicam, elegantia quidem certe; quo nomine in tanta amplitudine mechanices ne nunc quidem contemnantur. Sed eſt etiam quorumdam error tollendus, ne Zanotti ſtudia exponentes gloriam minuamus. Cum enim hic ſua theoremata emitteret, illa quaeſtio, quae tum de viribus viuis erat, eius animum vehementer ſollicitabat, quae a Leibnitio primum orta, ab Heluetiis deinde, Germanisque aliis aucta, Gallos paſſim, Britannosque

com-

commouerat, demum ab Italis excepta, et quaſi per manus Bononiae tradita Academiam noſtram mirabiliter inflammauerat. Neque tantus hic animorum ardor ante conſedit, quam Alembertus plane ad veritatem oſtendit, Carteſianos a Leibnitianis verbo, non re, diſſidere, ſicque conuenire poſſe, vt illi veteris opinionis poſſeſſionem retineant, hi iacturam nouae ne faciant. Sed Zanotti aetas in ea tempora incidit, quibus quaeſtio illa nondum in ſuſpicionem inanitatis venerat; adeo Germanorum praeſertim nomen omnium animos, auresque compleuerat. Quare, vt mos tum erat, nemo fere laudis cupidus mathematicus non aliquid de viribus viuis commentabatur, ac ſi quid occurreret, quod ad corporum impetus, pulſusque aeſtimandos quoquo modo pertineret, id propter nobiliſſimae quaeſtionis coniunctionem praeclarum admodum, atque magnificum habebatur. Igitur quod Zanottus breuia quaedam theoremata, quaeque oſtendere nihil prope negotii erat, editione tamen digna putauerit, temporum culpa eſt, laus ingenii, quod de iis eleganter, diſtincteque conſcripſerit. Ceterum quam ipſe fuerit mechanicae facultatis intelligens, alia indicio ſunt. Cum enim ad eam huius diſciplinae partem, quae in fluminibus arcendis, dirigendis, auertendis tota eſt, animum devexa iam aetate appuliſſet, ingenio perfecit, vt videretur eam a pueritia vsque arripuiſſe; multi certe ipſum de hydrometricis controuerſiis longe grauiſſimis cum Ximenio, Fantono, Lechio, aliisque, quorum pervulgata ſunt nomina, in conſilium adhibuerunt. Neque vero eſt, quod putemus, aut in conſiliis capiendis intelligentiam, aut in dandis fidelitatem Zanotto defuiſſe; ſed, neſcio quomodo, ſunt litigioſa in hoc genere ita multa, ac variae adeo, et diuerſae, et in omnem partem diffuſae hominum diſputationes, vt, niſi ſtudia partium ante reſederint, multorumque cupiditates deferbuerint, non ſatis oc-

currat

currat, quod ſcribamus. Quare ſpei fructum rei conuenit, et euentui reſeruari, ne aut, quod ambiguum eſt, pro certo poſuiſſe, aut deſtinatam forte Zanotto laudem feſtinatione praeripuiſſe videamur. Sed commentarios quosdam hydrometricos idem diuulgauit, quos ſi mihi probari dixero, non metuam, ne aut fides mea deſideretur, quaſi tempori obſequar, aut prudentia, quaſi veritati non ſeruiam. In primis vero quaeſtionum omnium, quas Rheni cauſſa Bononienſes cum finitimis plurimas, grauiſſimasque habuerunt, hiſtoriam conſcripſit, vtque amnis ille identidem agros vaſtauerit, ac late perdiderit omnia, ſeque in alios atque alios curſus contorſerit, et inflexerit, docuit, neque minus quid geſtum ſit, vt ea calamitas auerteretur, aperuit. Quam narrationem vtiliſſimam eſſe fatebuntur, qui nouerint, quam multa hydrometrarum praecepta miſerrimae Rheni alluuiones diu multumque obſeruatae pepererint. Eſt etiam Bononienſibus, qui nunc viuunt, ante actorum temporum incommoda cognoſcere iucundiſſimum. Vix enim quidquam tantam habet oblectationem, quantam ſecura praeteriti doloris recordatio. Neque hydrometriam non amplificant, quae idem de aquarum fluxionibus Florentiae edidit. Quamuis enim fluuios, qua in mare erumpunt, per accliue ferri Gulielminus, auctor optimus, tradidiſſet, rem tamen hanc ſtrictius attigerat, quam eius admirabilitas poſtulabat. Itaque Zanottus et quam id late pateret oſtendit, et primus omnium docuit, vt aquae ad fluminum oſtia ſuperficiei deuexitate impellantur, ac quaſi ex alto profluentes aluei accliuitatem concepto impetu ſuperent. Quod quidem nemo ante ipſum ad rei dignitatem apte explicauerat. Igitur praeclarum hoc Zanotti factum probarunt multi, in his Friſius, quamquam in eo deſideret forſitan aliquid, et leuiter emendet. Sed non tam dolendum Zanotto fuit, quod cum mathematico tanto, quantus

Fri-

Friſius eſt, in pauciſſimis pugnauerat, quam iure lae-tandum, quod conſenſerat in tam multis. Alia quoque exſtant, quibus cognoſci poteſt, quam fuerit Zanottus hydrometriae intelligens; ſed modum adhibere oportet, ne vltra, quam ſatis eſt, minuta quaeque conſectari videamur. In omnibus autem, quae emiſit in vulgus, multa induſtria, et diligentia comparet, multa doctrina, ac lene quoddam, et aequabile, et candidum dicendi genus, quo plus valebat in perſuadendo, quam alii calamiſtris, et lenociniis. Quo minus mirandum eſt, fuiſſe ipſum in tam multiplici excellentia ſuis ciuibus probatiſſimum. Quamquam non modo ingenio conſecutus eſt, vt multis carus et iucundus eſſet, verum etiam moribus. Namque erat in eo auctoritatis, et conſilii plurimum, integritas ſingularis, tanta in Patriam caritas, vt exterarum Ciuitatum magna ſibi praemia, ſi in eas migraret, pollicentium beneficio vti noluerit, tantum in Principem obſequium, quantum in eo eſſe oportebat, qui iuſtiſſimo domino ſeruire hanc iucundiſſimam libertatem eſſe arbitrabatur. Idem in perficiendo, quod ſibi commiſſum eſſet, incredibili erat cura, nullumque publici Doctoris officium et munus ſumma cum fide non exſequebatur. Itaque multos adoleſcentes nunquam, dum vixit, non erudiuit, quodque in ſolerti, et ingenioſo homine perdifficile eſt, neque iracunde, neque laborioſe docebat. In eo etiam apparuit, quam liberali, et ingenuo eſſet animo, atque in omnibus ſeruaret modum. Sunt enim, qui prae nimio docendi ſtudio interdum peccent, quosque diſcipulorum multitudo vsque adeo delectet, vt in quadam quaſi ſpecula perpetuo maneant, et quacunque adoleſcentulum vident ſurgere, illum ſtatim per ſummam auiditatem appetant, et artificiis omnibus aucupentur. Ab horum ſedulitate tantum Zanottus aberat, quantum ab aliorum negligentia, neque modo fideliter inſtituebat adoleſcentes, ſi qui ad

ſe

ſe ventitarent, verum etiam non ideo ſibi minus placebat, quod interdum, ne quem doceret, aliorum induſtria impediebatur. Neque vero in hoc ſolum, ſed in omni vita curauit maxime, vt perpetua quadam moderatione temperatus et eſſet, et haberetur: veſtigium in eo contumaciae cerneres nullum, ac, quod magnum rarumque eſt, ab eius comitate, quemadmodum auſteritas, ſic etiam leuitas omnis aberat. In ſententia dicenda ita orationem moderabatur, vt neque ſuperbus, neque obnoxius videretur, neque aut alienae dignitatis obliuiſcebatur, aut ſuae. In diſputando, quamquam ipſe ſumme lenis erat, non illos tamen vituperabat, qui animoſe, et fortiter dicunt, modo contumelia abſit; haecque eius vox ſaepe eſt audita a multis: illos ferendos non eſſe, qui innocuam dicentis libertatem queruntur ſe ferre non poſſe, eamque in alios culpam conferunt, quam ipſi ſuſtinent. Iam veritatis cum eſſet cupidiſſimus, eam quacunque ratione infuſcare flagitium, obruere autem ſcelus eſſe putabat, ac, quamuis amicorum dignitati mirabiliter faueret, eosque laudaret libentiſſime, cauebat tamen, ne quid in ſermones ſuos per cauſam irreperet officii, quod videri poſſet blanditiis, aut gratia deprauatum. Quo magis mirandum eſt, eumdem in aſſentationis ſuſpicionem nonnunquam incidere potuiſſe. Sed ſic eſt vulgus; pauca ex veritate, multa ex opinione aeſtimat. Quodcunque autem rectum eſt, id ad prauum ſemper aliquid quodammodo videtur accedere, ac quamuis eius diſſimillimum ſit, nihilominus ab imperitis iudicibus idem exiſtimatur. Quare vt dicendi ingenuitatem arrogantiam appellant, ita iudicandi modeſtiam aſſentationis nomine accuſant. Cum vero Zanotti animum multis amiciſſimum deprehendimus, tum nulla in ceteros maleuolentia ſuffuſum nouimus. Igitur vt ipſe gloriae ſeniorum ſuccreuerat, ita ad ſuam gloriam conſurgentes alios laetus adſpiciebat,

alio-

aliorumque virtutes imitatione dignas eſſe, non invidia arbitrabatur: omnino morum praecepta a graviſſimis Philoſophis arripuerat, non diſputandi cauſa, vt magna pars, ſed ita viuendi. His igitur rebus effecit, vt multi Principes viri eius conſuetudinem, conuictumque expeterent, quos ſi omnes recenſere velim, nimius ſim; praeſertim cum ii plerique ſint, quorum ſi nomina commemorem, aegre mihi ipſe temperem a laudando. Quis enim, ſi modo Ignatium Boncompagnum Cardinalem ampliſſimum nominauerit, laudibus abſtineat? Quamquam huius ſapientiam admirari facilius poſſumus, quam verbis explicare, qui id conſecutus eſt, quod pauciſſimos omni aetate obtinuiſſe videmus, vt in maximis prouinciae occupationibus idem prodeſſet litteris cum ingenio, tum auctoritate, eundemque haberent docti homines, a quo laborum ſuorum et praemia peterent, et exempla. Senatus autem Bononienſis, cuius eſt iudicium grauiſſimum, tantum Zanotto tribuit, quantum memoria noſtra fere nemini. Namque eundem ampliſſimis muneribus decorauit, et multa non petenti conceſſit, quae aliis petentibus denegauerat, ac, ne quod illi in ſuis ciuibus ornamentum deeſſet, Inſtituti Praeſidem creauit, eumque tribuit dignitatis gradum, quo, ſecundum Patres, altior nullus Bononiae eſt. Cuncta autem Italia, atque adeo Europa quanti eum faceret, inde apparebat, quod e doctis hominibus Bononiam venientibus nemo erat, qui ipſum videre praetermitteret, nemo, qui cum vidiſſet, non id ad ſuae peregrinationis vberiores fructus referret. Multis etiam nobiliſſimis Academiis adiunctus eſt, quibus erat notiſſimus, non ex praeſenti quidem corporis forma, (quamquam multas prouincias hydrometriae praeſertim exercendae cauſa obierat) ſed ex imagine ingenii ſui, quam purae, minimeque fucatae eloquentiae coloribus expreſſam in eius ſcriptis licebat intueri. Quapropter, quod veriſſime poſſumus dicere, paucos ille

 habuit

habuit obtrectatores; quamquam magna inuidia magnae gloriae fere comes eſt, neque vmquam inepti deerunt, qui cum ſe velint poſſe omnia, neque praeterea quidquam eſſe aut in homine vllo, aut in ordine, aliorum ingenium, et virtutem depreſſam, exſtinctamque cupiant. Sed illi certe, quibus Zanottus ſe probari exoptabat, ſemper probarunt; ſunt vero etiam multi, quibus diſplicere laus eſt. Tali modo cum LXXII. annos compleſſet, interuenit illi mors, vt ſeni, matura; ita bonis omnibus acerba. Natus erat anno milleſimo ſeptingenteſimo nono V. Kal. Decembres, deceſſit Idib. Maiis anno milleſimo ſeptingenteſimo octogeſimo ſecundo. Mortuo honores habiti non vulgares: Namque Bononienſis Academia exſequias funeris proſecuta eſt, decretumque a ſuis ciuibus, vt eius memoria litteris mandaretur. Eiusdem imago in quamplurimis numismatis, qua argenteis, qua aeneis, impreſſa eſt, vt, cuius ingenii monumenta aeterna futura ſint, eius vultus effigies ne a poſteritate deſideretur. Vtinam vero quae ornamenta in Zanottum plurima, et maxima Bononienſes congeſſimus, ea multos e noſtris adoleſcentibus ad bene de litteris merendum alliciant et excitent! Hic enim, meo iudicio, eſt honorum, qui ſummis viris tribuuntur, fructus vel vberrimus. Neque enim, quod plerique iam dictitant, languet adeo noſtrorum iuuenum induſtria, vt commoueri famae opinione non poſſint, neque reſtinctus eſt apud nos vetus ille ad honeſtas diſciplinas animorum ardor. Illorum haec querela eſt, qui inani quadam antiquitatis ſpecie commoti faſtidire ſic praeſentia conſueuerunt, vt eandem ſemper fuiſſe humanae naturae conditionem vix ſentiant; quaſi vero aut qui ad gloriam modo contendant, nulli ſint, aut optimum quodque non fuerit omni aetate rariſſimum, multique veteribus temporibus exſtiterint Themiſtocles, qui ad conſequendum ſplendorem nominis mirabiliter inflammati alienis trophaeis e ſomno ſuſcitarentur.

XXXVI.

XXXVI.

Noua phyſico-medica.

Etſi remediis non inops ſit ars medica, nouorumque medicamentorum vſus caute ſit inſtituendus, ita, vt multis experimentis comprobata laude et applauſu digna tantum habeantur; tamen ſunt multa hominem infeſtantia mala adeo rebellia, vt ſalubria his oppoſita remedia notatu digna celebrandaque videantur. Ex his eſt illud, quod iam indicamus. Laudatur nempe a Cl^mo^ SENEBIER contra vlcera inveterata, quae aliis omnibus medicinis reſiſtunt, liquor gaſtricus recens ex animalibus mactatis depromtus, quo, per pannum filtrato, vulnus repetita vice lauatur, linteumque carptum eodem humectatum vulneri immittitur, donec vlcus conſolidetur. Vlcera colli gargariſando ſanantur. Efficaciſſimus putatur liquor gaſtricus Aquilarum, quo facile potiundum eſt hac methodo. Spongiae minutae aquilis degluțiendae dantur, quas illae liquore gaſtrico repletas paullo poſt euomunt. Notanda haec ſingularis obſeruatio etiam eapropter nobis videtur, quod, ſi vſu probatur, noua, eaque magna, animantium, parum alias vtilium, vtilitas in homines ſequitur.

De conſeſſu publico Societatis regiae Pariſiuae, d. 30 Auguſti habito, proxime vberius referemus. Iam vero indicamus praemium acceſſorium quaeſtioni de vtilitate vel noxis ex vſu corticis Peruuiani in febribus intermittentibus redundantibus, obtinuiſſe Cl^um^ ACKERMANN, M. D. *Zeulenrodae*, atque Phyſicum Praefect. Burgenſis, caet.

ERNESTUS BENJ. GOTTL. HEBENSTREIT, Medicinae Doctor, variis ſcientiam naturalem concernentibus ſcriptis clarus, Profeſſor medicinae extra ordinem in hac noſtra vniuerſitate Lipſica nominatus, hocque munus auſpicatus eſt oratione *de recentiorum in phyſiologiam meritis*, ad quam inuitauit programmate *de aquae natura aërea.*

Cl. FRANK, nuper Gottingae Profeſſor Medicinae nominatus, iterum vrbi et academiae huic dixit vale, adiitque *Paviam*, vbi Cl° TISSOT ſucceſſit, atque Profeſſor Medicinae factus eſt.

In locum b. MUZEL, Conſiliarii intimi, ſucceſſit Cl. SELLE, atque regius archiater nominatus eſt.

Cl. REUSS, Medic. Doctor Tubingenſis, *Bruchſalium* adiit, Archiatri munere ab epiſcopo *Spirenſi* Sereniſſimo ornatus.

Göttingae STROHMEYER, vir Clariſſimus, Profeſſoris extraordinarii nomine honoratus eſt.

Cl. MERREM, vir non ſolum obſeruationibus variis hiſtoriam naturalem ſpectantibus, ſed inchoato etiam nuper opere eximio ornithologico inter eruditos ſatis celebris, in Academia *Duisburgenſi* munus Profeſſoris Phyſices et Matheſeos nuper ſuſcepit.

In locum LOBSTEINII *Argentorati* Cl. THOMAS LAUTH, Medicinae Doctor, Profeſſoris Anatomiae munus accepit.

Ibidem Cl. SPIELMANN, filius magni quondam Chemici, ordinaria Medicinae Practicae Profeſſura ornatus eſt.

Cl° L'AUMONIER, poſt obitum DAVIDIS *), munus protochirurgi in Noſocomio, *Hotel-Dieu* dicto, et Profeſſoris regii Rothomagii demandatum eſt.

FRIDERICUS HENRICUS LOSCHGE, Medicinae Doctor, Erlangae Profeſſor medicinae extraordinarius atque Proſector anatomici Theatri factus eſt.

IOANNES DAVID BUSCH *Marburgi* Profeſſor Medicinae ordinarius primarius factus eſt; et Cl. BRANDAU profeſſionem medicinae ſecundariam nactus eſt.

Academiae Scientiarum *Lyonenſis* et *Vliſſingenſis* Illem MURRAY, Equitem, et Conſil. aulicum, vt et Profeſſorem Gottingenſem, Socium ſibi adoptauerunt.

Socie-

*) vid. comm. noſtr. Vol. XXVI. p. 544. et p. 709.

Societas Scientiarum Gottingenſis litterarum commercio ſibi iunxit Cl^um^ LANDRIANI, Profeſſorem Milanenſem, et Cl^um^ MEDERER, Profeſſorem Medicinae Friburgenſem.

Mortui ſunt.

d. XXIII. Novbr. 1784. in Sileſiae vico *Gnadenfrei* prope oppidum Reichenbach Cl. IO. IAC. RITTER, Medicinae Doctor, annos LXXI natus, de cuius ſcriptis relatum eſt in BÖRNERI relationibus de Medicis Germanorum.

d. XXI. Ian. 1785. *Hagae* Comitum Cl. SCHWENKE, M. D. Botanicus doctus, anno aetatis octuageſimo octauo.

Eodem die, *Lubecae* ADAMUS FRIDERICUS VOGEL, Medicinae Doctor ſolertiſſimus peritiſſimusque, trigeſimo ſeptimo aetatis anno.

d. IX. Febr. eiusdem anni *Lutetiae* Pariſiorum IOANNES BAPT. GUILIELMUS FERRANT, Medicinae Doctor, Profeſſor Chirurgiae Regius, Protochirurgus Noſocomii regii, Academiarum Florentinae, Rothomagienſisque, atque Inſtituti Bononienſis ſocius, Academiae Pariſinae Conſiliarius, anno aetatis quinquageſimo.

d. XXIII. April. eiusdem anni IO. PAULUS WERNER, Medicinae Doctor, Conſiliarius aulicus et Profeſſor Medicinae ordinarius Fuldenſ. annos quinquaginta ſeptem natus.

Lipſiae in bibliopolio *I. G. Mülleriano* prodibunt propediem QUINTI SERENI SAMONICI de Medicina praecepta ſaluberrima. Textum recenſuit, Lectionis varietatem, notas Interpretum ſelectiores ſuasque adiecit IOANNES CHRISTIANUS GOTTLIEB ACKERMANN, Medic. Doctor, Phyſ. Zeulenrodan. et Provinc. Burgenſis, Academiae Naturae curioſorum collega.

XXXVII.

Continuatio indicis librorum phyſico-medicorum, qui anno 1780 prodierunt.

Cirurgia corregida di GORTER traducida de el latin en eſpanol aumentada di anotaciones por DON JUAN GALISTEO, en Madrid. 4.

Eſperimenti ſopra il Ferro crudo, e ſopra il Ferro malleabile del C. M. GARBURI, in Padova. 4.

C. W. I. GATTERERI Breviarium Zoologiae. P. I. Mammalia. Gottingae. 8. (vid. c. n. Vol. XXV. p. 290.)

I. G. GEBLER Diſſ. migrationes celebriorum morborum contagioſorum. Gottingae. 4.

** GEMMING obſeruationes practicae de remediis contra ſententias celſiſſimae camerae imperialis. Wezlariae. 4.

GEOFFROY *von Gehörwerkzeugen der Menſchen, der Amphibien und der Fiſche. Nebſt eignen Zuſätzen. Leipzig. 8.*

GEORGI Diſſ. de lucis arte oblectamenti cauſſa inſtructis. Gottingae. 4.

Experiences et Obſervations ſur differentes eſpeces d'air. Ouvrage traduit de l'anglois de M. PRIESTLEY, p. M. GIBELIN. à Paris. 8.

GIBSONS *Abhandlung von den Krankheiten der Pferde und ihrer Heilung, nebſt einer Anweiſung über die Behandlung derſelben, a. d. E. von I. G. C. Koch. Göttingen. 8.*

I. F. GLASERS *phyſicaliſch-ökonomiſche Abhandlung von den ſchädlichen Raupen der Obſtbäume nebſt bewährten Hülfsmitteln ſolche Raupen von den Obſtbäumen abzuhalten und zu vertreiben. M. K. Leipzig. 8.*

EIUSD. *auf Erfahrung gegründete Abhandlung von der tödtlichen Knotenkrankheit unter dem Rindviehe und dem Rothwildprete. m. K. Leipzig. 8.*

I. G. GLAESERS *Beyträge zur Naturgeſchichte und Bergpolizeywiſſenſchaft. m. K. Leipzig. 8.*

WILH. FRIEDR. *Freiherrn* VON GLEICHEN *auserleſene mikroſkopiſche Entdekungen bey den Pflanzen, Blumen, Blüten, und Inſekten. 5te Ausgabe. Nürnberg. gr. 4. m. K.*

I. I. GLUM de illa haemoptyſi, quam phthiſis ſequitur. Duisburgae. 4.

Obſeruationes medicae de Thermis Badenſibus, auct. I. F. GLYCKER. Argentorati. 4.

I. F. GMELIN *Einleitung in die Chemie. Nürnberg. 8.*

EIUSD. *Einleitung in die Mineralogie, ibid. 8.*

Abregé et examen de l'art des accouchements par demandes et par reponſes, avec des obſervations particuliers tirées des meilleurs auteurs, à l'uſage de ſages-femmes et des eleves en chirurgie, par M. C. GODECHARLE, à Bruxelles. 12.

I. A. E. GOEZE *entomologiſche Beyträge zu des Ritters Linné zwölften Ausgabe ſeines Naturſyſtems. 3ten Th. 2ter Band. Leipzig. 8.*

Phyſique du monde ornée des planches par M. GOUFFIER. à Paris. 4.

Piano du Ritorma per la publica Economia delle Provincie del regno di Napoli e per l'Agricultura delle due Sicilie, del D. GRIMALDI. Napoli. 8.

FRANZ GRISELINI *Verſuch einer politiſchen und natürlichen Geſchichte des Temeswarer Bannats in Briefen an Standesperſonen und Gelehrten. Erſter Theil. Wien. gr. 4.*

D. G. G. GRUNERI delectus Diſſertationum medicarum Ienenſium. Vol. I. Altenburgi. 8. cum fig.

EIUSD. *Bibliothek der alten Aerzte in Ueberſetzungen und Auszügen. Erſter Theil.* HIPPOCRATES. *Leipzig. gr. 8.*

D. G. G. GRUNERI via et ratio formulas medicas conſcribendi. Lugd. 8. vid. etiam STREBEL.

Lettere odeporiche di A. GUALANDRIS. Venezia. 8. (vid. c. n. V. XXV. p. 136.)

Diſſertation ſur les maladies de l'urethre avec des reflexions ſur la methode qu'ont emploiée jusqu'à préſent quelques practiciens, par M. GUERIN. à Paris. 12.

EIUSD. Traité ſur les gonorrhees. *ibid.* 12.

Die Landwirthſchaft mit ihren Fehlern und Verbeſſerungen, herausgegeben von I. HABERKORN VON HABERSFELD. *Breslau. 8.*

HACQUETS *Nachricht von Verſteinerungen von Schaalthieren, die ſich in ausgebrannten Feuerſpeyenden Bergen finden etc. Herausgegeben von* I. S. SCHROETER. *Weimar. 8.*

ANT. DE HAEN praelectiones in H. BOERHAVE inſtitutiones pathologicas recenſuit, edidit F. DE WASSERBERG. T. I. et II. Viennae. 8maj.

EIUSD. *Heilungsmethode in dem praktiſchen Krankenhauſe zu Wien. 2ter Band. Aus deſſen gröſsern lateiniſchem Werke von D.* E. PLATNER. *Leipzig. gr. 8.*

vom Ludolfſchen Barometer; zugleich einige Betrachtungen der Witterung überhaupt, und über die Lage, Gegend und Geſundheit von Holzminden, von I. F. HAESELER. *Holzminden. 4.*

ALB. HALLERI primae lineae Phyſiologiae. Edit. IV. emendata ab H. A. WRISBERG. Gottingae. 8maj.

EIUSD. Iconum anatomicarum, faſc. III. vsq. VII. edit. nova, c. icon. fol. maj. Ibid.

EIUSD. *Auserlesne chirurgiſche Diſputationes in einen Auszug gebracht, und mit Anmerkungen verſehn von* D. F. A. WEIZ. *2ter Th. Leipzig. 8.*

EIUSD. *Sammlung Akademiſcher Streitſchriften die Geſchichte und Heilung der Krankheiten betreffend, in*

einen

einen vollſtändigen Auszug gebracht, und mit Anmerkungen verſehn von Dr. L. CRELL. *3ter Band. Helmſtädt. 8.*

ALB. HALLERI *Phyſiologie, oder erſter Umriſs der Geſchäfte des körperlichen Lebens, zu Vorleſungen eingerichtet; nach der neuen Lat. Ausgabe des Hr. Prof.* WRISBERG *verdeutſcht und mit Anmerkungen verſehn. Berlin. gr. 8.*

AD. ALBR. HAMBERGERS *kurzer Entwurf ſeiner Naturlehre, worinnen alles aus dem einzigen Begriffe, daſs Kraft nichts anders als Druck ſey, erwieſen wird, m. K. Iena. 8.*

Vermium inteſtinorum hominis hiſtoria, diſſ. Auct. F. HAPP. Lipſiae. 4. *(diligens tractatio).*

An Anſwer to the Letter addreſſed by F. RIOLLAY, to DR. HARDY, on the Hints given concerning the origin of the Goat in his Publication on the Colic of Devon. etc. By I. HARDY M. Dr. Cadell. 8.

Abregé de l'hiſtoire des Voyages contenant ce qu'il y a de plus remarquable, de plus utile et de mieux avéré dans les pays ou les voyageurs ont penetrés, par M. DE LA HARPE. 21 Vol. Paris. 8.

I. F. HARTMANS *natürliche Luft-Electricität der Atmoſphäre, tabellariſch entworfen. Hannover. 8.*

I. A. HEINSIUS *Gründe für und wider die Pokkeninoculation. Leipzig. 8.*

I. A. G. HELLBACH. Diſſ. inaug. de eryſipelate. Erfurt. 4.

C. A. G. HELLWIG (praeſ. BEIREIS) de debilitate corporis humani. Helmſt. 4.

T. G. HERNISEN Diſſ. de cauſſa inebriandi ſpirituum vinoſorum. Duisb. 4.

E. HERWIGS *Beſchreibung des in der Herrſchaft Schmalkalden üblichen Eiſenſchmelzens und Schmiedens. 2te Auflage. Frankfurt. 8.*

I. G. HERZOGS *Unterricht vor Hebammen auf dem Lande, mit einer Vorrede von* D. W. TRILLERN. *Dresden. 8.*

HEUSINGER Diſſ. inaug. (praeſ. GRUNER) de dolorum partus ſpaſticorum natura et medela. Ienae. 4.

Experiments and Obſervations made with the View of improving the Art of compoſing and applying calcareous cements and preparing Quick lime. By MR. HIGGINGS. London. 8.

P. E. HINZ diſſ. (praeſ. BEIREIS) de febribus et variolis verminoſis. Helmſt. 4.

The hiſtory of Epidemies. By HIPPOCRATES. Vid. FARR.

C. C. E. HIRSCHFELDS *ausfürliche Theorie der Gartenkunſt. 3ter Theil. Leipzig. gr. 4.*

G. L. HOCHGESANGS *Nachricht von Verfertigung des Glaſes, m. K. Gotha. 8.*

H. C. C. HOELSCHERS *Erfahrungen von der Bienenzucht. Hannover. 8.*

I. W. HOENERTS *Anweiſung zur Anlegung eines Blumengartens. 2ter Th. mit botaniſchen Berichtigungen. Bremen. 8.*

F. I. HOFERS *Abhandlung vom Kaffe, worinnen von deſſen Urſprunge, Geſchichte, Zubereitung, Verfälſchung etc. gehandelt wird. Ulm. 8.*

G. G. HOGELS *Erfahrungen und gemeinnützige Bemerkungen über . en Gyps und deſſen Gebrauch. Leipzig. 8.*

Clinical Experiments Hiſtories and Diſſections. By F. HOME. Lond. 8.

Microſcopic Obſervations; or DR. HOOKES wunderfull Diſcoveries by the Microſcope illuſtrated by thirty three Copper Plates, curiously engraved. Lond. Fol.

M. HU-

M. HUBE'S *Landwirth, 1ter Band, beſtehend in 4 Stükken. Warſchau. gr. 8.*

EIUSD. De telluris forma liber ſingularis. Varſoviae. 8.

DR. HUNGERBIELER de Oleo Ricini. Friburgi. 8maj.

I. HUNTERS *natürliche Geſchichte der Zähne und Beſchreibung ihrer Krankheiten. Aus dem Engliſchen. m. K. Leipzig. gr. 8.*

Disquiſitio medico-forenſis, qua caſus et annotationes ad vitam foetus neogoni diiudicandam facientes proponuntur C. F. IAEGER. Vlmae. 4.

PET. HILD. IAEGER diſſ. (Praeſ. BOEHMER) de Arthritide. Halae. 4.

Les grands remedes contre la rage, l'epilepſie, les vertiges, et vapeurs, qui ont atteinte à ce mal et autres infirmites. Par M. LE JAYANT. à Paris. 8.

Experiences ſur les vegetaux, par M. INGENHOUSS; traduit de l'Anglois par l'Auteur. à Paris. 8.

A Tour in Ireland: with general Obſervations on the preſent ſtate of that kingdom: by JOUNG. London. 4.

A Series of Adventures in the Courſe of a Voyage up the Red Sea, on the Coaſt of Arabia and Egypt; and of a Route through the Deſarts of Thebais, hitherto unknown to the Europeans Travellers, in the Year 1777. By IRWIN. Illuſtrated with Maps and Cuts. 4.

I. C. IUENGKEN, diſſ. (praeſ. BOEHMER) de herniis abdominalibus. Halae. 4.

ARN. IULIAANS Diſſ. de reſina elaſtica Caiennenſi. Ultrai. 8. (vid. c. n. Vol. XXIV. p. 689.)

Verſuch einer Grundlehre ſämmtlicher Cameralwiſſenſchaften: von DR. I. H. IUNG. *Lautern. 8.*

An Account of the Methods purſued in the Treatment of Cancerous and Scirrhous Disordres and

other

other Indurations. By. L. C. IUSTAMOND. London. 8. (vid. c. n. Vol. XXV. p. 576.)

I. H. G. V. IUSTI *Abhandlung von Manufacturen und Fabriken. IIte Ausg. verbeſſert und mit Anmerkungen von* I. BECKMAN. *II Theile. Berlin. 8.*

L. M. KAPP, (praeſ. DELIO) Diſſ. inaug. obſeruationes et propoſitiones medico-chirurgicae cum aduerſariis nonnullis chymicis. Erlangae. 4.

W. I. G. KARSTENS *Anfangsgründe der Naturlehre. Halle. 8.*

Die Kunſt rohe und calcinirte Potaſche zu machen, auf Befehl Sr. allerchriſtlichſten Majeſtät durch die General-Verwalter des Pulvers und Salpeters bekannt gemacht. A. d. F. überſetzt von C. F. KAUSLER. *Stutgard. 8.*

I. C. KERSTENS Primitiae Florae Holſaticae vid. WIGGERS.

Thoughts on Amputation Being a Supplement to the Lettres on compound fractures and a comment on DR. BILGUER's Book on this Operation, to which is added a ſhort Eſſay on the Uſe of Opium in Mortifications. By THOM. KIRKLAND. London. 8. (vid. c. n. Vol. XXVI. p. 311.)

KLIPSTEINS *mineralogiſche Briefe. 4tes Stück. Gieſſen. 8.*

Vollſtändige Abhandlung von der zuverläſſigen Vermehrung der Futterkräuter zu Verbeſſerung der Landwirthſchaft von F. I. KNECHT. *Stutgard. 8.*

THOM. KNIGGE de mentha piperitide, Comm. botanico-medica, c. tab. aen. Erlangae. 8.

I. F. KNIKING Diſſ. de Dyſenteria, quae a. 1779 graſſata eſt. Duisburgae. 4.

Lettres ſur l'hiſtoire naturelle de l'isle d'Elbe par C. H. KOESTLIN. Vienne. 8. (vid. c. n. Vol. XXIV. p. 410.)

EIUSD. faſciculus animaduerſionum etc. Stutgardi. 4. (vid. c. n. ibid. p. 309.)

C. H.

C. H. KOESTLIN *Abhandlung von der Methode die Sauerbrunnen vermittelſt der fixen Luft, eben ſo wirkſam, als die natürlichen ſind, auf eine wohlfeile Art durch die Kunſt nachzumachen. Stutg. 4.*

C. V. KRAPF *anatomiſche Verſuche und Anmerkungen über die eingebildete Erweiterung der Bekkenhöle in natürlichen, und angeprieſene Durchſchneidung des Schambeinknorpels in widernatürlichen Geburten. 1ter und 2ter Theil. Wien. 8.* (vid. c. n. dec. III. Suppl. 4. p. 669.)

F. C. KREBS Diſſ. de Apoplexia peripneumoniam indicante. Helmſt. 4.

AXELS VON KRONSTAEDT *Verſuch einer Mineralogie; Aufs neue aus dem Schwediſchen überſetzt und vermehrt von* A. G. WERNER. *1ten Bandes 1ter Th. Leipzig. gr. 8.*

Mediciniſches Gutachten über eine Frau, ſo kurz nach einer Schlägerey geſtorben, von DR. T. A. G. KRÜGER. *Eiſenach. 8.*

EIUSD. *Anzeige einer hinlänglichen Beſchützungs- und Heilungsart gegen die Hornviehſeuche. Ibid. 8.*

Oekonomiſche Encyclopädie oder allgemeines Syſtem der Staats- Stadt- Haus- und Landwirthſchaft, von DR. I. G. KRÜNITZ. *19. 20. und 21. Th. m. K. Berlin. 8.*

Diſſ. inaug. phyſiologica, de ſecretione in genere, Auct. FERD. WIL. LAAKMAN. Baſiliae. 4.

Nouvelles obſervations, ſur l'effets du Rob, antiſyphilitique, par M. LAFFECTEUR. Paris. 8.

Dictionnaire de phyſique, par M. DE LAFOND. à Paris. 4 Vol. 8. av. fig.

Traité de Scrophules, vulgairement appellées ecrouelles, ou humeurs froides, p. M. P. LALOUETTE. à Paris. 12.

Unterſuchung über die Bewegungskräfte auf Salzwerken von K. C. LANGSDORF. *Manheim. 8.*

Diſſer-

Diſſertation contre l'uſage des bouillons de viande dans les maladies febriles par M. C. P. DE LAUDUN. à Paris. 8.

Tabellen über die Verſteinerungen zum erſten Unterricht entworfen von I. G. LENZ. *Jena. 4.*

Conſultation chimico-medico-legale ſur la queſtion: L'approche de certaines perſonnes nuit-elle à la fermentation des liqueurs? par M. A. LE ROY. à Paris. 8.

N. G. LESKE *von dem Drehen der Schafe, und dem dieſe Krankheit verurſachenden Blaſenbandwurme. Leipzig. 8.* (v. c. n. V. XXIV. p. 291.)

EIUSD. *Abhandlungen zur Naturgeſchichte, Phyſik und Oekonomie, aus den philoſophiſchen Transactionen mit Anmerkungen. Erſten Bandes, Erſter Theil. Leipzig. 4.*

H. P. LEVELING *anatomiſche Erklärung der Original-Figuren von* ANDREAS VESAL, *ſamt einer Anwendung der Winslowiſchen Zergliederungslehre, in ſieben Büchern. Ingolſtadt. gr. Fol.*

EIUSD. Obſervationes anatomicae rariores de Valuula Euſtachii et foramine ouali. Ibid. 8.

Göttingſches Magazin der Wiſſenſchaften und Litteratur, herausgegeben von G. C. LICHTENBERG *und* G. FORSTER. *1—4. Stück. Göttingen. 8.*

CAROLI LINNEI Philoſophia Botanica, in qua explicantur Fundamenta botanica cum definitionibus partium, exemplis terminorum, obſeruationibus variorum, adiectis Figuris aeneis. Curante D. I. G. GLEDITSCH. Berolin. 8. editio noua.

Des Ritters C. LINNE' *vollſtändiges Pflanzenſyſtem. 6ter und 7ter Theil. Nürnberg. gr. 8.*

LINGUET *und* TISSOT *über das Getreide und Brodt. Aus dem Franzöſiſchen, nebſt Geſchichte einer giftigen Art Erbſen vom Ueberſetzer. Zürich. 8.* (Editor eſt Cl. HIRZEL, filius.)

I. C. LODER Progr. Anatomica Obſeruatio tumoris ſcirrhoſi in baſi cranii aperti, cui adiuncta eſt

breuis disquiſitio de vero olfactus organo. Ienae. 4.

LORRY *von den Krankheiten der Haut. Leipzig. 8.*

Second memoire ſur des Meſures barometriques dans le mines du Harz, p. M. DE LUC. à Londres. 4.

C. F. LUDWIG, de cinerea cerebri ſubſtantia Diſſertatio. Lipſiae. 4. (vid. c. n. Vol. XXIV. p. 521.)

Vollſtändige Anleitung zur Wartung aller in Europa bekannten Küchengartengewächſe, aus dem Engliſchen überſetzt von F. I. H. LÜDER, *mit Kupfern. Lübeck. 8.*

Experiments and Obſervations made with a View to point out the Errors of the receveid Theory of Electricity; By I. LYON. Dodsley. 4.

S. P. I. MACQUER *chymiſches Wörterbuch, oder allgemeine Begriffe der Chymie nach alphabetiſcher Ordnung, aus dem Franzöſiſchen nach der zweiten Ausgabe überſetzt, von* D. I. G. LEONHARDI. *1ter und 2ter Th. Leipzig. 8.* (vid. c. n. Vol. XXV. p. 77.)

M. TERENTIUS VARRO, *von der Landwirthſchaft mit Anmerkungen von* I. F. MAYER. *Neue Aufl. Nürnberg. 8.*

Mémoire ſur le rakitis, ou maladie de la colonne vertebrale; à laquelle les enfans ſon ſujets jusqu'à la pleine adoleſcence, avec un examen de ſes cauſes, etc. en outre l'expoſition d'un nouveau moyen des plus efficaces pour empecher ſes progres: par M. MAGNY. à Paris. 8.

Modern Improvements in the pratice of Phyſic. By H. MANNING. London. 8. (vid. c. n. Vol. XXV. p. 419.)

EIUSD. modern Improvements, in the practice of Surgery. Ibid. 8. (vid. ibid.)

Recherches phyſiques ſur le feu, par M. MARAT. à Paris. 8.

Decou-

Decouvertes ſur la lumiere, par M. MARAT. à Londres. 8.

Mémoire pour ſervir au traitement de la Dyſenterie, par M. MARET. à Dion. 8.

EIUSD. Mémoire ſur les moyens à employer pour s'oppoſer aux ravages, de la variole, etc. (vid. c. n. dec. III. Suppl. 3. p. 563.)

MARIVEZ vid. GOUFFIER.

Flore françoiſe, ou Deſcription ſuccincte, des toutes plantes, qui croiſſent naturellement en France etc. par M. DE LA MARK. à Paris. 8.

MARTINETS *Katechiſmus der Natur. Leipzig. gr. 8.*

EIUSD. *Kleiner Katechiſmus der Natur.* Ibid. 8.

Experiences nouvelle ſur les proprietés de l'alcali volatil-fluor JEAN FRÉD MARTINET. à Paris. 8.

Inſtitutiones neurologicae ſiue de neruis corporis humani tractatio. Editio ſecunda. Sectio prior phyſiologica. Sectio II. anatomica, cum fig. aen. auct. ROLLANDO MARTIN. Holmiae. 4.

F. MARTINI *Betrachtungen in der Lehre vom Kopfwunden. Hamburg. 8.* (vid. c. n. dec. III. Suppl. 4. p. 671.)

F. H. W. MARTINI *neuen ſyſtematiſchen Conchylienkabinets 4ter Band. Nach deſſen Tode fortgeſetzt von* I. H. CHEMNIZ. *Nürnberg. gr. 4.*

Procedé facile et complet avec la leçon ſur la Grappe et le Probleme ſur le tems juſte du decuvage des vins, etc. par M. MAUPIN. à Paris. 8.

EIUSD. Probleme ſur le tems juſte du decuvage des vins, avec la ſolution de ce problem etc. Ibid. 8.

Mémoire ſur l'electricité medicale et hiſtoire du traitement de vingt malades traités et la pluspart guerris, par M. MAZARD. à Paris. 8.

E. W. L. MEURS Diſſ. de differentia paſſionis hyſtericae a morbis conuulſiuis reliquis. Duisburgae. 4.

Vues phyſiologiques ſur l'organiſation animale et vegetale, par M. DE LA METHERIE. à Paris. 12.

Lettre de M. MITIE D. M. à l'auteur de la gazette de ſanté. à Paris. 8.

I. MOHRENHEIMS *Beobachtungen verſchiedner chirurgiſchen Vorfälle, m. K. Wien. gr. 8.* (vid. c. n. Vol. XXIV. p. 646.)

I. G. MOLL, Diſſ. de apoplexia bilioſa. Gottingae. 4.

Obſervations on the Means of Preſerving the Health of Soldiers, and of conducting Military Hoſpitals. By D. MONRO. II. Vol. London. 8.

Obſervations theoriques et pratiques ſur la maladie epidemique de Montfort-l'Amaury, par M. DE MONTPLANQUA. à Amſterdam et Paris. 12.

R. MORTONS *Phthiſiologie oder Abhandlung von der Schwindſucht, aus dem Latein. Helmſtädt. 8.*

Anfangsgründe der theoretiſchen und praktiſchen Chymie, nach neuen Entdeckungen in Ordnung gebracht von den Herrn DE MORVEAU, MARET *und* DURANDE. *Aus dem Franzöſiſchen mit Anmerkungen von* C. E. WEIGEL. *II. und III. Band. Leipzig. 8.*

I. I. M. V. MUCHA *Anleitung zur mineralogiſchen Kenntniſs des Queckſilberbergwerks zu Hydria. Wien. 8.*

I. MUDGES *Abhandlung von dem catarrhaliſchen Huſten. Leipzig. 8.*

D. I. L. MÜLLER D. de fungo articulari cum annexa eiusdem argumenti obſervatione. Gottingae. 4.

I. F. MÜLLER Diſſ. inaug. Genitalium ſexus ſequioris, ovi, nutritionis foetus atque nexus inter placentam et vterum brevis hiſtoria. Ienae. 4.

Einleitung in die öconomiſche und phyſicaliſche Bücherkunde von M. G. I. MÜLLER. *1ſter Band. Leipzig. 8.*

AD. MURRAY Diſſ. deſcriptio arteriarum corporis humani in tabulas redacta. Vpſaliae. 4.

EIUSD. diſſ. de ſpinae dorſi luxationibus; reſp. P. GRILLSON. ibid. 4.

C. L. MURSINNA *Beobachtungen über die Ruhr etc. Berlin.* 8. (vid. c. n. dec. III. Suppl. 4. p. 643.)

Trattato del Idrocele di LORENZO NANNONI. Milano. 8.

E. A. NICOLAI *von Recepten und Curarten etc. Iena.* 8. (vid. c. n. dec. III. Suppl. 3. p. 547.)

EIUSD. Progr. de pulſu duro et molli. Ibid. 4.

C. W. NOSENS *Abhandlung von veneriſchen Krankheiten. Augsburg.* 8.

C. F. NÜRNBERGERI obſervationes anatomico-phyſiologicae ſuper glandulis conglobatis. Wittenbergae. 4.

Notizie per ſervire alla ſtoria naturale della Dallmazia, raccolte dal PIETRO NUTRIZIO. In Trevige. 4.

H. W. M. OLBER Diſſ. inaug. de oculi mutationibus internis. Gottingae. 4.

Hiſtoria natural de la malagueta è pimienta de Tavaſco. Por el Don C. G. ORTEGA. en Madrid. 4.

F. B. OTTLEBEN Diſſ. de potus ex coffeae ſeminibus parati noxio effectu. Helmſt. 4.

P. S. PALLAS ſpicilegia zoologica. Faſcic. XIV. Berolini. 4maj. (vid. c. n. Vol. XXIV. p. 249.)

Traité de la Chataigne, par M. PARMENTIER. à Baſtia et à Paris. 8.

Dizionario portatile di Fiſica. Opera del P. PAULIAN. Ed. ſeconda. Venezia. 8.

PAULIMERS *Unterricht von Podagra und deſſen Heilung. A. d. Franz. Dresden.* 8.

PERRETS *Abhandlung vom Stahl, deſſen Beſchaffenheit, Verarbeitung und Gebrauch. A. d. Franz. mit einem Kupfer. Dresden.* 8.

Hiſtoire de la Chirurgie depuis ſon origine jusqu'à nos jours par M. PEYRILHE. à Paris. 4.

I. D. PEZOLD Diſſ. de reductione Antimonii. Gottingae. 4.

Conjetture meteorologiche de Dr. L. PIGNOTTI. In Firenze. 12.

HERMENEGILDI PINI de Venarum metallicarum excoctione. Vol. I.

EIUSD. *Mineralogiſche Beobachtungen über die Eiſengrube bey Rio und in andern Gegenden der Inſel Elba. Aus dem Italieniſchen mit neuern Bemerkungen des H.* KÖSTLIN *vermehrt, nebſt einer Abhandlung über die ſonderbare Kryſtalliſation des Feldſpats, herausgegeben von* I. F. GMELIN. *Halle.* 8. *mit* 4 *Kupfern.* (cf. comm. n. Vol. XXIV. p. 687.)

Fiſica moderna racional y experimental. Par Don AND. PIQUES. en Madrid. 8.

I. I. PLENKS *Lehrſätze der praktiſchen Wundarzeneiwiſſenſchaft. 2te Auflage. Wien. gr.* 8.

EIUSD. compendium Inſtitutionum chirurgicarum. Edit. 2da emendata. Ibid. 8maj.

EIUSD. primae lineae anatomes. Edit. 3a. emendatior. Ibid. 8maj. (edit. I. vid. c. n. Vol. XXII. p. 34.)

EIUSD. pharmacia chirurgica. Edit. 2da. aucta. Ibid. 8maj.

EIUSD. doctrina de morbis venereis. Ibid. 8maj.

I. I. PLENKS *Lehre von den veneriſchen Krankheiten, a. d. Lat. von* F. WASSERBERG. Ibid. 8.

EIUSD. *Erſter Umriſs der Zergliederungskunſt des menſchlichen Leibes, a. d. Lat. vom Verfaſſer. Ibid. 8maj.*

G. PLOUCQUETS *Roſarzt, oder Unterricht die Krankheiten der Pferde zu erkennen und zu heilen. Tübingen. 8.*

EIUSD. *Unterricht für Wundärzte und Verordnung wegen der tollen Hunde. Ibid. Fol.*

I. QUARIN methodus medendarum inflammationum. à Paris. 12. (de vera editione vid. comm. n. Vol. XXI. p. 248.)

RAFFS *Naturgeſchichte für Kinder. 2te Auflage. Göttingen. gr. 8.*

BERNH. RAMAZINI *Abhandlung über die Krankheiten der Künſtler und Handwerker, von* I. CHR. G. ACKERMAN. *Stendal. gr. 8.* (vid. c. n. Vol. XXV. p. 500.)

I. RAZOUX, D. M. Diſſ. Epiſtola: de cicuta, ſtramonio, hyoſcyamo, et aconito. Nemauſi. 8.

Diſſ. anatomico-phyſiologica de actione ventriculi humani in ingeſta, auct. L. RENAUDIN. Argentor. 4.

Sammlung einiger kleinen gröſtentheils landwirthſchaftlichen Aufſätze von I. H. RESS. *Leipzig. gr. 8.*

D. A. G. RICHTERS *chirurgiſche Bibliothek, des fünften Bandes 4tes Stück. Göttingen. 8.* (vid. c. n. dec. III. Suppl. 4. p. 704.)

EIUSD. Obſervationum Chirurgicarum Faſc. III. Ibid. 8.

GEORGE GOTTLOB RICHTER Opuſcula medica collecta ſtudio I. C. G. ACKERMANNI. Vol. I. Lipſiae. 4. (vid. c. n. Vol. XXIV. p. 533.)

NICO-

NICOLAI RIGLER conſtitutio epidemica annorum 1775. 76. 77. 78. 79. etc. Vratislaviae. 8maj. (vid. c. n. dec. III. Suppl. 3. p. 508.)

Lettre de M. DE LA ROBERDIÉRE D. M. — à M. LE BARON DE SERVIERES ſur deux petits veroles avec recidives. à Vienne. 8.

A Treatiſe on the natural ſmall pox with ſome Remarks and Obſervations on Inoculation. By CHARLES ROE. London. 8.

I. N. ROHLWES *etwas von der Pferdearzeneikunſt; oder woher die mehrſten Krankheiten der Pferde bey der Cavallerie entſtehen, und wie ſie zu heilen ſind. Göttingen. 8.*

Obſervations ſur la rage ſuivis de reflexions critiques ſur les ſpecifiques de cette maladie; par M. LE ROUX. à Dijon. 8.

ROY vid. LEROY.

W. E. RUDOLPHI Tractatus de ſanguinis miſſione in febribus putridis. Ibid. 4.

IO. ANDR. RUEFF, diſſertatio, ſiſtens caſum puellae poſt menſium ſuppreſſionem epilepticae et poſtea ſub fluxu eorum difficili hyſtericae cum epicriſi. Tübingae. 4.

M. P. RUHLANDS, *nöthige Kenntniſſe für angehende Hebammenlehrer, Hausmütter, Hebammen etc. Vlm. 8.*

L'Art d'eſſayer l'Or et l'Argent par le moyen du plomb et du bismuth, av. fig. par M. SAGE. à Paris. 8.

Tableau hiſtorique et raiſonné des epidemies catarrhales, vulgairement dites la Grippe; avec l'indication des traitements curatifs et des moyens propres à s'en ſerver, par M. SAILLANT. à Paris. 12.

ULR. CHR. SALCHOW *giebt eine kurze doch hinlängliche Anweiſung, wie der Rindviehſeuche auf die natürlichſte Art abgeholfen werden könne. Hamburg. 8.*

IDEM *erläutert und beſtätiget mit noch mehrern Beobachtungen ſeine erfundne untrügliche Durchſeichungskur. Bremen. 8.*

D. EDUARD SANDIFORT Theſaurus diſſertationum, cet. Vol. III. Lugd. Bat. 4maj. (vid. c. n. Vol. XXIII. p. 514.)

EIUSD. obſervationes anatomico-pathologicae. Lib. III. Ibid. 4maj. (vid. ib. Vol. XXIV. p. 652.)

I. D. SANTORINI ſeptemdecim tabulae, quas nunc primum edit atque explicat aliasque iis addit de ſtructura mammarum et de tunica teſtis vaginali, MICHAEL GIRARDI. Parmae. I Vol. Fol.

SAUCEROTTE *Unterſuchung vieler Vorurtheile und Misbräuche, welche die Schwangern, Kindbetterinnen und zarteſten Kinder betreffen, nebſt dagegen anzuwendenden Hülfsmitteln, aus dem Franz. Erfurt. 8.*

Precis de Phyſique, par M. SAURY. II. Voll. à Paris. 8.

Corſo di Filoſofia del Sig. SAURY contenente la Fiſica etc. trattato dal Franceſe. Venezia. VIII. Voll. 8.

EIUSD. *natürliche Geſchichte des Erdbodens, darinnen von der Geſchichte der Inſekten, Schalenthiere etc. gehandelt wird. 2ter Theil. Nürnberg. 8.*

Voyage aux Alpes par M. B. R. DE SAUSSURE. Tom. I. av. fig. à Neuchatel. 4. (vid. c. n. dec. III. Suppl. 3. p. 537.)

Dr. SAM. SCHAARSCHMIDTS *Anweiſung zu dem Studio medico-chirurgico, welche die Pathologie, Chirurgie*

rurgie und Praxis in ſich enthält. 3ter Theil, nebſt Regiſter. Berlin. 8.

Dr. I. C. SCHAEFFERS *Verſuche mit dem beſtändigen Electricitätträger, mit vielen Kupfern. Regensburg. gr. 4.*

Chemical Obſervations and Experiments on Air and Fire. By CHARLES WILLIAM SCHEELE with a prefacious Introduction, by TORBERN BERGMAN; translated from the German by I. R. FORSTER to which are added Notes by R. KIRWAN, with a letter to him from I. PRIESTLEY. London. 8.

Dr. I. C. F. SCHERFFS *Anzeige der Rettungsmittel bey lebloſen oder in plötzliche Lebensgefahr Gerathnen u. ſ. w. Altona. 8.* (vid. c. n. dec. III. Suppl. 3. p. 553.)

SAL. SCHINTZ proluſio, de vtilitate ſcientiae phyſicae, in rite et ex omni parte obeundo munere ſacro, adiiciuntur annotationes quaedam, de ſcientia phyſiognomonica eiusque recto vſu. Turici. 4.

Dr. I. CHR. TRAUG. SCHLEGEL *neue mediziniſche Litteratur für praktiſche Aerzte. 1ſter Theil. Leipzig. 8.*

Dr. C. C. SCHMIDELS *Vorſtellung einiger merkwürdigen Verſteinerungen mit kurzen Anmerkungen. 1ſter Theil. Stutgard. gr. 8.*

Verſuch einer genauen Berichtigung der mittlern Höhe des Barometers für Leipzig und das Verhältniſs der Höhe von Wittenberg und Leipzig durch barometriſche Rechnungen zu beſtimmen, von G. B. SCHMIDLEIN *A. Dr. Leipzig. 8.*

C. E. SCHMIDT (praeſ. D. TROMSDORF) hiſtoria febris bilioſae cum pleuritide et miliaribus. Erfurt. 4.

SCHNEIDER Progr. de achlide PLINII et κολῳ STRABONIS. Francofurtii. 4.

Genera plantarum ſelecta, Auct. CHR. FR. SCHRADER. Halae. 8maj.

F. VON PAULA SCHRANK *über die Weiſe die Naturgeſchichte zu ſtudieren. Regensburg. 8.*

EIUSD. *Abhandlung von der Stallfütterung des Rindviehes. Burghauſen. 4.*

Dr. I. CHR. DAN. SCHREBERS *Säugthiere in Abbildungen nach der Natur. 4ten Theils 30—32. Heft. Erlangen. 4.*

THEOD. GUIL. SCHRÖDER Progr. de venae ſectionis in phthiſi ex vlcere praeſertim pulmonali vſu. Gottingae. 4.

PHIL. GEORG. SCHRÖDERS *neue Sammlung der Bibliothek für die höhere Naturwiſſenſchaft und Chemie. 2ten Bandes 2tes Alphabet. Leipzig. 8.*

I. S. SCHRÖTERS *Journal für die Liebhaber des Steinreichs und der Conchyliologie. 6ter Band. m. K. Weimar. 8.*

EIUSD. *lithologiſches Real- und Verballexicon. 3ter Theil. Frankfurt a. M. gr. 8.*

SCHULZE Diſſ. inaug. de fiſtulam lacrymalem ſanandi methodo. Argentor. 4.

(** SCHULZE) *vom Regenbogen Achat. Hamburg. 4. m. 1 K.*

I. A. SCOPOLI fundamenta chemiae. Edit. altera. Vindobonae. 8maj.

An Inquiry into the origin of the gout and of ſafe mode of remedying it. By I. SCOTT. London. 8.

I. G. SEIFERTS *Nachricht von Erbauung des feinen Flachſes. Dresden. gr. 8.*

IOS. SEITHERS *gründlicher Unterricht zur fruchtbaren Gärtnerey. Augsburg. 8.*

A. A. SENFT Comment. I. de methodo diſcendi artem medicam. Wirceburgi. 8.

Lettere del Sig. SESTINI ſcritte dalla Sicilia e dalla Turchia a diverſi ſuoi amici in Toſcana. in Firenze. 12.

Lettres from an Engliſh Traveller M. SHERLOK translated from the french with Notes. London. 4.

I. E. SILBERSCHLAG *Geogenie oder Erklärung der moſaiſchen Erderſchaffung nach phyſiſch und matematiſchen Gründen. 1ſter Theil. Berlin.* 4.

Practical Obſervations on the treatment of Conſumptions. By S. F. SIMMONS. Lond. 8.

EIUSD. Obſervation on the cure of the Gonorrhoea. Ibid. 8.

EIUSD. Anatomy of the Human Body. Vol. I. Ibid. 8.

Cours de Pathologie et de therapeutique chirurgicales, ouvrage poſthume de M. SIMON augmenté par M. HEVIN. à Paris. 8.

Salivation exploded: or a practical Eſſay on the veneral Diſeaſe fully demonſtrating the Inefficacy of Salivation and recommending an approved ſuccedaneum. By C. SMITH. Surgeon. 8.

Philoſophical Inquiries into the Laws of animal life. Cap. I. II. By HUGH SMITH. London. 4.

Hiſtoire naturelle de la France Meridionale. Par M. l'Abbé GIRAUD DE SOULAVIE. Tom. I. à Paris. 8.

Raccolta di Opuſcoli Fiſico-Medici, Vol. XXI. dal Sig. Abbate SPALLANZANI. In Firenze. 8.

G. W. SPANGENBERG vid. WRISBERG.

A treatiſe on the culture of the Pine apple and the management of the hot houſe, by W. SPECHLY. York. 8.

I. R. SPIELMANN diſſ. Analecta de Tartaro. Argent. 4.

C. H. SPOHR Diſſ. inaug. de vomitu bilioſo in gravida. Altdorf. 4.

Phyſicaliſche Abhandlungen die Bienenzucht betreffend, von I. FR. STEINMETZ. *Nürnberg. 8.*

MAX. STOLL. Pars III. Rationis medendi in Noſocomio practico Vindobonenſi. Viennae. 8maj.

Natuurlyke en naarr Leven naauwkeurig gecleurde Afbeeldingen en Beſchryvingen der Cicaden en Wanzen in alle vier Waerelds Deelen houishoudende, by een verzameld en beſchreeven door CASP. STOLL. Amſterd. 4.

G. C. C. STORR Diſſ. prodromum methodi animalium ſiſtens (vid. comm. n. dec. III. Suppl. 3. p. 446.)

C. STRAK ad quaeſtionem, quam de eneruando variolarum miasmate ſaluberrima Facultas medica Pariſina propoſuerat, reſponſum. Francofurti ad M. 4.

I. STRANGES *von den ſäulenartigen Gebirgen und andern vulcaniſchen Naturerſcheinungen im venetianiſchen Gebiete, aus dem Italieniſchen von* F. A. WEBER. *Heidelberg. m. K. 8.*

STREBEL (praeſ. GRUNER) de debilitate cauſſa febrium proxima non habenda. Ienae. 4.

WILH. ERN. STÜVE Diſſ. inaug. de Haemorrhagia vteri. Gottingae. 4.

Continuation de las memorias inſtructivas de la agricultura. Por D. M. I. SUAREZ. T. II. en Madrid. 4.

Mémoires ſur les obſervations météorologiques, faites à Franeker pendant l'année 1779. par M. VAN SWINDEN. Amſterdam 1780.

Lettera ſul monte Volture a Sig. D. G. HAMILTON dell DOMENICO TATA. Napoli. 8.

The valetudinarians Bath Guide; or the Means of obtaining long life and Health. By P. THICKNESSE. London. 8.

An Eſſay on the Gonorrhoea, with ſome obſervations on the Uſe of Opium in the Cure of that diſeaſes. By W. THOMAS. Surgeon. 8.

Diſſertation ſur le charbon malin de la Bourgogne, ou la puſtule maligne, par M. THOMASSIN. à Dijon. 8.

Memoire chimique et medicinal ſur la nature, les uſages, et les effets de l'air et des airs, des alimens et de medicamens, relativement à l'economie animale, par M. THOUVENEL. à Paris. 8. (v. c. n. Vol. XXV. p. 702.)

CAR. P. THUNBERG Diſſ. de Gardenia. Vpſalae. 4. (vid. c. n. Vol. XXV. p. 637.)

I. G. TIEPOLT Diſſ. (praeſ. BOEHMER) de Arthritide. Halae. 4.

Del morbo negro Diſſ. del Sig. TISSOT. in Venezia. 8.

IDEM vid. LINGUET.

EIUSD. Traité de nerfs et de leur maladies. à Lauſanne. Tom. I. II. 8.

EIUSD. Gymnaſtique medicinale et chirurgicale, ou Eſſai ſur l'utilité de mouvement ou des differens exercices du corps et du repos dans la cure de maladies. à Paris. 8.

EIUSD. *ſämmtliche zur Arzeneykunſt gehörige Schriften überſetzt von D.* I. C. KERSTEN. *Leipzig.* 8.

Erleichterte Kenntniſs und Heilung eines gemeinen Trippers, von I. C. TODE. *II Theile. Koppenhagen.* 8.

The

The Antiquity and Duration of the World. By G. H. TOULMIN. London. 8.

Notizie degli aggrandimenti delle ſcienze fiſiche accadute in Toſcana nel corſo di anni LX. del ſeculo XVII. raccolte dal Dr. G. T. TOZZETTI, in III. Tom. Firenze. 4.

Vexatiſſimum noſtra aetate de inſitione variolarum, vel admittenda, vel repudianda, argumentum, auct. I. TRALLES. Neapoli. 8.

Recueil d'ouvrages ſur l'economie politique et rurale traduits de l'anglois. Par M. DE TRETILLE. à la Haye. 2 Voll. 8.

TROMSDORF Progr. Hiſtoria eryſipelatis ex terrore vehementiori vulneri plantae pedis accedentis et in gangraenam vergentis. Erfurt. 4.

Practical Husbandry or the Art of Farming with a Certainty of Gain. By Dr. I. TRUSLER. London. 8.

De la transplantation, de la naturaliſation et du perfectionnement des végétaux, par M. le Baron de TSCHUDY. Paris et Londres. 8.

Obſervations rares de médecine, d'economie et de Chirurgie traduits du latin de M. VANDEZWIEL par M. PLANQUE, avec figures. à Paris. 2 Vol. 12.

Briefe über Beobachtungen aus der praktiſchen Arzneywiſſenſchaft, von C. F. UDEN. *Stendal. 8.*

Unterricht von den Steinkohlen und ihrem Gebrauche zu allen Arten von Feuern etc. ein Auszug aus dem Werke des Hrn. Dr. VENEL. *Dresden. 8.*

Delectus Obſeruationum practicarum ex diario clinico depromptarum opera et ſtudio F. R. VICAT. Vitodurum. 8.

Phy-

Dr. A. F. VOGELS *chirurgiſche Wahrnehmungen. 2te Sammlung. Lübek. 8.*

L. G. WAGNER Diſſ. inaug. de ſalutaribus et noxiis frigoris in corpus humanum effectibus. Gieſſenae. 4.

Medical Tracts by the late JOHN WALL. Collected and republiſhed by MARTIN WALL. London. 8.

Meditationes phyſico-chemicae de origine mundi, inprimis Geocosmi, auct. I. G. WALLERIO. Holmiae. 8.

EIUSD. De l'origine du Monde et de la Terre en particulier, traduit par M. I. D. B. à Paris. 8.

EIUSD. *phyſiſche Chemie überſetzt von* MANGOLD. *Neue Auflage von* WEIGEL. *1ſter Th. Leipzig. 8.*

Remarks on the Ophthalmy, Pſorophthalmy and Purulent Eye, with method of cure. By I. WARE. Dilly. 8.

Phyſicaliſche chemiſche Unterſuchungen über die thieriſche Feuchtigkeiten, von I. A. WEBER. *Tübingen. 8.*

Medicinae praxeos Syſtema ex Anatomia Edinburgenae Diſſ. inaug. praecipue depromptum et ſecundum naturae ordinem digeſtum. Curante C. WEBETER. II Vol. Dilly. 8.

Dr. G. C. T. WEDEKIND Diſſ. de Diaphoreticorum vſu in febribus acutis. Gottingae. 4.

Vermiſchte mediziniſche Schriften von A. M. WEIKARD. *Drittes Stück. Frankfurt am Mayn. 8.*

Dr. I. F. WEISSENBORN *Anleitung zur Geburtshülfe für die Hebammen des Erfurter Gebiets. Erfurt. 8.*

Die Witterungslehre für den Landmann, von IOH. GEORG WERENBERG. *Offenbach. 4.*

F. H. WIGGERS Diſſ. primitiae Florae Holſaticae. Kielae. 4.

Phyto-

Phytographie economique de la Lorraine ou Recherches botaniques ſur les plantes utiles dans les arts, par M. WILLEMET. à Nancy. 8. (vid. c. n. dec. III. S. IV. p. 716.)

Some Obſervations relatives to the Influence of climate on vegetabl and animal Bodies. By A. WILSON. London. 8.

Dr. I. I. WOLF. Diſſ. de Vomitoriorum vſu in febribus. Gottingae. 4.

WRISBERG Prog. de ſignis viui foetus et mortui in partu difficili rite interpretandis. Gottingae. 4.

EIUSD. diſſ. de peritonaei diuerticulis, iisque inprimis, quae per vmbilicum et lineam albam contingunt. Gotting. 4.

EIUSD. diſſ. obſeruationum obſtetriciarum de partu clunibus praeuiis peracto decas, reſp. G. W. SPANGENBERG. ib. 4.

R. L. WYCHGEL Conſiderationes medicae de phyſiognomia hominis. Duisb. 4.

Nuove ſperienze idrauliche fatti ni canali e nei fiumi per verificare le principali leggi e Fenomeni delle Aque correnti dell' L. XIMENES. Siena. 4.

A Tour in Ireland. By A. YOUNG. London. 4.

Geographiſche Geſchichte der Menſchen und der vierfüſigen Thiere von E. A. W. ZIMMERMAN. *Leipzig. 8.*

I. ZINNII Deſcriptio anatomica oculi humani iconibus illuſtrata cum ſupplementis H. A. WRISBERGII. Gottingae. 4maj.

Contenta in hac Parte.

I. Acta regiae ſocietatis medicae Havnienſis. Vol. Imum. p. 195
II. CHRIST. LUDW. MURSINNA, *mediciniſch chirurgiſche Beobachtungen. Zweyte Sammlung* 208
III. IOH. DANIEL METZGERS, *vermiſchte mediciniſche Schriften. I. II. und III. Band* 212
IV. ALBRECHTS VON HALLER, *Vorleſungen über die gerichtliche Arzneywiſſenſchaft. Erſter Band und zweyten Bandes erſter Theil* 223
V. *Der Kinderarzt, von* CHRIST. IAC. MELLIN. *Zweyte Ausgabe* 235
VI. Carmen de medico, ignorata morbi cauſa male curante 238
VII. IOH. PHIL. BURGGRAVE, *auserleſene mediciniſche Fälle und Gutachten* 241
VIII. ROBERT DOSSIE *geöfnetes Laboratorium vermehrte Aufl. von* I. C. WIEGLEB 247
IX. LEROUX, *Beobachtungen über die Blutflüſſe der Wöchnerinnen* 250
X. (BERNH. CHRIST. FAUST.) *Gedanken über die Hebammen etc.* 255
XI. MART. LANGE, rudimenta doctrinae de peſte 257
XII. CHRIST. FRIEDR. ELSNER, *mediciniſch gerichtliche Bibliothek, I B. I. St.* 260
XIII. *Taſchenbuch für Freunde der Geſundheit auf das Jahr* 1784. 261
XIV. GERHARD VAN SWIETEN, *Commentarien über die Boërhaviſchen Aphoriſmen, von* HEINR. TABOR. *Erſter Theil* 264
XV. IONAS JEITTELES Obſervata quaedam medica 265
XVI. IAC. CHRIST. FIDLER tractatus de febribus intermittentibus 266
XVII. M. I. MARX *Anweiſung, wie man Blatterpatienten behandeln ſoll* 267
XVIII. *Mediciniſche Ortbeſchreibung des Städtchens Hoya von* I. G. D. ELLISEN 268
XVIIII. GEORG FRIED. FUCHS, *Verſuch einer natürlichen Geſchichte des Borax* 269
XX. Journal de Medicine. Tome LIX. et LX. 271
XXI. IOH IAC. KOHLHAAS *Anleitung zur Bildung ächter Wundärzte. I. T. I. B.* 1. 2. *St.* 282
XXII. Cynoſura annue viſitandorum per regnum Bohemiae pharmacopoliorum 283

XXIII. I. HOWARD Obſervations on the method of curing the hydrocele by means of a ſeton p. 283
XXIV. I. BLEULAND de arteriolarum lymphaticarum exiſtentia 284
XXV. IO. PHIL. BECKER, *entdecktes Salpeterſauer in den animaliſchen Ausleerungen* 285
XXVI. EIUSDEM, *Supplement zu der Abhandlung vom Salpeter* 288
XXVII. PETR. IOS. MACQUER, *chymiſches Wörterbuch, zweyte Ausgabe, vermehrt von* IOH. GOTTFR. LEONHARDI. 2—*6ter Theil* 292
XXVIII. *Gemeinnützige Aufſätze für Geſunde und Kranke* 306
XXVIIII. CHRIST. WOLLIN Aphoriſmi de Tartaro antimoniali 308
XXX. GUST. VON ENGESTRÖM Tal om viſſa ſvärigheter ſom möta vid utöfvandet af Chymien 310
XXXI. T. BRANDS, Chirurgical Eſſays, etc. and Remarks on Mr. BRANDS chirurgical eſſays 313
XXXII. Kongl. Votenſk. Acad. Nya Handlingar Tom. IV. 315
XXXIII. IOHANN INGENHOUS *vermiſchte Schriften phyſiſch-mediciniſchen Inhalts, überſetzt von* NIC. CARL. MOLITOR. 2. *Auflage* 326
XXXIV. Memoire ſur l'etabliſſement des ecoles de medicine pratique etc. par Mr. WÜRTZ 335
XXXV. MOYS. CACC. PALCANI de vita EUSTACHII ZANOTTI commentarius 337
XXXVI. Noua phyſico-medica. 355
XXXVII. Continuatio indicis librorum phyſico-medicorum, qui anno 1780. prodierunt 358

COMMENTARII DE REBVS IN SCIENTIA NATVRALI ET MEDICINA GESTIS.



VOLVMINIS XXVII. PARS III.

LIPSIAE, MDCCLXXXV.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
Londini apud Pr. Elmsly, Edinburgi apud Io. Balfour, Lugd. Bat. apud Fratres Luchtmann, Pariſiis apud Barroi ſenior. Venetiis apud Io. Bapt. Paſquali, Milano apud Ioſ. Galeazzi, Auguſtae Taurinor. apud Laurent. Giraud, Holmiae apud Magnum Swederum.

I.

Magazin für die gerichtliche Arzneykunde und mediciniſche Polizey. Zweyten Bandes zweytes, drittes und viertes Stück. Stendal, bey Franzen und Groſſe, 1784. *in* 8*vo.*

i. e.

Medicinae forenſis et politiae medicae promtuarium. Voluminis 2di Pars II. III. IV.

Neues Magazin für die gerichtliche Arzneykunde und mediciniſche Polizey. Herausgegeben von Dr. IOHANN THEODOR PYL, *Rath, ordentlichem Mitglied des Königl. Preuſſiſchen Obercollegii medici und ordentlichem Phyſicus zu Berlin. — Erſtes und zweytes Stück. Stendal, bey Franzen und Groſſe.* 1785. *in* 8*vo.* 412 *pagg.*

i. e.

Nouum medicinae forenſis et politiae medicae promtuarium, editum a IO. THEOD. PYL. Pars I. et II.

Breuem eorum cenſuram, quae in primo huius libri volumine, nec non in alterius voluminis prima parte continentur, in commentariis noſtris iam dedimus *). Plurimum autem vtilitatis operi acceſſit a Cl° PYL, qui coniunctis cum VDENIO, V. Cl. viribus alterius voluminis partem primam et alteram, ſolus vero, VDENIO aliis negotiis detento, tertiam et quartam alterius voluminis partem edidit.

Continentur autem in altera alterius voluminis parte ſequentia.

*) Vol. XXVI. part. III. p. 420.

p. 193. *Num chirurgiam a tonſorum negotio penitus ſeparare praeſtet*, auctore Cl° MOEHSEN, ex doctiſſimi viri hiſtoria ſcientiarum Brandenburgica. Varie tamen tractationem hanc Cl. vir auxit. Chirurgiam a barbarum tonſura Ludouicus XV. Franciae Rex, edicto, anno 1748 penitus ſeparauit, confirmata poſtea, anno 1751 chirurgorum Pariſinorum celebratiſſima academia. Haec autem omnia, eaque, quae Cl. quondam *de la* PEYRONIE ad amplificandam academiam praeſtitit, id quidem effecerunt, vt chirurgi in arte ſua perfectius inſtruerentur, ne ad ea vero, quae ſordida et inferna nimis ſunt, chirurgi, inprimis iuniores, deſcenderent, praepedire non potuerunt. Quum enim olim hi, qui chirurgiam diſcere cupiebant, barbas radendo magiſtris ſuis adſtarent, et in ipſo hoc negotio in leuioribus chirurgicis operationibus inſtruerentur, hodie iidem eos adeunt, qui capillum criſpant, vt neceſſaria ſibi ad vitam, et ad ea, quae ad chirurgiam diſcendam neceſſaria ſunt, mereantur, magno profecto temporum diſpendio.

p. 204. *De verme in canibus rabiem inducente*, auctore HEIDECKER. Plura exempla canum recenſentur, quos rabies, exciſo hoc verme, corripuit. Ipſe autem vermis iſte ſublingualis a Cl. auctore diligenter examinatus plurimam cum ligamentis ſimilitudinem habet et frenuli ſublingualis functionibus praeeſſe videtur. De canum copia nimia moderanda plura proferuntur.

p. 235. VOGELII *tractatio de vita his reddenda, qui ſub aquis ſuffocati ſunt*, ex Ill. BALDINGERI promtuario recuſa.

p. 243. *Obſeruationes circa lentam putredinem boum, quos lues necauit*, auctore OPITZ, V. Cl. In bobus lue defunctis humoque traditis poſt elapſos XIX annos cutem pilis obſitam, tenaciſſimam inuenit. Recru-

duit

duit lues, dum foſſa, in qua hi boues humo manda-
ti erant, aperiretur.

De his, qui extra matrimonium naſcuntur, obſer-
uationes. In Pomerania et Boruſſiae prouinciis ſe-
ptimus quiuis extra matrimonium puer generatur,
in Marchia electorali Brandenburgica et ducatu
Magdeburgico vigeſimus quartus. —

Catalogus hominum in regno Neapolitano vi-
uentium, nec non in eodem regno anno 1781 *nato-*
rum denatorumque, anonymo auctore.

De cadaueribus eorum, qui violenta morte necati
ſunt, inſpiciendis et de viſis repertisque rite conſignan-
dis chirurgorum in terris Auſtriacis inſtructio.

Noſodochium maniacorum et mente alio modo ca- p. 283.
ptorum Berolinenſe. Inſtitutum primum anno 1726
eſt. Aegrorum copia ad 150 hodie eſt, qui diligen-
ter omni penitus modo curantur. Addita eſt chi-
rurgi, inſpectoris, aliorumque, qui noſodochii cu-
ram gerunt, inſtructio.

Qua ratione officinae pharmaceuticae a medicis p. 322.
in terris Regi Boruſſorum ſubditis viſitari debeant, nec
non de chirurgis, obſtetricibus, caet. a medicis exami-
nandis. —

Mandatum Regiminis Pomeraniae Suecicae de coe-
meteriis ex vrbibus demouendis et de mortuorum ſepul-
tura in templis interdicenda, ab anno 1778. —

Reſponſum facultatis medicae Regiomontanae de p. 337.
infanticidii ſuſpicione. Doctiſſime elaboratum a
METZGERO eſt, ſed excerpi non patitur.

Extiſpicia mulieris partu durante ex vteri ſciſſu- p. 359.
ra demortuae. Sciſſa erat anterior vteri ſuperficies,
eo in loco, vbi collum vteri incipit, a capite foe-
tus ſine dubio contra ſciſſum poſtea locum a dolo-
rum vi firmiter preſſo. Sciſſurae margines gan-
graenoſi.

Sequuntur librorum cenſurae variaque anecdota. —

In tertia alterius voluminis parte haec continentur:

p. 414. *Tabula eorum, qui Berolini ab anno* 1781 *vſque ad annum* 1782 *demortui ſunt, morborumque, quibus demortui ſunt, tabulae.* Laudabile omni modo inſtitutum eſt, quod morbi ſimul notati ſint. Sed haec laudari nequeunt, quod morbi ſaepe notentur nominibus vagis nimis latisue. Quid enim *debilitas* (*Schwachheit*), febris et febris acuta ab ea diſtincta, febris purpurata (*Fleckfieber*), febris pectoralis, morbus pectoralis (*Bruſtkrankheit*), tumoris, ſpaſmi generalia nomina ſignificent, non ſatis certe conſtat, nec diſtinctionem inter *Halsſchaden, Fuſsſchaden, offenen Schaden, Geſchwür,* quae omnia ſeparatim adducuntur, ſatis certo ſcimus. A medico profecta haec ſylloge certe non eſt, notabile vero eſt, in 4704 demortuis anno 1781 et 5129 anno 1782, anno 1781. 251, anno vero 1782, 194 tantum homines ſenio confectos naturali morte interiiſſe. Caeteros omnes mors praeternaturalis e viuis eripuit. Puerorum mortuorum anno 1783 numerus 2867 eſt. Variolae 692, dentitionis autem difficultas et conuulſiones 1001 iugulauerunt. Sani ex caritatis noſocomio exiere 1689. mortui ſunt 459, in his 12 puerperae, 68 pueri lactantes.

p. 441. *De aquis mineralibus et aliis fluidis explorandis.* Bene et accurate omnia ad huius generis encheireſes neceſſaria tradita ſunt.

p. 457. *De coemeteriis ex vrbibus demouendis,* MOESERO auctore. Ne antiqui ritus penitus negligantur, ſuadet Ill. vir, vt funeribus vltimus honor in templis celebretur, delatis ad ea funeribus, eaque poſtea ad communis ſepulturae locum deducantur.

De

De officinis publicis Vindobonenſibus, in quibus carnes venduntur. Taxantur admodum in ſtratis ſitae carnariae officinae, ob nauſeam, quam mouent, et ingratum foetorem. p. 463.

De vulnerum lethalitate, METZGERO auctore. Ex promtuario medico a BALDINGERO edito.

De aqua Tufana, ſeu tophana, Italorum veneno ſumme deleterio, BERENDS, Doctore medico, auctore. Ex cantharidibus et opio hoc venenum parari docuerat GAGLIANI, quod vero ab auctore in dubium vocatur, qui cantharides et opium contraria ſibi eſſe dicit, vt adeo alterius venenum ab altero facile praeſocetur. Arſenicum veneni baſin conſtituere auctoris coniectura eſt, ob ſymptomata praeſertim admodum ſimilia. Eadem ex GARELLII et aliorum auctoritate egregie probat Cl. editor, in doctiſſimis et vtiliſſimis additamentis, quibus fuſe docetur, guttas chirurgorum et agyrtarum noſtratum febrifugas nil aliud eſſe, quam veram aquam Tofanam, certam, licet ſubinde ſeram mortem inferentem. De arſenici ſimul ad febres intermittentes vſu noxisque ſummis, nullo remedio curandis, plurimae obſeruationes eaeque ſumme notabiles exhibentur. Enarratur ſimul mulieris hiſtoria, quae guttis febrifugis ex arſenico paratis quendam necauerat. Guttae examini leuiori ſubiectae arſenici indicium non dedere, modus autem, quo arſenicum detectum fuit, diligenter enarratur. Is autem fuit, vt arſenicum ſalis alcalini vegetabilis ope in aqua ſolutum ignique in retorta vitrea expoſitum demum ſeſe manifeſtaret, dum arſenicali ſali in retorta ſiccato inflammabilis materiei pars adiiceretur. Venenum autem omni modo deleterium arſenicum quum ſit, praeſtare putat Cl. PYL, eius venditionem penitus interdicere, aut pharmacopoeis tantum, debita ſub cautione, permittere. p. 473.

mittere. Agyrtae, circumforaneique omnis generis, quum medicamenta huius generis venenata inprimis in publicis nundinis vendant, (talemque ſe vidiſſe dicit Cl. PYL, qui a XIV. ad XVI. arſenici iam libras aegris ſuis varia ſub forma dederat) quantas noxas inferant, et quam ſedulo eos cauere expediat, facile patet. Diligenter etiam examinanda omnia ſunt, ſi arſenici dati ſuſpicio eſt; odorem enim peculiarem arſenicum non ſemper ſpargit, eundemque odorem ſtannum carbonibus inditum et carnes admodum putridae factae ſpargunt.

p. 513. Hanc praeclaram omni modo laudibusque ornandam maximis tractationem alia excipit, eiusdem fere argumenti, *de ſtanno, quo ferrum et cuprum obducitur.* Stannum omne arſenicum continet, plumbi pars etiam illi adiicitur, ſubinde ſatis magna. Quae ſanitati quum aduerſa admodum ſint, ſtanni loco argentum Galli elegerunt. Stanni loco vernicem ex gummi copal cum terebinthinae oleo BINDHEIM, V. Cl. huius tractationis auctor, laudat. Additum eſt Regis Boruſſorum mandatum ab anno 1768, quo ſtannum plumbo adulteratum ad obducenda cuprea aut ferrea vaſa penitus interdicitur, ſtannum vero purum, Anglicum, praecipitur, ſimulque iuſtum obductis tali modo vaſis pretium conſtituitur.

p. 538. *De ſtatu rei medicae in Ruſſia* ex promtuario BALDINGERI.

Extiſpicia viri per vim externam necati cum iudicio medico METZGERI.

p. 549. *Extiſpicia viri, qui arſenico ſumto ſeipſum necauerat.*

p. 553. *Litis inter chirurgum et ſutorem motae hiſtoria.* Narium exulceratione ſutor laborauerat mercurialibus vnguentis, cantharidibus, caet. tam male a chirurgo tractatus, vt naſus ipſi decideret. Hanc culpam

culpam chirurgus redemit, datis ſutori ob naſum deciduum 100 thaleris imperialibus.

De grauiditate et partu diſſimulatis. p. 562.

De Xenodochio Veneto, quo expoſititii infantes educantur. Ex promtuario hiſtorico Cl[i] HAUSEN.

De Xenodochio Vindobonenſi in eundem finem inſtructo, ex ephemeridibus de iis, quae ad humanitatem ſpectant. p. 575.

Aedium publicarum Pariſinarum et Berolinenſium, in quibus inualidi milites aluntur, deſcriptio, Ill. KRÜNITZ *auctore.* Berolinenſes inprimis fuſe deſcribuntur, de Pariſinis nota omnia. Structae ſunt, magni Regis iuſſu, annis 1745 vſque ad annum 1748. Milites in iis laeſi aluntur 609 pretio annuo 26006 thalerorum imperialium. p. 577.

Pauperum tabula, quibus ſub auſpiciis Regiae directionis Berolinenſis eleemoſynae publicae dantur. p. 605.

De ſchola obſtetricia Eberodunenſi ex ephemeridibus eorum, quae ad humanitatem ſpectant.

De pharmacopoliorum ſtanneis vaſis abrogandis mandatum collegii medici Berolinenſis.

De venenis caute in officinis pharmaceuticis aſſeruandis et vendendis, *eiusdem collegii mandatum.*

Sequuntur librorum cenſurae variaque alia memoratu ſatis digna.

In alterius voluminis quarta parte haec continentur:

Obſeruationes circa difficultatem venenorum effectus ab effectibus acrimoniarum morbidarum in humoribus corporis humani diſtinguendi, *ſiue de veneficii certo iudicio ex extiſpiciis ferendo*, *auctore* BAYLIES. Puella poſt iram vehementem ſumto pingui carnium iure in alui fluxum violentiſſimum incidit, quem pectoris oppreſſio mortem inferens ſtatim excepit. Ingens ſimul arſenici aut ſumti aut dati p. 654.

ſuſpicio fuit. Sed cadaueris inciſio probauit, morbum a bile origines duxiſſe, quae ab ira venenatas qualitates acquiſiuerat. Probant hae obſeruationes ſummam Anglorum in cadaueribus legaliter incidendis incuriam.

p. 675. HENRICI GAHN *diſſertatio de partu ſerotino, praeſide* IO. SIDREEN, *publice ventilata Vpſaliae* 1770, ex latino in germanicam linguam verſa.

p. 734. *De aquis ſoteriis Sileſiacis.* Laudantur inprimis aquae comitatus Glazenſis. Acidulae Flinsbergenſes plurimam cum aquis Spadanis ſimilitudinem habent. Subueniunt inprimis ex hypochondriis adfectis aut obſtructionibus viſcerum infimi ventris laborantibus. Codowaënſes aquae Pyrmontanas exacte referunt, nec non Reinetzenſes. Plurimam etiam efficaciam habent thermae Landeckkenſes.

De variolis. Taxatur inprimis liberum hominum, graſſantibus iis, commercium, quum, ouina aut bouina lue graſſante, tale inter pecora commercium omni modo praepediatur.

p. 747. *Qua ratione contra fulmina munire ſeſe expediat.*

De rei medicae ſtatu in Suecia, ex KÖLPINI literis ad editorem. Rerum medicarum publicam curam primum Sueci geſſere Rege Carolo XI.

p. 757. *De noſocomiis Haſſiae communibus*, *inprimis de coenobio Marxhauſen*, ex GOECKINGKI diario germanico.

De noſodochio, quo mente capti detinentur, Regiomontano, ex literis METZGERI ad editorem.

p. 774. *De nouo noſocomio magno Vindobonenſi.* Fama eſt, fore, vt in vnum coaleſcant corpus omnia noſodochia et Xenodochia Vindobonenſia. Sed, vti proponuntur, peracta omnia nondum ſunt.

Librorum cenſurae.

Varia,

Varia, de apparenter mortuis arte reſuſcitatis, aliaque plura.

Nouum autem medicinae forenſis et politiae medicae promtuarium, quod PYL, V. Cl. anno 1785 ineunte condidit, haec continet:

Voluminis primi pars prima.

Caſeorum nociuorum examen, WEIGELIO auctore. Induxere dolores, vomitus enormes, alui tormina, tumorem, articulorum dolores lancinantes, febriles motus. Mortem non intulerunt, ſed haec ſymptomata diu perſtitere. Examine opus fuit admodum ſedulo, protracto, quo demum conſtitit, cuprum in his caſeis contineri. Experimenta 103 cum iis inſtituit auctor in rebus chemicis verſatiſſimus.

De pulmonum docimaſia, METZGERO auctore. p. 49. Docetur, putredinem pulmones ſero occupare, idemque experimentum et in pulmonibus putridis locum habere, certis ſub circumſtantiis.

De ſtratis vrbium et viis publicis purgandis. Patet ex his obſeruationibus, publicae munditiei curam apud Berolinenſes tantam non eſſe, quantam ex tot publicis legibus medicis praeſumere liceret. p. 63.

De inſtruendis ergaſtulis, ex HOWARDI libro. p. 70.

Sylloge eorum, qui ab anno 1775 vſque ad annum 1780 in Sileſia ſuperiori, ditioni Regis Boruſſorum ſubdita, nati mortuique ſunt. Multiplicatur in his regionibus admodum genus humanum. Si omnia computamus, in quouis matrimonio ſex annorum ſpatio quatuor aut quinque pueri progenerantur. — Natorum copia in his prouinciis mortuos numero 4087 quotannis ſuperat, natorum autem copia annua generalis eſt 18976. — Sex annorum ſpatio ex dentitione difficili morbus 12003 pueros iugulauit. Eodem ſpatio puerperae poſt partum mortuae ſunt 583, parturientes 426 (quod ſane mirum eſt, nec cum legibus Boruſſorum medi-

cis tam praeclaris ex omni fere parte conuenit.) Varioloſus morbus intra ſex annorum ſpatium 5584 pueros ſuſtulit, eodemque ſpatio interiere adulti phthiſici et hydropici 9949. Morbilli anno 1779 graſſantes 1495 pueros ſuſtulerunt. Tuſſi conuulſiua obiere intra ſex annos 6617 pueri, quotannis itaque 1100 (ex quo patet, hunc morbum nec periculi tam expertem, nec tam facile ſanabilem eſſe, ac a quibusdam putatur. Sequelas morbi taceo, primario ſuperato morbo ſaepius adhuc funeſtas.) Sex annorum ſpatio pueri primo aetatis anno mortui ſunt 27832, cuius inſignis lethalitatis cauſſam auctor, GLAWNIG, phyſicus Briegenſis, doctiſſimus vir, in plebis egeſtate, ſordida vita, ſuperſtitione, inſcitia, caet. ponit. Phthiſes et hydropes tam copioſe incidentes a ſpirituum ardentium immoderato vſu deriuantur. Ad ſupremam ſenectutem pauciſſimi perueniunt. Ex 1180 demortuis ne vnus quidem aetatem annorum 85 attigerat. Plurimi intra annum 46 et 60 moriuntur.

p. 100. *De noſodochio Waldheimenſi*, quo mente capti detinentur, nec non de iisdem aedibus, quibus homines nefarii corriguntur, ex epiſtolis GÜNZII, medici Waldheimenſis, ad GLAWNIGIUM.

p. 135. *De pauperum xenodochio Creuzbergenſi*, ex ZIMMERMANNI deſcriptione Sileſiae.

De medicamentis ſecundum formulas medicas exacte parandis, *collegii medici Berolinenſis inſtructio.*

De abrogando ſuperſtitioſo ritu in bobus a rabidis animalibus demorſis vſitato, mandatum Berolinenſe.

De partu clandeſtino iudicium medicum METZGERI.

Eiusdem obſeruationes circa pulmonum docimaſiam. Probatur iterum, vitam pueris ſuperfuiſſe, ſi pulmo-

pulmones, licet ſubputridi, expreſſo etiam ex iis vi aëre, natant.

De arſenicali puluere et cobalto arſenicali dato reſponſum medicum OPITZII.

Hiſtoria viri, a cane rabido demorſi, qui bis ſumto ſpecifico Boruſſico (ex meloë Maiali) ineunte octauo poſt morſum menſe in aquae metum incidit eoque mortuus eſt, auctore EODEM. p. 166.

Sequuntur librorum cenſurae. *Varia* de boum lue in ducatu Cliuenſi quaedam, de noſocomio obſtetricio Gottingenſi melius inſtruendo, caet. continent.

In altera parte haec continentur:

De ergaſtulis melius inſtruendis, continuatio operis HOWARDI.

De coitu nimis frequenti, quatenus matrimonio ſoluendo anſam det, anonymo medico auctore. Exempla plurima virorum allegantur in veneris negotiis nimis fortium, morborumque inde natorum. Singulare etiam adduxit auctor exemplum mulieris, quae ob mortis ex nimio cum marito concubitu metum matrimonii ſolutionem anxie quaeſiuit. Recenſentur denique cauſſae morbidae in mulierum corpore latitantes complures, quae coitum aut difficilem, aut impoſſibilem, aut doloris plenum reddunt. Oſtenditur, rerum ſtatu tali exiſtente, ſoluendum, donec meliora tempora ſequantur, matrimonium eſſe. p. 230.

De equorum ſtruma ſiue coryza, KRÜGERO auctore. Docetur, ſtrumam morbum idiopathicum non conſtituere, ſed ex ſanguine impuro et ſero ſanguinis degenerato pendere. Pathognomonicum ſymptoma tuſſis eſt. Curandi methodus haec eſt, vt reſolutio acceleretur et promoueatur, et morbida materies demum euacuetur. p. 262.

p. 309. *De coemeteriis ex vrbibus et vicis demouendis, et de quibusdam ad cadauerum ſepulturam ſpectantibus,* mandatum gubernii Regii Morauiae et Sileſiae.

Mandatum Imperatoris Auguſti de mortuis inſpiciendis. Mandatum Auſtriacum de canum rabie cauenda.

p. 320. *De agyrtis quibusdam iudicium medicum editoris.* Alter lunae ope hernias aliasque laeſiones curauerat; aegros videlicet nudata parte adfecta verſus lunam ſplendentem duxit, impoſitaque manu morbum imprecatus eſt. Accurato inſtituto examine, nullum ſanatum reperit editor, quosdam tamen naturae ope ſanatos, accedente hac morbi imprecatione, vidit. Alter medicamenta aegris dedit, ſi non noxia, rationalem tamen proborum medicamentorum vſum praepedientia. Hic carcere per duos menſes detentus demiſſusque poſtea eſt.

p. 338. *Facultatis medicae Gryphiswaldenſis iudicium de morbo ex maleficio, ab anno* 1736. Morbus, quod his temporibus adeo ſolitum non erat, a cauſſis mere naturalibus deducitur.

De maleficio quodam Dieburgenſi.

p. 365. *Vita* LESSERI, archiatri Regis Boruſſorum et phyſici Berolinenſis. —

II.

Scriptorum latinorum de aneuriſmatibus collectio: LANCISIUS, GUATTANI, MATANI, VERBRUGGE, WELTINUS, MURRAY, TREW, ASMANN. Edidit atque praefatus eſt THOMAS LAUTH, Med. Dr. et prof. publ. Cum XV iconibus. Argentorati, ſumtibus Amandi König. 1784. in 4to. 663 pagg.

Latinos tantum de aneuriſmatibus ſcriptores continet ſplendida haec et omni modo medi-

corum

corum vtilitati inſeruiens collectio, omnibus aliis, qui aliis linguis de aneuriſmatibus libros perſcripſere, omiſſis, ſed nos perfectam collectionem librorum omnium de aneuriſmatibus ex linguis qualibuscunqne in latinam translatis facile praeferendam duxiſſemus, inprimis quum auctores in obſeruandis et deſcribendis aneuriſmatibus hactenus non admodum copioſi fuerint.

Praefationem libro adiecit editor Clariſſimus, qui nunc anatomes profeſſoris in academia Argentoratenſi muneribus fungitur. Haec docet, primam operi ideam dediſſe bibliopolam *König*, eumque ad collectionem operum, quibus aneuriſmata illuſtrarentur, b. LOBSTEINII conſilium, auxiliumque efflagitaſſe. Sed hunc ſummum virum iniquum fatum eripuit, annuit vero conſilio, ſuſcepiſſetque ipſe negotium lubens, niſi titubans valetudo academicique labores copioſi impedimento ipſi fuiſſent. Poſtea in operis curam otium literarium editor, Cl. LAUTH, impendit.

Vt autem ſcripta, quae in hac collectione continentur, faciliori opera intelligantur, praefationem Cl. editor addidit, in qua generaliora, ad aneuriſmatum notitiam pertinentia, pertractantur. In aneuriſmatis vera definitione auctores admodum diſſentiunt. Quod alii verum eſt, alius pro ſpurio habet, et verſa vice. Fundamentum explicationis eſt, vt veri aneuriſmatis nomen arterioſus tumor habere poſſit, non diametri vaſis augmentum modo, ſed et tunicarum arteriae extenſionem, absque ſciſſura tunicarum poſtulans. Quae conditio quum rariſſima ſit, vera aneuriſmata rara admodum eſſe facile perſpicitur. Oriuntur autem ſymptomata aneuriſmati vero ſimilia, ſi tumor extra arteriam formatur, dum ſanguis per minutum arteriae vulnus in celluloſam elapſus eam in ſaccum denſat, Praefat. p. 8.

denſat, vel quoties, ablata fibrarum portione, arterioſae fibrae reliquae in ſaccum expanduntur.

Vt de aneuriſmatum natura lis componatur, HUNTERUS praeter verum ſpuriumque aneuriſma aliud adhuc ſtatuit, mixtumque vocauit, quod vulnere partim, partim dilatatione fit; ſed inutiliter nouus terminus Noſtro adoptari videtur. Omnia potius aneuriſmata triplicis indolis eſſe dicenda ſunt, *verum, ſpurium diffuſum, atque ſpurium circumſcriptum.*

p. 10. Venoſum aneuriſma absque incommodo ferri plures notauerunt, plures tamen inutile membrum fieri contendunt, ſed parum moleſtiae a varice aneuriſmatico adferri certum eſt. Vidit ipſe Cl. editor mulierem, cuius in brachio per plures iam annos erat varicoſum tale aneuriſma, nucis minoris magnitudine; ſanguis in tumorem ruens obtuſum, pompoſum edidit ſonum, fluidus ei inerat, nullo coagulo, preſſione digiti, diſcutiendus; tum nulla amplius adparebat varix, et oſtium, quo vena in arteriam patuit, digito percipiebatur, momento repleta redibat illa, hoc remoto; brachio perbene ſemper vſa eſt femina.

Aortae aneuriſma Cl. vir vidit in rhedario XLII. annorum, qui poſt lapſum ex equo continuum in pectore ſiniſtro, circa quartam coſtam, dolorem paſſus fuerat. Febris poſtea pectoralis ſuperuenit, ſuperſtite dolore diſſipata. Tandem dolor ex fixo vagus factus eſt, pectus ſiniſtrum, abdomen ſiniſtrum, brachium ſiniſtrum occupans. Reſpiratio, decubitus in latere ſiniſtro difficilis, tuſſis ſicca. Inceſſus non alius, quam corpore antrorſum curuato. Tandem pectus penitus oppreſſum, aegerque ex ſuffocatione mortuus eſt.

p. 12. Inciſo cadauere, in fine arcus aortae, poſt emiſſam arteriam ſubclauiam ſiniſtram, aneuriſma ve-

rum,

rum, pollices quinque longum, tres cum dimidio latum, vertebris dorſi a tertia vſque ad octauam infixum repertum eſt. Corporis vertebrarum ſiniſtrum latus carie exeſum, cartilagines interiacentes intactae penitus, nec ligamentoſa anterior faſcia vllo modo adfecta, ſed dextrorſum in arcum inflexa. Saccus, quem aorta arteria dilatata obtulit, inſigni hiatu ſciſſus erat, ſed ita, vt margines corruptam vertebrarum partem ambierint, incluſerint, atque nulla ex arteriae cauo communicatio extrorſum eſſet, nec vllus extra arteriam elapſus ſanguis. Cauitas ſacci plurimum in ſe habuit coaguli ſanguinei, pollicis craſſitie, cariei contiguum, ibi denſiſſimum, antrorſum rareſcens, vt in antica ſacci parte liberum remanſerit transeuntis ſanguinis iter. Craſſitudo ſacci a reliqua aorta vix differebat, parum tenuior tamen viſus.

Conſtans aneuriſmatis cuiuscunque magni effectus, dolor, a vicinarum partium preſſione deducitur. Dolor autem ſubitaneus, qui oritur in aneuriſmatum initiis, nondum dilatata arteria, nec premere potente, in diſtractis arteriae tunicis reſidere videtur. Idiopathico primum dolori accedit ſympathicus in progreſſu morbi ab adfectis neruis preſſione, diſtorſione, caet. octaui paris atque intercoſtali.

Caries aneuriſmatibus inueteratis oſſibus vicinis omnibus accedens grauiſſima adfectio eſt. Cartilagines ab ea non adfectas vnicus HUNTER notauit, vbi quaecunque alia deſtructa erant. Cauſſa cariei aneuriſmatibus accedentis ſolutioni partium in ſanguine iſtarumque abſorptioni certe non adſcribenda eſt, nec eroſioni humorum morboſorum Cl. LAUTH admodum fauet, omnia potius arteriae dilatatae pulſui adſcribenda putat, ex quo etiam

praeclare explicari poteſt, cur aliae prae aliis adfi-ciantur partes.

Vis illidens in corpus hinc eo magis nociua eſt, quo maior ei durities elaſticitasque minor eſt. Hinc duriſſimum atque cedere neſciens os nunquam impune continuum fert impulſum. Cartilago autem elaſtica, quoties vim experitur, toties cedit, et mox vim vi reddit, id quum ſemper eadem lege accidat, integritas corpori conſeruatur. Molles partes tam diu cedunt innocue, quam diu vel continuitas ſoluta nunquam eſt, vel duris appreſſae non ſunt, hoc autem facto ipſae durarum legem ſubeunt compreſſae.

Mortem ab aneuriſmatibus duplici modo inferri auctores putant, dum aut ſcinditur praeternaturalis arteriae tumor, et ſanguinis non coërcenda profuſione necat, vel preſſione lethiferam gangraenam inducit. Sed et aliae in hoc morbo occidendi viae ſunt. Alios dolor, virium imbecillitas alios abſtulit. Virium imbecillitatis aneuriſmaticae hic modus eſt, vt ſanguis, qui copioſe in aneuriſmata fertur, in iis ſtagnet, ad vaſis dilatati latera coaguletur, ita vt interdum verum vaſis lumen, quod aneuriſmati ſupereſt, multo minus ſit diametro arteriae naturali. Summa nunc ſanguini ex corde propulſo reſiſtentia naſcitur, cor inique depletur, pars propulſi verſus illud refluit, inde cordis motus turbatus, palpitatio, pulmonum ſanguinei infarctus, virium ſummum diſpendium, ex continua intenſarum virium neceſſitate. Acceleratur mors, quando his cauſſis haemorrhagia accedit, ſubitanea vtplurimum, enormis, ſed mortem etiam adferens, ſi parca, lenta fuerit, ob virium ſummum, quod praegreſſum eſt, diſpendium. — Hinc multi, qui aneuriſmate confecti, haemorrhagia praegreſſa moriun-

moriuntur, non vaſorum inanitione lethali, ſed ob virium defectum decedunt. —

Aneuriſmatis curatio interna victu tenui, quiete corporis, venae ſectione, medicamentis diluentibus atque refrigerantibus perficitur, pluraque vtique aneuriſmatum interna medela mitigatorum exempla proſtant: ſed aneuriſmatum internorum cognitio difficilis eſt, eamque ob cauſſam facilis error, inducens nos, vt credamus, aneuriſma medicamento ſanatum eſſe, quo tamen alia morbida cauſſa ſymptomata aneuriſmati ſimilia inducens propulſa fuerat. Cordis ſane palpitatio, ſcrobiculi cordis adfectio, caet. plures longe alias cauſſas habent, quam aneuriſmata, quae admodum exiguam earum partem conſtituunt. Nec vera ſanatio aneuriſmatis a talibus auxiliis exſpectanda eſt, omnia chirurgi cauta manus praeſtabit, dummodo aneuriſma eius ditioni ſubditum ſit.

Ipſum autem opus libros ſequentes continet, quorum titulos exhibemus.

IO. MARIAE LANCISII *de aneuriſmatibus opus poſthumum.*

De externis aneuriſmatibus manu chirurgica methodice pertractandis, cum nonnullis circa aneuriſmata interna ac tribus aliis rarioribus chirurgicis obſeruationibus atque oeſophagotomiae operatione, e gallico ſermone in latinum verſa, omnia cum tabulis archetypis. Opus CAROLI GUATTANI, *Clementis XIV. Pont. Max. chirurgi ſecretioris.* Ad exemplar excuſſum Romae MDCCLXXII. Excidit in hoc opere propoſito ſuo editor, latina ſcripta tantum promittens. Nec a ſe, ſed ab editore Romano liber in latinam linguam translatus eſt. Dignus vero vtique eſt, qui legatur, doctiſſimus liber, fideliter, tentaminibus multis atque multifariis docens, quaenam externis aneuriſmatibus ferendae curationes ma- p. 101.

 nuales

nuales ſint. Adnexae operi ſunt *hiſtoriae duae aneuriſmatum, quorum alterum in brachio per chirurgicam operationem ſanatum, in femore alterum intra paucos dies lethale fuit, animaduerſionibus et figuris iam dudum illuſtratae, nunc vero nouis additionibus auctae ſtudio* CAROLI GUATTANI. —

p. 235. ANTONII MATANI, *Piſtorienſis, in academ. Piſana publici profeſſoris — de aneuriſmaticis praecordiorum morbis animaduerſiones, iuxta exemplar Liburninum recuſſae.*

p. 359. *Diſſertatio anatomico-chirurgica de aneuriſmate, oblata notabile aortae aneuriſma diuulgandi occaſione, quam pro gradu doctorali publicae eruditorum diſquiſitioni ſubmittit* JACOBUS VERBRUGGE, *Delphis Batauus. Lugd. Batauor.* 1773. *in 4to.* Continet hiſtoriam morbi a primis ſuis elementis deductam. Inſuper aneuriſmatum cordis exempla apud auctores ſparſa auctor collegit et memorabile addidit.

p. 469. *Diſſertatio inauguralis medica de aneuriſmate vero pectoris externo hemiplegiae ſobole, quam pro gradu Doctoris Baſileae* 1750 *proponit* IO. IAC. WELTINUS, *Foro-Tiberienſis, Auctor.* Raram aneuriſmatis in arteria intercoſtali ſedem obſeruauit, rarioremque eius cauſſam, hemiplegiam.

p. 497. ADOLPH. MURRAY et PETR. AFFZELII ARVIDSSON *diſſertatio: in aneuriſmata femoris obſeruationes. Vpſal.* MDCCLXXXI. Curationes aneuriſmatum femoris perfecit non iniuſta ſpe, fore, vt membrum ſeruaretur ob numeroſas ibi arteriarum inoſculationes.

p. 547. CHRISTOPH. JACOBI TREW —— *aneuriſmatis ſpurii poſt venae baſilicae ſectionem orti hiſtoria et curatio, cum figuris, ad exemplar Norimbergenſe.*

p. 581. CONR. ASMANN *diſſertatio inauguralis medica de aneuriſmate, Gröning.* MDCCLXXIII. Experimen-

ta

ta operi ſuo addidit, quibus inanem eſſe operam, qua LAMBERTUS aneuriſmatibus mederi putat, demonſtrauit.

Exactam tabularum aenearum omnium explicationem editor congeſſit operique addidit.

III.

Dr. CHRIST. FRIED. DANIEL'S *Entwurf einer Bibliothek der Staatsarzneykunde, oder der gerichtlichen Arzneykunde und mediciniſchen Polizey, von ihrem Anfange bis auf das Jahr* 1784. *Halle, in der Hemmerdeſchen Buchhandlung.* 1784. *in 8vo.* 231 *pagg.*

i. e.

Prima bibliothecae medicinae legalis, forenſis et politiae medicae rudimenta, auctore CHRIST. FRIED. DANIELE.

In proprios priuatosque vſus bibliothecam hanc Cl. Auctor condidit eamque publici iuris fecit, vt perfectius, plurium ſymbolis collatis, opus euaderet. Continet autem ipſum opus certo laudabilique ordine digeſtos titulos librorum omnium, quotquot auctori innotuerunt, de medicina ciuili, forenſi et politia medica agentium, minoribus adeo, academicisque libellis non exceptis. Omiſſa autem ſunt ab aliis iam pertractata, librorum de medicina veterinaria agentium tituli ab HENZENIO iam editi, in quibus tamen hos ſeruauit, quos HENZENIUS omiſerat, nec non de bellica medicina ſcriptores, quorum omnium titulos BALDINGERUS, Vir Ill. peculiari libello collegerat.

Ordo autem, quo libri pertractantur, quum diſciplinae genus concernat hodie non omnibus ex toto ſuo ambitu notum, nec limitibus certis adhuc

circumſcriptum, qui a nobis huc tranſcribatur inprimis meretur:

Liber I. *Adminicula.* Scripta generaliora, ſpecialiora, theologica, iuridica, generalia, ſpecialia, ſcripta nempe de legibus, legum explicatione, caſus ſpeciales continentia, dogmatica. — Scripta hiſtorica, generalia, ad hiſtoriam literariam ſpectantia, — ſcripta philoſophica, ad politiam ſpectantia, generalia, ſpecialia, ſtatuta dogmataque ſpecialiora continentia. — Scripta phyſica, chemica, medica, generaliora, ſpecialiora, anatomica nempe et phyſiologica, pathologica, noſologica et ſemiologica, generaliora, ſpecialioraque, de epidemiis videlicet, morbis contagioſis, peſte, endemiis morbis, coniugio prolis experte, impotentia virili, ſterilitate, haereditariis morbis. Scripta diaetetica generaliora ſpecialioraque, de materia medica ſcripta generalia et ſpecialia, ſcripta therapeutica, taliaque, quae in communem vulgi vſum conſcripta ſunt, chirurgica, ad artem obſtetriciam ſpectantia, de vſu inſtrumentorum in arte obſtetricia, partu caeſareo, ſymphyſeos oſſium pubis ſectione, caet.

Liber II. caput I. allegatis generalioribus ſcriptis, *libros ad medicinam forenſem ſpectantes* continet, libros dogmaticos primum, deinde caſuum ſpecialium collectionem continentes. Sect. II. artic. I. libros ad politiam medicam valentes continet, dogmaticos et ſtatuta complectentes. Articulo II. libri de collegiis medicis et perſonis medicinam facientibus, de collegiis medicinalibus medicisque, de medicorum inſtitutione, peregrinatione, fortuna et politia medicorum, de iuniorum medicorum fide, approbatione, religione, officiis, priuilegiis et immunitatibus, dignitate perſonali, ſoſtris, medicamentorum diſpenſatione et medicamentis arcanis, de medico profeſſore phyſicoque, de medico-

rum

rum iudiciis medendique methodo pertractantur. Tertius huius ſectionis articulus libros de chirurgis comprehendit, de eorum inſtitutione, iuribus et priuilegiis, officiis, dignitate, de methodo eorum medendi interna et externa, iudiciis, teſtimoniis.

Quartus articulus ſcripta de obſtetricibus complectitur, de earum inſtitutione, erroribus, iuribus, officiis, iisque omnibus, quae ad rem obſtetriciam generatim ſpectant, quintus autem de pharmacopolis libros, de eorum perſona, officio, immunitatibus, erroribus, medicamentorum adulterationibus, officiis, medicamentorum taxatione, officinis pharmaceuticis, diſpenſatoriis.

Obiecta paſſiua ſingulari capite pertractantur, libri nempe de homine, genere humano, virili ſexu, circumciſis, libri de ſexu muliebri, virginitate, de partium genitalium muliebrium vitiis, hermaphroditis, de coitu, coniugio, ſtupro violento, partium verendarum inſpectione, onania, ſodomia, de grauiditatis ſignis, grauidarum iure, de partu ſuppoſito, puerorum et foetus materni iure et priuilegiis, de naeuis maternis, molis, de tempore, quo foetus animatur, de philtris, abortu, partu viuo, vitali, legitimo, ſuperfoetatione, gemellorum partu, monſtris, de morbis et mortibus foetuum in vtero materno, partus ſymptomatibus ſignisque, puerperis, infanticidio, infanticidio licito, et vmbilicalis funiculi deligatione, de vulneribus infantum capiti inflictis, ſuffocatione infantum, pulmonum docimaſia, educatione puerorum phyſica et morali, de generis humani morbis, ſenio, iuuenum et puerorum iuribus, de decrepita ſenectute, de terrarum locorumque ſalubritate, inſalubritate, de aëre et varia illius quoad varios vapores, qui illi inſunt, qualitate, ignibus, ſtagnorum nociuis effluuiis, pane eiusque ſuc-

ſedaneis, morbo ſpaſmodico-conuulſiuo vago, de potu, aqua, cereuiſia, potu ſpirituoſo, vino eiuſque mangoniſatione, frumenti ſpiritu, coffea, thea Sinenſi, choccolada, vaſis culinariis, hominum habitationibus, corporis exercitiis, veſtitu, lectis, munditie, corporis oblectamentis, muſica, balneis, de aegrorum et ſauciorum priuilegiis, noſocomiis, de morbis ex vitae genere, tortura, morbis ſimulatis, diſſimulatis, de morbis ex obſeſſione diabolica, a faſcino, de ſpectris, ebrietate, noctambulis, ſenſuum et mentis aliisque particularibus morbis, de vulnerum lethalitate in ſenſu chirurgico et medico-forenſi, venenis, ſuicidio, de apparenter mortuis modisque vitam iis reddendi, natorum denatorumque catalogis, obductione, ſectione, mortuorum iure, ſepultura, et ſepulturae loco.

Alterius libri alterum caput ſcripta quaedam de animalium morbis et de veterinaria medicina complectitur, de bouina lue, rabidorum animalium morſu, canis rabidi morſu, aquae metu, caet.

In tanta autem tamque ingenti librorum allegandorum rerumque pertractandarum copia tale opus ex omni parte abſolutum conſcribere humanas paene vires excedit, adeoque non mirum eſt, plura in hoc libro deſiderari, licet plurima in eo eaque ſatis egregie ſint praeſtita. Adnotabimus, vt et noſtram ad perfectius olim opus reddendum ſymbolam conferamus, ea, quae perlegentibus librum aut manca viſa ſunt, aut vitioſe ſcripta, aut de libris in ſenſus inciderunt.

p. I. Publica academiarum et ſocietatum doctorum acta quum parum ad medicinae partem, cuius ſcriptores Noſter pertractat, faciant, parum detrimenti in librum redundaſſe putamus, ſi eorum partem maximam omiſiſſet. Nec tamen omnia allegauit, omiſſis actis Franconicis a DELIO, V. III. editis, academiae

demiae Erfortanae nouis actis (veterum titulus libro non reſpondet) maximaque actorum academiarum Batauarum parte, in quibus tamen multa continentur ad medicinam publicam perfecte ſpectantia. — In plurimis ſcriptis de ſacerdotum et monachorum catholicorum coelibatu vnicus tantum liber adducitur. — Conſtitutionis Carolinae criminalis editiones proſtant longe plures bonae vtilesque, praeter Kochianam, allegandae. De phy- p. 11.
ſiognomia vnicus tantum liber adducitur, IOANNIS *ab* INDAGINE; IO. BAPT. PORTAE, LAVATERI, aliorum, celeberrimis laboribus penitus ſilentio praetermiſſis. In generalioribus plures libri pertractantur, ad ſpecialiora referendi, SCHINZII verbi gratia diſſertatio de ſtanni et eius miſcelae cum p. 15.
plumbo in re oeconomica vſu, caet.: p. 16. omiſſus eſt PLANERI egregius liber de tempeſtate et morbis Erfordiae. Chemicos libros, quibus ad medicinam politicam forenſemque vſus quidam eſt, decem citat Noſter, ſed eorum longe plures proſtant, inprimis de ſalubribus medicatisque aquis, quae ad publicam medicinam proprie ſpectant, vbi adeo laborum celeberrimorum ZÜCKERT, Viri quondam Cl[i], nec non CRANZII operis de aquis ſalubribus Hungariae, mentio non facta eſt, vt alios plurimos ſcriptores, vtique allegandos, taceamus. In ſcriptoribus generalioribus medicis deſideratur opus RAHNII et aliorum *Gazette de Santé*, Turici an. 1782 p. 19.
ad noſtra vſque tempora editum, plura ad medicinam publicam et politiam medicam continens. — SCHURIGII compilatitii libri plures, embryologia, ſyllepſiologia, parthenologia, haematologia, caet. deſunt. Deſunt etiam ſcriptores plurimi de peſte, WESZPREMII de inoculanda peſte tentamen caet. Operis de peſte Maſſilienſi verſio, cuius prima pars p. 26.
Stendaliae anno 1783 prodiit, tanquam peculiaris

 liber

liber adducitur, nec operi CHYCOYNEAU, vt ſas erat, ſubnectitur. — Scripta a p. 27. de impotentia, ſterilitate, caet. generalioribus ſubnexa ſunt, titulis ſpecialioribus ſine dubio ſubiicienda. p. 31. omiſſa eſt docta diſſ. Cl[i] REINIGER de prole parentum culpam luente, Lipſiae, anno 1774 edita. p. 31. omiſſus eſt celeberrimus quondam VNZERI liber: *der Arzt*, et in alium locum incongrue translatus. p. 33. n. 198. omiſſus eſt celeberrimus COHAUSENII liber: Hermippus rediuiuus, Francof. ad Moen. 1742. in 8vo. p. 34. n. 206. omiſſi libri plures ſunt de meloë maiali hydrophobiae auerrunco, Clar. viri SCHWARTS Lipſ. 1783. in 8vo. cum fig. aen. nitid. nec non Boruſſorum Regis de hoc medicamento prophylactico in demorſis omnibus adhibendo mandatum. Aliquoties in libro occurrunt SYDENHAMI opera, auctoris errore. p. 34. omiſſus cum pluribus aliis eſt liber, qui auctore BEYNON prodiit, *der barmherzige Samariter*, primus inter populares practicos libros, qui bona quaedam continet. p. 39. RICHTERI, Viri Ill. vtiliſſimum opus, *Anfangsgründe der Wundarzneykunſt 1ter Band. Göttingen.* 1782. in 8vo. c. fig. deſideratur. p. 39. ſcriptores plurimi de re obſtetricia, inprimis ad rem obſtetriciam manuductiones in obſtetricum vſum conſcriptae deſunt ESCHENBACHII, BÖSSELTI, STISSERI, MURALTI, IO. VON HOORN, aliorum plurimorum.

p. 41. Deſunt etiam ſcripta quaedam ad controuerſiam de re inſtrumentaria in arte obſtetricia pertinentia. Scripta de ſynchondroſeos oſſium pubis ſectione exactiſſime tradita ſunt. Eorum numerus iam ad 47 adſcendit. Ad pag. 62. liber ſatis bonus deeſt, qui ficto SEMPRONII GRACCHI nomine prodiit, titulo: *medicus huius ſaeculi.* Dresdae. 1693. in 12mo mai. Deeſt etiam FRIDERICI HOFFMANNI liber: *medicus politicus, ſiue regulae prudentiae, ſecundum*

cundum quas medicus iuuenis ſtudia ſua et vitae ratio-nem dirigere debet. Lugd. Batav. 1746. in 8vo. nec non ERNESTI GOTOFREDI KURELLAE liber: *Entdeckungen der Maximen, ohne Zeitverluſt und Mühe ein groſser Arzt zu werden. Berlin.* 1750. *in* 8*vo.* Ad p. 64. §. 4. deſunt inter alia: KNIPHOF *ſobriae cogitationes circa adagii valorem, nouo medico nouo opus eſſe coemeterio.* Erfordiae. 1748. reſp. *Eisfeld.* STAHL *diſſ. de praerogatiua veteranorum practicorum.* Hal. 1712. COSCHWITZ. *Progr. de fide medici.* Hal. 1726. p. 67. §. 10. LEUSCHNERI epiſtola de ſoſtris veraque horum appellatione et differentia Hirſchbergae, 1751. in 4to prodiit. Ad §. 11. p. 67. STAHL *progr. de medicis e pharmacopolio.* Hal. 1709. nec non CARTHEUSER *diſſ. idea medici clinici in arte ſua Roſcii. Francof.* 1775. p. 69. §. 1. deeſt BÜCKING, Viri Cl. liber: *Wie ſoll ein Wundarzt ſich geſchickt bilden? Stendal.* 1783. *in* 8*vo.* Quae ad chirurgorum Gallorum rixas cum medicis faciunt, omiſſa omnia ſunt. Deſiderantur etiam plurimae taxae medicamentorum pharmaceuticae, plurium licet titulos Noſter collegerit. Multa etiam diſpenſatoria pharmaceutica deſunt, in iisque primum paene omnium VALERII CORDI Norimb. 1592. in fol. Lugd. 1612. in 8vo. et ſaepius. p. 83. WITHOFII de caſtratis liber latine, ni fallimur, primum prodiit. Ad p. 84. conferenda HUBERI *tractatio de vaginae vterinae ſtructura rugoſa, nec non de hymene commentatio.* Gotting. c. fig. in 4to. p. 85. n. 25. BÖHMERI celeberrimae de vtero obſeruationes omiſſae ſunt. Scripſerat WOLFG. WEDELIUS diſſertationem de matrimonio medico, omiſſam. Ex ea multa hauſit Cl. KRÜNITZIUS, in diſſ. de matrimonio multorum morborum remedio, cuius titulum additamenta habent, nec videmus, qua ratione famoſus et mendaciorum plenus liber: *über die*

Galan-

Galanterien von Berlin, ſupra iam citatus, ad doctrinam de matrimonio coituque aliquid conferre poſſit. — Titulus Anglici, de onania, ignoti auctoris libri, Lipſiae ſaepius germanice editi p. 88. deeſt. Scriptores de grauiditate nec optimi, nec omnes p. 89. citati ſunt. Inſerendus eſt p. 90. titulus libri Angli, etiam germanice editi: *Lucina ſine concubitu.* p. 92. n. 106. RICHTERI progr. *de naeuis theoriae medicae* allegatur ceu de naeuis maternis agens, quum tamen de theoria medica vitioſa agat, teſtimonio manifeſto, Cl. Auctorem, argumento poſthabito, titulis librorum nimis inhiaſſe; n. 109. 110. KRAUSII et RÖDERERI opera de imaginationis maternae vi germanice etiam leguntur in promtuario Hamburgenſi: conferenda etiam eſt diſſertatio SCHAEFFERI *de commercio foetus cum matre per neruos.* Erlangae. 1775. c. fig. p. 103. FORTUNIUS LICETUS *de monſtris.* Amſt. 1665. in 4to. ex recenſ. *Gerh. Blaſii. Marc. Mappi*, hiſtoria medica de acephalis. Arg. 1687. in 4to. omiſſa ſunt, nec non p. 107. HEISTERI celebris diſſertatio de foetu in ſomno matris profundo nato. p. 113. METZGERI labores ad pulmonum docimaſiam probandam non memorantur, libro forte recentiores. Exciderunt etiam memoria Clar. Auctori p. 123. ſcriptores de plica Polonica complures, HERCULES SAXONIA, HIRSCHEL, alii, nec non labores Clar. virorum, HILLARY, CLEGHORN, MOULTRIE, MAKKITRICK: pauci etiam admodum ſcriptores de aëre naturali
p. 130. variisque aëris generibus allegantur. Varios Gallorum labores de aëre mephitico cloacarum purgando, reſtituendo, recenſet editor diarii medici Gallici, *Journal de médécine*, ann. 1784 paſſim.
p. 137. Scriptores omnes de morbo conuulſiuo vago recenſuit TAUBE in celeberrimo opere. Ex iis partem maximam, ſed non omnes, Noſter excerpſit,

meliori-

melioribus adeo quibusdam omiſſis. Omiſſus etiam eſt MEIBOMII de cereuiſiis liber ſingularis, nec p. 138. non PH. FR. GMELIN liber academicus *de noxis* p. 139. *ex abuſu potuum ſpirituoſorum in hominem ſanum et aegrotum redundantibus.* Tubing. 1767. in 4to. et IO. LEMBKEN *de ſpiritibus ardentibus per abuſum morborum cauſſis, eiusdemque therapia.* Gryphiswald. 1733. in 4to. DE LEDESMA de qualitate Chocoladae. Norimb. 1644. in 12. De noxis va- p. 141. ſorum cupreorum ſtanno plumbo adulterato obductorum plura proſtant in medicinae forenſis promtuario UDENII, in quo etiam mandatum Regis Boruſſorum legitur de ſtanno puro ad vaſa obducenda eligendo pretiumque probae tali obductioni iuſtum ſtatuitur. Pertinent huc etiam FALCONER *obſervations on the poiſons of lead*, quarum in germanicam linguam verſio in promtuario Baldingeriano occurrit. IO. GUIL. ALBRECHT tractatus p. 145. phyſicus de effectibus muſices in corpus animatum. Lipſ. 1734 in 8vo. Plura etiam WEBERUS de effectibus muſices collegit in additamentis ad TISSOTI librum de neruis a ſe editum. Excidit etiam BACIUS de thermis, BERGII liber de balneis frigidis, plurimique huc facientes alii.

Omiſſi porro ſequentes libri ſunt: WÜRZ p. 148. mémoire ſur l'etabliſſement des ecoles de médécine pratique a former dans les principaux hopitaux civils de la France. à Paris. 1784. in 8vo. De p. 150. morbis literatorum auertendis plura occurrunt in RAHNII libro: Gazette de Santé. GEORG. WOLFG. WEDEL diſſ. de diaeta literatorum. Ien. 1674 ſaepius edita. IUCH de conſtitutione literatorum vel cacochymica pituitoſa, vel cachectica. Erf. 1743. HILSCHER progr. I. et II. de remiſſione animorum magno ſanitatis in literatis praeſidio. Ien. 1735. CHR. STOCK progr. 1—18. de tuenda ſanitate in medita-

meditationum laboribus. Ien. 1751. RICHTER diſſ. de doctarum lucubrationum noxis. Gott. 1755. rec. in opuſc. De nauigantium morbis auertendis curandisque plura occurrunt in itinerum diariis a COOKIO inſtitutorum. Scriptorum de rebus magicis agentium plurimi deſunt, ex HAUBERI bibliotheca magica, aliisque libris facile ſupplendi, de ſpectris etiam longe plures libelli proſtant. De peſte infectis curandis, nec non de ipſo hoc morbo auertendo, praecauendo plurimi libelli proſtant, rari quidem maxima ex parte et vilioris pretii, ſed tamen in tali libro vix omittendi. De autochiria plurima ſcripta ſunt occaſione fabulae Romanenſis celebratiſſimae: WERTHERS *Leiden*, quorum nulla
p. 180. penitus in libro mentio eſt. MENDELII diſſertatio de ſuffocatis gallice verſa ab auctore n. 1246. alio titulo, ceu ſingulare opuſculum, allegatur. —

Haec legentibus librum in mentem inciderunt, ſed longe plura in opere deſiderantur, in quo et hoc lectoribus incommodi partem haud exilem parit, quod libri ad alios ordines transferendi ſub alio proſtent, ipſique librorum tituli, nulla annorum, quo prodiere, ratione habita, mire inter ſe mixti, diſputationibus adeo academicis a libris maioribus non diſtinctis, proſtent. Sed non eſt, vt eam ob cauſſam libro vtilitatem denegemus, opus vero eſt, vt doctiſſimus auctor in eo digerendo amplificandoque operam inſumat aſſiduam maximeque diligentem, ne, dum ſuperflua copioſe legantur, neceſſaria deſint.

IV.

JOHANN GOTTFRIED ESSICH, *Doctors der Arzneywiſſenſchaft und Mitglied des mediciniſchen Collegiums zu Augsburg*, *Auswahl der beſten und auserle-*

auserleſenſten diaetetiſchen Mittel, zur Vorbauung oder Cur der Krankheiten, Augsburg, bey Riegers Söhnen. 1784. *in* 8*vo.* 1 *Alph.* 5 *pl.*

i. e.

Delectus remediorum diaeteticorum ad morbos auertendos et curandos efficaciſſimorum et maxime ſelectorum, auctore IO. GODOFR. ESSICH.

Plurimum profecto medici in eo peccarunt, quod, monente etiam TISSOTO, in opere de ſtudiis medicis perfectioribus reddendis, illi medicinae parti, qua morbi per alimenta curantur, tam parcam operam dederint, vt praeſtitis a GALENO in hac parte fere acquieſcerent, ſuaque negligentia erroribus in medendo per diaetam occaſionem vberrimam permitterent, inprimis quum morbi maxime rebelles et inſanabiles penitus, diaeta et conuenienti alimento admodum mitigentur, phthiſicique et ex hypochondriis laborantes, vt alios taceamus, morbum ſaepe, ſolius diaetae auxilio ſuperent. Debita hinc aegrotantibus diaeta ſemper praeſcribenda eſt, ea generatim, vt cibos nociuos omnibus aegris, duros, pingues, glutinoſos, vitent, facilibus vero, laeuibus et bonum ſuccum praebentibus, bene praeparatis vtantur, vt cibi in vaſis valetudini non aduerſis praeparentur, et cibi denique curationi, quae per medicamenta fit, accommodati praeſcribantur.

Haec in praefatione et introductione operis continentur. In ipſo opere *de aluina obſtructione* primum agitur. Aluum a laxitate tardam roborantibus cibis citare expedit, quibus multum ſalis admiſcendum eſt (ſed ſal laxitatem, debilitando auget.) Cereuiſiae amaricantis ad hanc aegritudinem multus

multus etiam vſus eſt. Tarda a ſiccitate aluus laxantibus reſtituitur, inprimis ex vegetabili regno, pomis, braſſica fermentata, tauri felle epoto (quod vero medicamentum eſt), butyro cum ſaccharo remixto, caet.

p. 12. Sect. II. *de flatibus pellendis.* Medicamenta et alimenta ad eos non valent, dum cauſſa pertinaciter perſtat, hinc cauſſa ſublata, vitae genere mutato, caet. pellendi ſunt. Cauendum inprimis eſt, ne ſtomachus debilis ciborum mole nimia grauetur. Ad ipſas ex flatibus adfectiones aromatici cibi laudantur, inprimis integra piperis grana deuoranda, et infuſum ex meliſſae herba (nos mentham praecepiſſemus, ſtomacho amiciſſimam). Arcentur flatus cibis, qui debilitati ſubueniunt et venti parum continent, carnibus inprimis ferinis. Diſpoſitis ad has adfectiones, ſi pomis vtuntur, vinum bene fermentatum ſuperpotare expedit. Cereuiſia vti frequenter iis non conuenit, quae aut flatus gignit, aut ob tardiorem in ſanguineam maſſam tranſitum ventrem grauat. Optimus potus aqua eſt vino meraco remixta, nec, dum cibi ſumuntur, copioſe potare conuenit. Choccolada damnatur, quae tamen debilibus egregie ſubinde ſubuenit, coffea admodum laudatur. (quae tamen, ſi vllo modo in eius vſu exceditur, debilitati, flatibus et neruorum adfectioni vberrimam occaſionem dat.)

p. 47. Sect. III. *de vomitu.* Docetur, qua ratione alimentorum ope vomitum citare conueniat, quem in finem acida et oleoſa, quae tamen vomitum prohibent, laudantur.

Sect. IV. *de ſpaſmis pectoralibus.* In hoc morbo ſibi ipſi Noſter non conſtat, nec ſatis ſcimus, quid ſub hoc nomine intelligat, oppreſſiones forte ex congeſtionibus ad pectus inductas.

Sect.

Sect. V. *de ſpaſmis.* Cauſſarum nulla in amplisſimo morbi genere plane ratio habetur. Hinc quae praeclare ſubinde ſubueniunt, damnantur, quae noxios effectus manifeſtos edunt, laudantur. Damnatur v. g. Coffea, quae ſpaſmis ex neruorum delicatula conſtitutione adfectis praeclare ſubinde ſubuenit. Ad ſpaſmos et hyſtericam adfectionem arcendam potus copioſus (debilitans profecto et ſpaſmis fauens, niſi corpus eo egeat) laudatur. Spaſmis perſeuerantibus alimenta antiſpaſmodica commendantur, pariter ſine vllo cauſſarum diſcrimine.

Sect. VI. *de arthritide et podagra.* His morbis laborantibus moderata omnia eſſe debent, talique vita futuri inſultus efficaciſſime arcentur. — Gallicum vinum podagricis maxime conuenit. — Scorbutica arthritis herbas amaras, ſoluentes amat, lac autem his praeſertim podagricis conuenit, qui macrum corporis habitum et humores ſalſos habent. — A carnibus et vino, paroxyſmo morbi durante, abſtinere penitus expedit. — p. 73.

Sect. VII. *de tabe.* Tabidum corpus ſolis alimentis reſtituitur nutrientibus ſimulque roborantibus. Lac ouis praeferendum eſt, ad putredinem, dum digeſtio laeſa eſt, admodum pronis. Cibum tamen ex lacte corpus non fert, dum bilis in ventriculo profuſa eſt, inflammatio viſcerum infimi ventris et febris vrgent. p. 89.

Sect. VIII. *Pulmonalis phthiſis* etiam in maxime diſpoſitis alimentorum ope commode auertitur. Sanantur et ipſa adeo parua pulmonum vlcera diaetae ope. Conueniunt autem hoc modo adfectis alimenta parum ſanguinis praebentia, corporis vires firmantia, non admodum nutrientia, nec ſanguinem aeſtuantia, fibras rigidas mollientia, calorem et acredinem in ſanguine temperantia, nec

aeſtum concitantia. Eum in finem victus inprimis vegetabilis, cum carnium tenuiori iure, laudatur. Tuſſim alimenta vegetabilia ſaponacea optime intercipiunt. Ad ipſam phthiſin pomacei fructus cucumeres, lac, laudantur.

Sect. VIIII. *de cardialgia.* —

Sect. X. *de melancholia.* Taxantur inprimis thoraces, hunc morbum prae aliis cauſſis inducentes. Ipſi autem morbo herbae et radices ſaponaceae, ex dulci amaricantes, poma omnis generis, lactis ſerum (inprimis cui herbae ſoluentes incoctae ſint) aduerſa ſunt.

p. 144. Sect. XI. *de malo hypochondriaco.* Cauſſa illius neruorum et ſtomachi debilitas, piger ſanguis et vaſorum obſtructiones, ex Noſtri mente ſunt. Corporis inprimis motus, diaeta nulla commendatur.

Sect. XII. *de tuſſi.* Diſtinctione inter humidam et ſiccam tantum tuſſim facta, ad ſiccam dulcia et mucilaginoſa laudantur, veronicae herba (?), limacum decoctio, nec non ex vitulinis pulmonibus ius, ad humidam vero pituitam incidentia, ſicci, ſalſi, fumo indurati cibi, caet.

p. 166. Sect. XIII. *de aſthmate.* Agitur inprimis de aſthmate ex pulmonum obſtructionibus et a mala pectoris conformatione oriundo. Omnis diaeta in ſoluenda pituita, quae maxime frequentem huic morbo cauſſam praebet, verſatur.

p. 174. Sect. XIV. *de morbis a bile.* Diarrhoeam bilioſam ſoluentia, inuoluentia ſubacida compeſcunt, in bilioſis febribus eadem, quae in acutis, diaeta praecipitur.

Sect. XV. *de ictero* pertinaci et diuturno a bile tenaci, calculis bilioſis et hepatis infarctibus oriundo. Conueniunt in hoc morbo cibi diluentes, obſtructa reſerantes, ſtagnantia ſoluentes et calculos biliarios confringentes.

Sect.

Sect. XVI. *de paralyſi.*

Sect. XVII. *de apoplexia.* Miramur admodum, Noſtrum morbi diriſſimi auertendi rationem paucis admodum verbis tetigiſſe, quum tamen ſatis conſtet, curam morbi prophylacticam in diaeta ſola poſitam eſſe.

Sect. XVIII. *de cutaneis effloreſcentiis diuturnis.* p. 187. Acria, ſalſa, aeſtuantia damnantur. Carnibus copioſe comeſtis effloreſcentiarum culpa maxima imponitur, acrimoniae pituitoſae, ſalſae, bilioſae pertractantur. Thea Sinenſis his morbis adfectis commendatur.

Sect. XIX. *de haemorrhagiis.* Durante profuſione, refrigerante diaeta vti expedit, ſuperata vero, refocillante et roborante alimento opus eſt. Inſultu morbi perdurante, victus adſtringens, auſterus, noxius eſt. Obnoxii frequenter incidentibus ſanguinis profuſionibus ſunt, qui ſanguinem acrem habent, qui morbis ſpaſmodicis, viſcerum infimi ventris obſtructionibus laborant, iique, qui ſanguinem copioſum gignunt, accommodato morbo ſuo victu omnes curandi.

Sect. XX. *de vertigine.* Morbi origines omnes nullo modo complectitur.

Sect. XXI. *de hydrope.* Siccus calefaciensque victus admodum laudatur (aduerſatur auctori BACHERI, MILLMANNI, *Viror. Cl.* opinio, quorum opera ignoraſſe videtur.) Laudantur iuniperi baccae, naſturtii, chaerefolii, raphani ruſticani, petroſelini ſuccus, cepae cum aqua coctae. Multum intereſt hydropicorum, vt parum bibant. —

Sect. XXII. *de doloribus ex calculo veſicae vri-* p. 208 *nariae.* Nocet his adfectis diaeta vrinam propellens, dolores admodum intendens. Caſeo, ſolano tuberoſo, piſcibus, cochleis, fungis, ouis duris, leguminibus, calculi culpa omnis tribuitur, (ſed iniu-

ria certe.) Aceti vſu copioſo calculos generari Auctor adſerit. Spes inſultuum ſuperandorum in alimentis demulcentibus, inuoluentibus, lenientibus, iure ponitur. (De his, quae LOBBIUS et alii de calculo per alimenta pellendo docuere, altum apud auctorem noſtrum eſt ſilentium.)

p. 222. Sect. XXIII. *de morbis ab amore meretricio et manuſtupratione curandis.* Plurima fuſe nimis dicta finique propoſito non reſpondentia pertractantur, ita vt, qua ratione vita vireſque iis reſtituendae ſint, qui vitae ſuae partem optimam in immoderato voluptatum infandarum vſu amiſerunt, ex integra hac tractatione ſcire non liceat.

p. 242. Sect. XXIV. *de dyſenterico morbo.* Taxantur cibi farinacei, ex carnibus decoctiones, pinguia omnia, lactis cremor, qui tamen inſignis ſaepe in hoc morbo vſus eſt, adſtringentia omnia, vinum, nimis generatim; haec enim alimenta omnia ad ſpeciales caſus vſum quendam habent.

p. 260. Ab *alui fluxu*, qui Sect. XXV. pertractatur, Sect. XXVI. tranſitus *ad morbos contagioſos* eſt. Venenum febrium harum omnium ſepticam qualitatem habere Noſter putat, victu moderato, ſobrio, putredini aduerſo, vegetabili, aromatico, balſamico, caet. arcendum.

Sect. XXVII. *de haemorrhoidibus.* Diaeta omnibus ſymptomatibus ex hoc fonte naſcentibus eadem eſt. Summum autem in his morbis omnibus eſt, ne ſanguis aeſtuetur et in intenſiores circulos rapiatur. Quidam vinum ſubauſterum, rubrum bene ferunt.

Sect. XXVIII. *de vulneribus.* De bile in vulneratis ſaepiſſime turgente ſilentium eſt.

Sect. XXIX. *de vermibus.* Medicinae diaeteticae efficaciſſimae fere omnes praetermiſſae ſunt.

Sect. XXX. *de obſtructionibus viſcerum abdominalium.*

nalium. Pituitoſae obſtructiones ſolui facile patiuntur, aliae non aeque. Vegetabilis diaeta maxime commendatur.

Sect. XXXI. *de vlceribus.* In eo verſantur omnia, vt puri humores ſeruentur. Vlcerum partem maximam a recluſis admodum fontibus, acrimoniis variis, obſtructionibus viſcerum infimi ventris, caet. pendere experimenta plurima docuerunt, ſed talia Noſtrum latere ſolent.

De caduco morbo, Sect. XXXII. De foliis aurantiorum et maioranae herba ad hunc morbum efficacibus tantum agitur. p. 283.

Sect. XXXIII. *de inflammationibus.* De potus praeſertim frigidi noxis. Quae eryſipelate laborantibus diaeta praecipitur, admodum bona eſt.

Sect. XXXIV. *de febrium intermittentium diaeta.*

Sect. XXXV. *de acutarum diaeta.* — Omnia HIPPOCRATES efficacius iam praecepit.

Sect. XXXVI. *de convaleſcentium victus ratione.* p. 311. Cibi pauci, ſed iterato ſumendi ſunt, inimici corpori cibi varie mixti ſunt et ſimplices praeferendi, cibi diligenter manducatione praeparandi, potus nimius vitandus, caet.

Sect. XXXVII. *de debilitate.* Serum lactis cancri lapidum ope ab acido ſuo liberatum optimum infantis recens editi alimentum perhibetur. De pueris educandis, vt fortis et robuſta progenies euadat, plura perhibentur, iam ab aliis copioſe dicta.

Chloroſi, quae Sect. XXXVIII. pertractatur, ſubueniunt carnes faciles, non nimis aquoſae, radices ex dulci amaricantes, ſubacres, olera ſubacida, ſaponacea, ſoluentia, caet. — Ad menſes pellendos raphani ruſticani cum vino infuſio, cicerum decoctio, crocus, roris marini herba, aniſum, cinamomum, ruta, meliſſa, caet. laudantur, pariter ſine cauſſarum, in quam culpam Noſter frequenter in- p. 347.

 cidit,

cidit, diſcrimine. — Tandem de puerperarum et puerorum victus ratione agitur.

Taxandus in libro omni modo rerum dictarum ordo eſt incongruus maxime et docto homini nullo modo conueniens. Dicta etiam in ipſo opere plurima ſunt ſine vllo ſpeciei adfectionis morbidae diſcrimine, quod certe ſcire tyronum in arte medica plurimum intereſt, quum in altera ſpecie aduerſa multa, in altera admodum proſint. Talia diſcernere et ad caſum ſuum referre Noſtri non eſt, qui in rebus minutulis ſubinde et millies meliusque dictis ſaepe fuſiſſimus, ſcitu vtilia neceſſariaque aut dubio pede contingit, aut ſicco tranſit. —

V.

Vernünftige Anweiſung zu einem langen und geſunden Leben, von IOHANN GOTTFRIED ESSICH, *der A. G. Dr. und des mediciniſchen Collegiums zu Augsburg Aſſeſſor. Bey Riegers Söhnen.* 1784. *in 8vo.* 144 *pagg.*

i. e.

De rationali modo diu conſeruanda bona valetudine.

Plurima valetudini proſperae aduerſa quum quotidie in humana vita perpetrentur, omnia in vita noſtra valetudini contraria, et pernicioſa in hoc libello Noſter adnotare, taxare ſtuduit, ne minoribus quidem aberrationibus a ſana rectaque via praetermiſſis.

Primum de vitae genere puerorum et adultorum agitur, inprimis de aedibus et conclauibus, quae homines incolunt. Taxantur conclauia humida, vda nimis, nec non in ſuperis aedium contigna-

tignationibus ſita; ſcalarum enim frequens conſcenſio pectoris morbos et ad phthiſin pulmonalem diſpoſitionem inducit. Noxium etiam eſt conclauibus, vt pura ſeruentur, arenam inſpergere, quae oculos et pulmones laedit, obſunt etiam pauimenta conclauium cera laeuigata, quae pedum plantis dolorem conciliant. — Purgandus cubiculorum aër eſt iuniperi ligno accenſo, calor autem eorum moderatus ſemper ſeruandus eſt. Vaſa variis odoramentis plena, quae in cubiculis ſeruantur, neruis admodum obſunt.

Faſciae pueris humorum digeſtionem vitioſam, p. 10. glandularum obſtructiones, hernias inducunt et deforme corpus reddunt. Nocet etiam pueris ſueta pectoris nudatio, maximas autem noxas thoraces inducunt. (corpus tamen longe minus laedunt, imo innoxii penitus ſunt, ex impili laneo confecti.)

Purgantia, quae neonatis, dum in lucem editi ſunt, exhibentur, futuris aegritudinibus fontem copioſum praebent. Eorum loco puero recenter edito lactis ſerum dare expedit, cum cancri lapidibus praeparatum. Alimenta pueris primis poſt partum menſibus nulla conueniunt, exactis autem tribus circiter, potus ex Coffea leniter toſta, (qui vero ſemper corpori tenello inimicus eſt) et alimentum ex carnium teneriorum iure cum pane ſimilagineo commode dari poteſt. (Panis ſimilagineus, ob acidum generatum ſubinde obſtructiones viſcerum abdominalium et alia incommoda pueris inducit. Multum tamen huic incommodo detrahitur, ſi panis ſine butyro biscoctus cum carnium iure praeparatur.) Cunarum agitatio ob motum pueris ſalutarem praecipitur, geſtationi omni modo ex Noſtri ſententia praeferenda. Neruorum morbi omnes efficaciſſime arcentur, ſi pueris liberrima corpus modo qualicunque exercendi occaſio per-

mittitur, talesque adfectiones in ſequiori ſexu copioſae inde potiſſimum deriuantur, quod puellis in prima iuuentute conſtitutis labores iam demandentur, qui ſedentariam vitam requirunt.

p. 47. Tranſitus ab his ad vniuerſalia ſic dicta medicamenta eorumque noxas eſt, inprimis ad eum talium medicamentorum vſum, vt futuri, vix metuendi morbi iis praecaueantur. Subiuncta quaedam, ſed pauca admodum ſunt, de venaeſectionis abuſu, de incommodis ex vita ſedentaria, nec non de abuſu perſpicillorum variorumque odoramentorum, quibus capillus, veſtes, corpus vniuerſum delicatulorum infici ſolet. Adhibent quidam, vt ſpiritus odorem emendent, paſtillos aromaticos ex ſaccharo aromatibusque confectos, qui, ſi frequenter manducantur, oris morbos varios inducunt, neruos irritant, et acrimoniam humoribus inducunt. Addita his quaedam ſunt de fuci colorumque noxis, quibus ad pulchredinem ori conciliandam mulierculae vtuntur. —

p. 71. Noxis ex ebrietate copioſe expoſitis, de morbis ex potu et cibo nimis delicato agitur, in quibus flatus et ex iis ſymptomata ſcenam maximam ludunt. Vberrime etiam morbi et animi mores peruerſi ex manuſtupratione pertractantur, nullo tamen inter ſcortationem et manuſtuprationem diſcrimine habito. Agitur etiam de otioſae vitae, luxuriei, auaritiae, caet. noxis.

p. 121. Multis etiam malis homines expoſiti ſunt ab atmoſphaera, in qua viuunt, pendentibus, inprimis ab atmoſphaera humanis aliisque exhalationibus nimis repleta. Multum confert ad atmoſphaeram vitioſam reddendam mortuorum in templis et coemeteriis viuis vicinis ſepultura, ſtercoris et excrementorum iuxta domicilia humana congeſtiones, exhalationes nociuae ex iis locis, quibus res ad vitam

tam humanam neceſſariae, carnes, caet. venduntur, metallorum deauratio in viis et ſtratis vrbium publicis peracta, opificia varia aërem corrumpentia, puluis terreus et lapideus ſtratorum, ſubitaneaeque aëris viciſſitudines.

VI.

LUDOVICI DURETI, Seguſiani, interpretationes et enarrationes in Magni Hippocratis Coacas praenotiones. Opus admirabile in tres libros tributum ad Henricum III. Galliae et Poloniae Regem Chriſtianiſſimum, cum indice rerum memorabilium ampliſſimo, curante, qui et praefationem adiecit, ADRIANO PELERYN CHROUET, Med. Doct. Editio noua, ad eam, quae anno 1585 prodiit, recenſita et prioribus longe accuratior atque emendatior. Lugduni, apud ST. PIESTRE et I. B. DE LA MOLLIERE, cum permiſſu 1784. 554 pagg. in folio, excepto indice ampliſſimo.

Notiſſima DURETI merita in HIPPOCRATIS coaca praeſagia ſunt, cuius commentarii eam ob cauſſam his, qui medicinam exercent, maxime vtiles ſunt, quoniam textus fida interpretatione praemiſſa, ab HIPPOCRATE dicta a DURETO illuſtrantur et vberioribus obſeruationibus practicis confirmantur. Editionem ſuam CHROUETUS ad eam adornauit, quae anno 1585 Pariſiis apud DU PUYS prodiit, curante filio, IOANNE DURETO, qui, vt opus, a patre ad finem paene perductum, dum morbo conficeretur, perfectum prodiret, quaedam, at pauca ſatis addidit. Sed nec in erroribus typographicis

phicis vitandis, nec in praecidendis iis, quae noſtris temporibus aut falſa, aut ſuperflua, ſaltim ſaeculo non conuenientia putantur, quaedam nouus libri editor, CHROUETUS, praeſtitit, adeo vt nouos, vt iam ex titulo patet, errores typographicos commiſiſſe videatur, in tali libro quoad formam chartamque admodum ſpecioſo valde taxandos. Praefationem CHROUETUS adiecit de praeſtanti obſeruationum in medicina ſtudio, in eaque vitam DURETI breuiter enarrauit. Eaque omnia ſunt, quae in hac editione editor praeſtitit.

VII.

Eſſai ſur les moyens de perfectionner les études de médécine. Par Mr. TISSOT, D. M. à Bale, chez I. I. Flick, 1785. in 8vo. 167 pagg.

i. e.

De ſtudiis medicis perfectioribus reddendis tentamen. —

Demandatum Illuſtri opuſculi auctori erat ab Illuſtriſſimo quondam comite de FIRMIAN, vt cogitationes ſuas de optima methodo medicinam docendi cum ipſo communicaret ſimulque normam noſocomii eum in finem conſtruendi traderet. Hanc normam ſtatim Illuſtriſſimo comiti transmiſit. Cogitationes de medicina perfectius docenda non ſtatim poſt mandatum comitis conſcriptae ſunt, ſed quum is inſequente aeſtate in lethalem morbum incideret, TISSOTUS, qui plura viderat obſeruaueratque, ratus, fore, vt quaedam ad ipſam medicinam magis excolendam cogitationes ſuae conferant, opuſculum hoc in publicos vſus conſcripſit.

Additae

Addita ſunt libro, praeter noſocomii Patauini inſtruendi rationem, quaedam de modis, quibus hominibus ruri degentibus medicinae et chirurgiae auxilium fieri queat, quae Illuſtris Auctor iuſſu ſenatus Reipublicae Bernenſis conſcripſerat.

Ipſum autem opus de medicinae ſcientia perfectiori plurima ſcitu vtiliſſima continet, quorum epitomen exhibere lubet. — Qui medicinae operam dare vult, in literis humanioribus et philoſophiae ſcientiis verſatiſſimus eſſe debet. Graecae linguae cognitio medico abſolute neceſſaria non eſt, ſed ſumme neceſſaria latinae linguae cognitio eſt, ob principes medicorum libros hac lingua conſcriptos, qui a ſtudioſis, linguae, qua conſcripti ſunt, ignaris, certe non legerentur. Nec tam facile medicinae ſtudium eſſe debet, vt omnia, quae laborem quendam requirunt, praecludat. Hinc lectiones academicae latina lingua inſtituendae, partim vt aduenae ex peregrinis terris ſtudioſi, quae proferuntur, intelligant, partim etiam, vt idonei ad doctrinam homines in medicinae ſtudiis initientur. Neceſſaria porro ſunt tyroni medico hiſtoriae antiquae fabuloſae et recentioris, nec non geographiae exacta cognitio. In philoſophiae ſtudiis logicae, pſychologiae, matheſeos, phyſices ſcientiae admodum neceſſariae medico ſunt.

In his omnibus ſtudiis ad medicinam praeparantibus fortiter diuque inſiſtendum eſt, nec admittendi ad medicinae ſtudia, niſi qui, examine inſtituto, ſe ſatis in praeparantibus ſcientiarum generibus verſatos eſſe docuerunt. Admiſſis ad medicinae ſtudia iis, qui in liberalioribus ſcientiis parum aut non verſati ſunt, ipſa medicina ſummum detrimentum inde accipit. Latina patriaque lingua excepta, aliarum cognitio adeo neceſſaria quidem non eſt, praeſtat tamen vnam alteramue callere, angli-

cam,

cam, germanicam, gallicam, italicam, quas linguas omnes magiſtri peculiares academici docere debent. Opus etiam eſt artium magiſtris, quibus corpus exercetur, firmatur, mens exhilaratur. Horum magiſtrorum inſtructiſſimorum copia, et quod vtilia iucundis tam arcto pulchroque vinculo coniuncta ſint, Gottingenſi academiae primarium locum dedit, profeſſores omnium ſcientiarum doctiſſimos habenti.

p. 14. Studiis nullo modo vis facienda eſt, nec bene excogitata edicta principum ſunt, quibus, vt in patria tantum vniuerſitate literis ſtudioſi incumbant, praecipitur, modo perfecte eodem, quo vetitis interdicto peregrinis mercibus, indigenae tantum praecipiuntur. Lege potius ſtatuendum eſt, vt nemini in patria vrbe medicinae ſtudere liceat. Studiorum enim commoditas parcique, quos hoc in caſu requirunt, ſumtus facile efficiunt, vt plures medicinam tractent, qui agro colendo magis idonei fuiſſent, aegrique in infinita doctorum medicorum copia ne vnum fere quidem probe doctum medicum inueniant. Opus eſt verbo, vt pretioſa ſtudia omnia ſint, ne in commune vituperium incidant.

Scientiae autem in vniuerſitatibus literariis docendae ſunt medicae, anatomia, botanica, chemia, phyſiologia, hygiene, pathologia, therapia generalis, materia medica, medicinae hiſtoria, ciuilis et iudicialis medicina, chirurgia in vniuerſo ſuo ambitu et denique practica medicina. His omnibus medicinae partibus pauci profeſſores ſufficiunt, dummodo BOERHAAVII et HALLERI (ſed admodum raro) exemplo in laboribus ſuis aſſidui ſunt.

Omnibus medicinae diſciplinis ſeptem profeſſores omni modo ſufficiunt. Primus anatomen, alter chemiam, tertius botanicam, quartus phyſiologiam et pathologiam, quintus therapiam generalem

neralem et materiam medicam, partes arctiſſimo coniugio inter ſe iunctas, ſextus chirurgiam medicinalem, manualem, operationes chirurgicas, artem obſtetriciam, ſeptimus denique praxin medicam docere et noſocomio clinico praeeſſe debet. Criminalis aut iudicialis medicina anatomes, medicinae hiſtoria chemiae, hygiene et medicina ciuilis botanices profeſſori demandari poteſt. Doctrinam de venenis materiae medicae aut praxeos profeſſor tradit. Variae etiam in his omnibus ſcientiis exponendis mutationes locum habere poſſunt, pro profeſſorum, academiae ratione, caet. ſed anatomiae, botanices, chemiae, phyſiologiae, chirurgicarum operationum et practicae medicinae ſcientiae profeſſoribus demandandae ſunt, qui iis peculiarem operam dedere.

Methodus docendi perfecte libera eſſe debet, nulliſque legibus ſubiecta. Vniuerſa anatomica ſcientia quouis anno docenda eſt. Neceſſarium inſuper eſt, vt tyrones in arte cadauera incidendi inſtituantur, vt artem iniiciendi vaſa, macerandi cadauera, anatomen adeo comparatiuam ediſcant.

Inſtituti perfecte in anatomica ſcientia, phyſiologicas vtiliter adeunt. Nec phyſiologiae, nec alius vllius ſcientiae inſtitutiones a profeſſore dictandae ſunt. Summam dictorum auditores facile mente concipiunt, aut lectione durante, aut finita ea, in aduerſariis notant. Excipi tamen hiſtoria medicinae debet, in qua nomina, data euentusque principes in calamum dictanda ſunt. Tempus ſane, quod dictando ſcribendoque inſumitur, vtplurimum turpi modo perditur. Praeſtat auditoribus potius, finitis de materia quadam lectionibus, capita, quibus eadem tractata ſunt, ex HALLERI, CALDANI, ALBINI, MARHERR, SPALANZANI operibus, vt dicta a profeſſore repetant, ad priuatos vſus commendare.

dare — Pertractandae diligenter in phyſiologiae praelectionibus mutationes eſſentiales ſunt, quae diuerſis temporibus in hominum et animalium natura eueniunt, quae non ſolum partem phyſiologiae pulcherrimam conſtituunt, ſed ipſi etiam hominum et animalium mechaniſmo plurimum lucis adfundunt.

Difficile quidem eſt profeſſori, qui muneri ſibi demandato rite praeeſſe cupit, haec omnia in aduerſaria praelectionibus inſeruientia redigere, digerere, ſed hoc profeſſoris officium princeps eſt, compoſitisque rite aduerſariis ea quotannis addenda corrigendaue ſunt, quae aut recenter inuenta detectaue, aut erronea reperta ſunt. Compendia praelectionum praeſcribenda non ſunt, libera enim medicinae omni modo ſcientia eſt, nec profitentes eam magiſtrorum verba ſententiasue vllo modo ſequi debent. In ipſis praelectionibus inſtitutionum felici ſucceſſui ſumme obeſt, ſi profeſſores in vnamquamque paragraphum inſtitutionum prolixe commentantur; praeſtat enim veritates medicas vere et naturali ſuo modo connexas proponere, quam diſcerptas varie dilaceratasque, ad compendii normam, tradere.

p. 41. Summe neceſſaria medico chemiae cognitio eſt, vt diligenter in ea tyrones inſtruendi ſint. Laudantur compendia Chemiae MACQUERI, DE FOURCROY, Viror. Clar. ſed nos in Germania meliora, praeſtantiora, ſcopoque, cui inſeruire debent, magis accommodata habemus. Opus inſuper demonſtratore chemico eſt, pharmacopoeo proceſſuum chemicorum gnaro, alioue, qui experimenta inſtituendo, ſub profeſſoris auſpiciis, in inſtituendis ſtudioſis profeſſori auxilio ſuo adſtat. (Pharmaceuticae chemiae, quae tamen medico practico vtilitatem ſummam adfert, in plurimis Germaniae vniuerſitatibus

tibus literariis medicis a profeſſoribus ſingulari opera ab longo iam tempore pertractatae, ne mentionem fere quidem Ill. Auctor facit.)

Botanices profeſſor plantarum, quibus vſus quidam eſt, cognitionem inprimis tradere debet, ſimulque ſcientiae, quam profitetur, principia, anatomen plantarum, doctrinam de vegetatione, ſimilitudine, quae inter plantas et animalia intercedit, de aëris, loci natalis, agriculturae in plantas influxu, caet. Ipſi denique tyrones in methodi botanicae vſu inſtituendi, exercendi ſunt. Exponendum etiam eſt, quam vtilitatem plantae, de quibus ſermo eſt, in oeconomia, aliisue artibus habeant. Botanicae excurſiones inſtituendae, caet.

In pathologiae ſcientia auditoribus proponenda methodus optima haec eſt, vt, praegreſſa phyſiologica functionum corporis humani expoſitione, praeternaturalis earum ſtatus, in quem vllo modo incidere poſſunt, exponatur. His expoſitis, generaliora, difficilia vtplurimum auditoribus, ſubnectenda ſunt. Si haec methodus obſeruatur, pathologiae docendae ſparta phyſiologiae profeſſori optime demandatur, qui in quocunque phyſiologiae capite morbos, quibus pars pertractata adficitur, facile pertractabit.

Hygienes compendia optima Angli conſcripſerunt, ipſaque haec ſcientia non copioſe ſatis in vniuerſitatibus literariis proponitur. Multa adhuc in vniuerſa hac ſcientia deſiderantur, experimentis, obſeruationibus diſcenda, eruenda, ita vt in omnibus medicinae ſcientiis hygiene ea ſit, in qua pertractanda antiqui plurimo cum ſucceſſu occupati ſunt, cui vero recentiores tam parum addiderunt, vt noſtris adhuc temporibus GALENI de ſanitate tuenda opus praeſtantiſſimis optimisque de hac medicinae parte conſcriptis adnumerandum ſit. — Diligenter

genter hygienes profeſſor etiam eo reſpicere debet, vt terrarum et regionum influxum in animi vires, mores et conſuetudines probe pertractet.

p. 53. *Ciuilis medicina* regularum hygienes ad circumſtantias plures particulares applicatio eſt, publica hygiene, quae in valetudine ciuium conſeruanda et cauſſis, quae ei obſunt, remouendis, inprimis verſatur. Medicinae ciuilis profeſſor regulas etiam tradere debet catalogos mortuorum in quauis vrbe concinnandi, vt inde viuorum numerus, morbi, quibus frequentiſſime necantur, caet. eruantur, nec non medici clinici officia moralia phyſicaque.

Legalis medicina poſt FORTUNATI FIDELIS et PAULI ZACCHIAE tempora in Germania tantum culta ex profeſſo eſt, nec in Anglorum, Gallorum, Italorumue Academiis publice hactenus propoſita, taxanda vtique vehementer incuria, quum ſummam in re publica vtilitatem habeat.

Therapiae generalis et medicae materiae connexio tam arcta eſt, vt has ſcientias ſeparatim tradere tyronum vtilitati maxime obeſſet. Praeſtat maxime has ſcientias coniunctiue pertractare, ita, vt, remediorum claſſe quoad indicationes effectusque pertractata, remedia particularia ad hanc claſſem pertinentia pertractentur. Expoſitis v. g. iis, quae ad doctrinam de emeticis generatim ſpectant, omnia, quae vomitum concitant, medicamenta ſpeciatim pertractanda ſunt. (Deſeruere germani medici antiquam hanc tritam vtilemque omni modo viam, non tam vtilitati tyronum conſulentes, quam inconſtantiae ſuae ingenioque in nouis ordinibus, quum veteres ex omni parte ſufficiunt, condendis admodum ſedulo et perſpicaci indulgentes. Pertractarunt materiam medicam ſecundum varia naturae regna, nulla ratione virium medicatarum corporum naturalium ſibi cognatorum habita.

bita. Pertractarunt alii plantas ſecundum LINNEI, alii ſecundum naturalem, quem ipſi ſibi finxerunt, ordinem, adeo, vt lepido quodam modo et ridendo penitus nouus hodie quiuis de materia medica, vegetabili inprimis, liber nouo etiam ordine rerum tractatarum fulgeat. Praeſtitiſſet, ſi medici Germanorum, ſeruato antiquo ordine, in vi medicamentorum magis exploranda determinandaque inſudaſſent, nec, dum medicinalis materiae libros conſcripſiſſent, farraginem rerum inconditarum experientia fallaci, fide nulla, confirmatarum compilaſſent, ſine omni ingenio congeſſiſſent.)

In therapia generali exponenda liber GREGORY, V. quondam Cl. maximi vſus eſt. Firmandum tyronum in hac ſcientia ſumme neceſſaria ingenium admodum eſt, ne tandem, coram aegrorum lectis, in remediis eligendis, determinandis, applicandis dubii hallucinentur. p. 60.

Omnes diſciplinae, de quibus hactenus loquuti ſumus, latina lingua exponi, vernacula vero lingua chirurgiae inſtitutiones et operationes proponi debent, niſi chirurgorum ſchola peculiaris ſit. Summa cura chirurgiae inſtitutiones pertractandae ſunt. In operationibus optimae ſemper eligendae rationesque adferendae ſunt, quibus ducti pro praeſtantiſſima eam chirurgi habeant. In ipſis operationibus etiam tyrones exercendi ſunt.

Medicinae hiſtoria in Germanorum academiis tantum proponitur, (non tamen in omnibus, ſed Lipſienſi, Göttingenſi, Ienenſi, Erlangenſi tantum. Halae olim quotannis publice propoſita eſt, nunc vero neglecta.) nec comprehendi facile poteſt, quam ob cauſſam haec medicinae pars tam turpiter fuerit neglecta. Praeter inſignem enim, quam adfert, vtilitatem, turpe eſt erudito diſciplinae, quam diſcit, hiſtoriam ignoraſſe. Non tamen medicinae

hiſtoria a profeſſore tali modo pertractanda eſt, quo DANIEL LE CLERC eam conſcripſit, ſed diligenter potius medicinae incrementa, recenter in ea detecta notanda ſunt, epochae exactae ſtatuendae, medicorumque principum vitae, ingenium, opera enarranda. Simul hiſtoria vniuerſitatum literariarum, academiarum, caet. non negligenda eſt. Obeſt medicinae incremento, ſi in lacinias reſciſſa medicinae hiſtoria cuilibet ſcientiae peculiari medicae praemittitur. Praeſtat ſummopere eam totam integramque curſu ſingulari pertractari.

p. 75. Plurimam etiam doctrina de praeſagiis vitae mortisque generalis attentionem meretur, quae tamen magis ad practicae medicinae praelectiones referenda eſt.

Summa autem medicinae pars, cui omnes aliae inſeruiunt, qua Noſter per totam ſuam vitam continuo occupatus eſt, quam ipſe in academia Patauina docendo et noſocomium clinicum dirigendo perſequutus eſt, practica medicina eſt. Enarrat Noſter inprimis ea, quae ipſe in practica medicina docenda in vniuerſitate Patauina praeſtitit, viasque, quas ſequutus eſt, fide enumerat.

Tractationi de morborum medela introductionem in praxin clinicam praemiſit, tractationem de vita et morte in aegrotantibus praeſagienda generalem, de acutarum vitae regimine, ad quam tractationem inprimis BOERHAAVII prolegomenis, ſeu introductione ad praxin clinicam, vſus eſt. Ad doctrinam de praeſagiis formandis vſus eſt diſputatione VATERI maxime, quae etiam, ſub ſuis auſpiciis, Patauii auctior a ſe reddita recuſſa eſt. Quatuor aut quinque lectionibus tractatio de prognoſi in morbis, duabus autem tractatio de acutarum diaeta comprehenſa eſt. Materiam ſuam autem hoc modo pertractauit, vt

1) fibra-

1) fibrarum morbos,

2) inflammationem cum omnibus ſuis ſequelis, cancrum vberius, quam hactenus factum eſt, ſcirrhum et obſtructiones generatim, quarum notio noſocomium adeuntibus ſtatim neceſſaria eſt,

3) febrem in genere et omnes particulares febres exponeret. Febres omnes ad tres claſſes, inflammatoriarum, putridarum, intermittentium, reduxit. Probauit, tantam febrium multitudinem, quam exſtare medici credidere, non exſiſtere, plurimas, differenti ſub nomine, vnas easdemque eſſe. — Pertractata febre inflammatoria, coctionem, criſes, metaſtaſes, recidiuas, conualeſcentiam et mortis origines pertractauit.

4) Morbos neruorum poſtea pertractauit, ſed mobilitatem neruorum tantum, apoplexiam, ſoporoſos morbos, paralyſin, ſpaſmos, conuulſiones, rabiem caninam.

5) Morbos, quibus viſcera corporis humani tentantur, capitis morbos, plethoram, haemorrhagias in genere, catarrhos, oculorum et aurium morbos, anginam in latiſſimo ſenſu ſumtam. In pectoris morbis phthiſin, in abdominis vero adfectionibus ventriculi dolorem pertractauit, temporis anguſtia nimis preſſus.

6) Cacochymiam, morbos venereos, cutaneos, ſcrophulas, oſſium morbos, rheumatiſmum, arthritidem.

7) Epidemicos morbos generatim, variolas, morbillos, ſcarlatinam febrem.

8) Infantum, ſenum, vitae conditionum variarum, terris quibusdam endemios, feminarum morbos.

In calamum nihil dictauit. Lectionibus ſuis materiam dicendam tali modo pertractauit, vt omnia diligenter traderet, quae ad morbum cognoſcen-

 dum,

dum, ad cauſſas diſtinguendas, ad praeſagium rite formandum et ad curationem ſpeciebus diuerſis morborum probe accommodatam faciunt.

Quum plures medici parum legant, omnia ſcitu neceſſaria in lectionibus ſuis pertractauit, ordinem in tractatione non ſemper vnum eundemque ſequutus. Definitione exhibita, morbum primum generatim, deinde ſpeciatim, etiam quoad varietates maxime frequenter incidentes deſcripſit, ſpecies, quae variam medendi methodum requirunt, diligenter determinauit, cauſſas enarrauit, ex iisque indicationes deriuauit, ſequutus vtique obſeruationes et opiniones optimorum quorumcunque medicorum, quorum tamen errores detexit, explicuit, confutauit. — Cuique capiti obſeruationes particulares adnexit, aut ſuas, aut aliorum. Diligenter ſimul notata ſunt cadauerum extiſpicia, ea inprimis, quae morbi cauſſam illuſtrarent.

Haec methodus, quam ad pag. vsque 91 vberrime Noſter, docteque explicat, ex mente illius firma omni modo eſt, iisque omnibus, qui ad medicinam diſcendam apti ſunt, copioſiſſimam eius opportunitatem ſuppeditat. Sed longa eſt, et lectionum praeſtitarum copiam ſi cum iis Noſter conferat, quae non praeſtitit ob reditum in patriam, quadringentae lectiones vnius horae ad eam perfecte requiruntur. Hinc temporis ſpatium, quo practica medicina diſcenda in academiis eſt, ad duos annos producitur.

p. 92. Ordo ſtudiorum is eſſe debet, vt primo anno anatomiae, botanicae, chemiae, altero pathologiae et therapiae generali, tertio hiſtoriae medicinae, hygienae, medicinae ciuili et iudiciali, et practicae demum, aegrotorum in noſocomio viſitatione non neglecta, opera detur. Quarti anni occupatio

patio tota in practica medicina diſcenda et in aegrorum in noſocomio cura gerenda poſita eſt.

Praelectiones academicae vtilitatem ſtudioſis adferunt, quatenus audiuntur, intelliguntur, memoria retinentur. Ob naturalem iuuenibus ad voluptates varias propenſionem aberratio a vera ſtudiorum norma facilis eſt tempusque ſtudiorum turpiter perditur. Hinc examina neceſſario inſtituenda ſunt, et quidem admodum ſcrupuloſa rigoroſaque, in rebus medicis maxime, ne homines occidendi priuilegium ignaris detur. Admodum inſufficienter autem pluribus in locis inſtitui ſolent, abſolutis iam ſtudiis, vbi hi, qui deliquerunt, negligentia perdita tempora reparare non facile poſſunt. Inſcius rerum medicarum homo breui ante examen tempore aduerſaria relegit, aut lectiones cum amico repetit, definitiones, phraſes quasdam ediſcit, eoque modo ad examen praeparatus vanum examinis rigorem felici vtplurimum euentu ſuperat. Plurimis adeo teſtimonium examinis probe ſuperati ex *miſericordia* datur, ne iuuentutem perdiderint.

Quotannis itaque et cum rigore ſummo examina ſtudioſorum inſtituenda ſunt, hoc modo, vt profeſſorum quilibet per dimidiam horae partem articulos plures interrogando pertractet. Si tale examen non bene ſuccedit, perditus hic ſtudiorum annus eſt, eademque ſtudia per annum repetenda ſunt. Talis iactura facile aſſidua diligentia reparari poteſt. Si autem, anno praeterlapſo, idem ſtudioſus in iisdem ſcientiis examinatus male reſpondet, omne medicinae ſtudium illi denegatur, ipſeque ad alia vitae humanae negotia transmittitur. Quarto anno deciſiuum examen inſtituitur, de eo vero nulla fere dubitatio eſt, ſi priora tria rite ſucceſſerunt. Si ſumma vtilitas examinibus concilian-

 da

da eſt, publice, ad imitationem, aemulationem concitandam inſtituenda ſunt. Eorum ſucceſſum Geneuae tantum Noſter vidit, vt medicinae ſtudia in hac vrbe prae omnibus aliis feliciſſime tractari adſeueret. His, qui plurimam laudem meruerunt, praemia danda ſunt (Göttingenſium nupero maxime laudabili more.)

Multum etiam ad animos ad ſtudia incitandos ſtudioſorum doctae ſocietates conferunt, quibus autem profeſſores praeeſſe non debent. Talis ſocietas a quinquaginta inde annis Edinburgi floret, eique homines doctiſſimi plurimi, qui ex medica hac vniuerſitate exiere, maxime tribuendi ſunt.

p. 115. Vt autem tyro medicinae practicae omnem practicam medicinam perfecte ediſcat, opus eſt, vt praelectiones cum aegrotorum viſitatione coniungantur. Eum in finem practica noſocomia inſtituta ſunt. Primum Paduanum eſt; ineunte enim ſaeculo XVI. collegium germanicum Paduanum ſenatum Venetum rogauit, vt profeſſori medico cuidam munus medicinam in ipſo noſocomio docendi demandaret. Quum autem, num haec peracta penitus fuerint, incertum ſit, FRANCISCUS DE LE BOE SYLVIUS anno 1658 noſocomium clinicum in academia Lugduno-Bataua primum inſtituit, in quo tyrones ſymptomata obſeruare, cauſas perueſtigare, remedia adhibere, cadauera incidere docuit, obſeruationes etiam in hoc noſocomio factas publici iuris fecit. Patauinum noſocomium cum reſtaurata academia renouatum, ſtudioſisque aegrotorum cura ſub profeſſoris auſpiciis penitus commiſſa eſt. Quilibet aeger a ſtudioſo ſpeciatim curatur, cui alter adſiſtit. Alii ad aegri examen quidem admittuntur, ſed vt audiant, non vt examinent; crudele enim eſt aegros quaeſtionum multitudine nimia torquere. Hinc nemini noſocomium,

niſi

niſi ſueto viſitationis tempore, adire licet. Modi, quibus aegri, adſtante profeſſore, examinantur, morbo nomen imponitur, medendi via ſtatuitur, praecipitur, doctiſſime enarrantur. Aegri ſemel per diem viſitari ſolent, vrgente caſu aliquoties, praeſente etiam profeſſore. — Recipiuntur tantum in noſocomium acutis morbis laborantes. — Si moritur aeger, is, qui curam eius geſſit, cadauer vtplurimum incidit. Idem negotium etiam a chirurgis noſocomii clinici peragitur, ſed praeeunte et ſectionem moderante ſtudioſo, qui aegri curam geſſerat. — Diarium exactum de morbi initiis, progreſſu, decurſu, caet. diligenter curam aegri gerentes conſcribere actaque notare debent. —

De noſocomio praxeos clinicae conſtruendo. Quum, p. 135. reſtaurata academia, noſocomium etiam renouaretur et nouiter inſtauraretur, non omnia, ſed quaedam tantum mutari poterant. — Neceſſaria in omnibus noſocomiis conclauia in vſum conualeſcentium ſunt; tarde enim in omnibus noſocomiis aegri conualeſcunt, quod peculiari domicilio conualeſcentibus dato efficaciſſime praecauetur. Tale etiam conclaue in feminarum vſum neceſſarium eſt, et quidem magis ſpatioſum, ob maiorem feminarum, quam virorum, aegrotantium numerum. Neceſſarius etiam hortus eſt, in quo aegri et conualeſcentes, aut eundo, aut variis laboribus viribus ſuis accommodatis, corpus exercere poſſint.

Vt autem talis clinica ſchola vtilitatem plurimam tyronibus adferat, opus eſt, vt annorum duorum academicorum ſpatio, quo noſocomium adeunt, ſatis magnam aegrorum copiam videant, vt iuſtam de plurimis ſaltem morbis ideam acquirant. Hinc aegrorum numerus continuo a XXIV ad XXX eſſe, vltimum vero numerum non excedere debet, ne ſtudioſi, nimia obiectorum copia,

Ee 4 animo

animo perturbentur. Particularia conclauia plura vnico lecto inſtructa neceſſaria in noſocomio ſunt, in quibus hi aegri decumbant, qui aut ſingularem in medendo attentionem requirunt, aut alios aegros, ob morbum ſuum, perturbant. Opus etiam eſt loco ſingulari ad cadauerum inciſiones, aut potius amphitheatro anatomico in clinicae ſcholae vſum, nec non alio conclaui ab aegris omnibus vacuo, in quo aegrorum curam gerentes colloqui ſecum, profeſſor morbum quendam ſtudioſis enodare, medendi methodum ſtatuere, errores corrigere poſſit. Idem conclaue et aegris ex vrbe et vicinis regionibus aduentitiis, qui in noſocomio non decumbunt, a noſocomii medicis vero curantur, examinandis, medicinis iis praeſcribendis, caet. inſeruire poſſet. In eodem locus forte et machinae electricae eſſet.

Spatioſa conclauia aegrorum eſſe debent. Quo viri decumbunt, ſuperficiem 1352, altitudinem 18 pedum habet, aërisque pedes cubicos 24336 continet. Feminarum generale conclaue ambitum 96 pedibus minorem habet. Sed feminae munditiei magis ſtudent. — In obſeruationibus in noſocomio factis conſcribendis et in publicos vſus edendis methodus ANTONII DE HAEN, qui plurimas obſeruationes ſimul collegit variasque lites parum vtiles operi ſuo immiſcuit, BOERHAAVIANAE poſtponenda eſt, qui ad ea tantum, quae in aegris ſuis euenere, reſpexit.

p. 152. *De chirurgis, qui in aegris medicinam exercere debent, inſtituendis.* Patria lingua chirurgi in anatomes et chirurgiae diſciplinis inſtituendi ſunt. Quum autem morbos internos curare, medicinas praeparare, exhibere et externas morborum chirurgicorum curationes ſuſcipere debeant, opus eſt, vt effectus regiminis, morbos in terris, in quibus degunt,

gunt, acutos frequentes, medicinas, quibus violentae morborum accidentiae leuantur, exacte cognoſcant, quaenam in chronicis morbis vitanda ſint ſciant, denique de omnibus exacte referre poſſint.

Erunt quidem acuti etiam morbi ingenium eorum ſuperantes, ſed non nocebunt, dum naturae non repugnant. Spectatores quidem morborum chronicorum erunt, verum hi morbi non adeo frequentes euadent, tractatis melius acutis morbis, ex quibus chronici ſaepe naſcuntur.

Chirurgiam quod attinet, omnium, quae frequenter occurrunt, exactam cognitionem habere debent. Grauiores morbos cognoſcent, alios magis expertos doctosque in conſilium, auxilium vocabunt.

Vt autem in multifariis his ſtudiorum generibus rite imbuantur, inſtitutione opus eſt. Latina lingua neceſſaria iis non eſt. Sufficit, ſi bene legere, ſcite ſcribere poſſint, in religionis principiis rite imbuti ſint, bonum ingenium, bonos mores et bonam corporis valetudinem habeant.

Phyſicae principia ſimplicia ingenio ſuo accommodata primum ediſcere debent, nec non generalia agriculturae principia et chemiae. (chemiae pharmaceuticae, iis inprimis neceſſariae?) Imbuendi ſunt in vſualium plantarum neceſſaria cognitione, nec non venenorum. Materia medica ſimplicium et virtutum medicinarum cognitionem iis ſuppeditat. In anatomicis demonſtrationibus ad vtilia potius, quam ad ſubtilia, neruorum, vaſorum ſubtilem decurſum reſpiciendum eſt. Chirurgicae operationes coram iis in cadaueribus, ſi poſſibile eſt, etiam in viuis inſtituendae ſunt.

Phyſiologiae et pathologiae neceſſaria cognitio anatomicas demonſtrationes excipere, cum eaque

hygienes aliquid coniunctum eſſe debet. Summa tandem eſt ad ſummam ſimplicitatem redacta morborum acutorum et diuturnorum maxime frequentium pertractatio, quorum hiſtoria, diſtinctiua ſymptomata, caet. exacte tradenda ſunt. — In diuturnis morbis inprimis de ſcrophulis, morbo ruſticis admodum frequente, tractandum eſt, noſocomiumque in chirurgorum vſum inſtruendum, vt internorum et externorum morborum curationes ex vſu diſcant.

Huic inſtitutioni duo profeſſores, chirurgus et apothecarius noſocomii ſufficient. Ipſi autem chirurgi non in vniuerſitatibus literariis, ſed in quauis terra arti ſuae ſtudere debent. — Tandem de bibliotheca tali chirurgo maxime conueniente agitur librique praecipiuntur.

VIII.

Trattato delle acque minerali di NICOL. ANDRIA. Napoli. 1783. P. I. p. 208. P. II. p. 329. 8.

i. e.

Tractatus de aquis mineralibus, Auctore NIC. ANDRIA, editio altera reuiſa et aucta. P. I. quae de aquis mineralibus in genere agit. P. II. quae aquas minerales regni Neapolitani recenſet.

Dignus certe eſt iſte liber, cuius hic mentionem iniiciamus; quamuis enim non pauca contineat, et nota iamdudum, et melius dicta, certiusque definita ab aliis, alia tamen continet egregia.
P. I. Primo capite examinat Cl. Auctor cauſſas in
p. 1. terrae viſceribus latentes, quae aquam mineralem reddunt;

reddunt; diſtinguit inter partes minerales vere ſolutas in hiſce aquis, et inter partes ſolummodo ſuſpenſas; inter illas primo refert ſalia; perſuaſum eſt Ipſi, acida ſimpliciſſima non conſtare, niſi ex terra et aqua; aſt, quod ipſe allegat, calcis viuae exemplum contrarium probat, quae videlicet non niſi ignis principio accedente ſalis indolem induit: haec igitur ſalia, vbicunque in ſinu terrae decurrens deprehendit aqua, ſoluta ſecum abripit; ex metallis ſolum ferrum mixtionem aquarum mineralium ingredi poſſe (quidni etiam cuprum aut plumbum, quae certe ab aqua aëre fixo impraegnata perinde ſoluuntur, ſi quidem talis aqua in ſuo decurſu alterutri horum metallorum occurrat? vtique ex iis noxia fieret aqua, ſed mineralis nomine ſemper adhuc digna.) Tabula, qua aliorum atque aliorum ſalium in aqua ſolubilitas definitur, omnino ſatis imperfecta, quum gradus caloris, quo experimenta illa ad hanc determinandam inſtituta ſunt, non ſit additus. Nitrum aquis mineralibus ineſſe negat Cl. Auctor eo, quod non in viſceribus, ſed in ſuperficie telluris occurrat; ſcaturiunt tamen aquae minerales plurimae in ſuperficie, licet prima origo profundius lateat, et nitrum a natura ipſa interdum gigni, quale ad vſus humanos adhibetur, exemplum nuper a Clar. FORTIS in regno Neapolitano ipſo detectum ſatis ſuperque euincit. Materiae in aquis mineralibus ſolummodo ſuſpenſae, quieſcente aqua, ſponte ſua ſubſidunt; qualia, ex regno praeſertim Neapolitano petita exempla plura hic leguntur; recte tamen monet Clar. Auctor, in plurimis aquis huc relatis ſubtiliſſimi principii interuentu ſolutas eſſe haſce materias. Phlogiſton non eſſe, niſi materiam ignis, quaſi vinctam, et exercitio facultatis ſuae calefacientis, rarefacientis etc. priuatam; id autem proficiſci a defectu aggrega-

gregationis; motu vario vinculis ſuis liberari phlogiſton, eiusque particulas aggregari, ſic naſci calorem, lucem etc. Aqua ad efferueſcentias ſub terra, adeoque ad calorem aquarum generandum opus eſſe. Ad principia aquarum mineralium refertur tandem aër mephiticus, quem aërem fixum alii appellant; aëris nomine digniſſimum eſſe, recte monet Cl. Auctor, et hiſtoriam eius, praeſentiam in aquis mineralibus, virtutes, quas iis tribuit, amplius explicat: Alcali (nullatenus, niſi aëre fixo foetum) aquae inhaerens iam ſufficere, vt aqua haec aquam calcis turbidam reddat. Acidum ingredi mixtionem aëris fixi, perſuaſum eſt Cl. Auctori, totum quantum eſſe acidae indolis, non credibile. Quando ſulphur eiusdem aëris adminiculo aquis ſolutum nonnunquam occurrere docet, manifeſte aërem fixum cum hepatico confundit. Vndenam oriatur magna illa aëris aquis innidulantis copia, porro ſollicite inquirit: Copia aquarum calidarum in vicinia montium igniuomorum, maior etiam partium in aquis frigidis earum regionum haerentium varietas, quae alias, niſi aër fixus intercedat, ad alcali minerale, ſal Glauberi, et ſal gemmae redeant.

p. 64. Secundum caput ſyſtema aquarum mineralium exponit, quod, quantum cum natura ipſa conueniat, aut ab ipſa recedat, lectores noſtri ex ſequente ſchemate iudicabunt, quod Clar. Auctor in tabulam quoque adornauit. *A.* Aquae minerales frigidae; a) ſpirituoſae i. e. aëre fixo foetae; 1) ſimplices; 2) vitriolicae, i. e. ferro grauidae; *α*) ſalutares; *β*) venenoſae; manifeſte hic confundit Cl. Auctor aquam ipſam cum aura ex plurimis iſtarum aquarum aſſurgente, et in nonnullis cryptas ſubterraneas vicinas opplente; 3) alcalinae; *α*) volatiles vrinoſae, perquam dubitamus, an talis reuera detur,

detur, certe nec *Faulbrunn* Francofurtenſium, neque aquae Lauchſtadienſes huc ſpectant; β) volatiles ſimplices; differre nobis quidem altera ab altera non videtur. 4) inflammabiles; eo nomine indigitat Clar. Auctor aquas aërem inflammabilem eructantes. b) ſalinae: 1) vitriolica; α) cupri, β) ferri, γ) zinci: 2) aluminoſae: 3) muriaticae; α) aqua marina; β) aqua ſalſa fontium: 4) alcalinae: 5) ſale Glauberi foetae: 6) ſalem ammoniacum continentes. Deficit inter has aqua ſale ſedatiuo Hombergii foeta, qualis in montis rotundi lacu Hetruriae reperitur. c) phlogiſticae: 1) bituminoſae; α) petroleo; β) aſphalto grauidae: 2) ſulphureae; α) ſimplices; β) alcalinae. d) acidulae: 1) martiales: 2) aluminoſae: 3) muriaticae; α) alcalinae; β) mediae indolis; γ) martiales: 4) alcalinae; α) ſeleniticae; β) ſulphureae; γ) martiales: 5) neutrales: 6) ammoniacales: 7) bituminoſae: 8) ſulphureae: 9) calcareae. *B.* Aquae calidae: a) tenues: 1) ſimplices: 2) ſpirituoſae: b) craſſae ſalinae: 1) acidae: 2) vitriolicae: 3) aluminoſae: 4) muriaticae: 5) alcalinae: α) ſimplices; β) phlogiſticae; γ) muriaticae: 6) ſale Glauberi foetae: 7) ſale ammoniaco grauidae: c) craſſae phlogiſticae: 1) bituminoſae: 2) ſulphureae: d) acidulae: 1) acidae: 2) vitriolicae: 3) aluminoſae: 4) muriaticae: 5) alcalinae: 6) mediae indolis: 7) ſale ammoniaco grauidae: 8) bituminoſae: 9) ſulphureae.

Tertio capite Cl. Auctor modum tradit aquas mi- p. 132. nerales examinandi. Ad fontem explorandas eſſe, alio atque alio diei, anni tempore, coelo ſereno, nubilo et pluuio, primo viſu, olfactu, guſtu: Cautelae in transmittendis aquis illis ſiue ſcrutinio chemico, ſiue vſui ſalutari deſtinatis ſummopere neceſſariae: Cuiuis terrae datam eſſe ab alma matre natura ſuam aquam ſalutarem. Atramenti ſcri-

ptorii

ptorii originem a nemine adhuc explicatam eſſe; eſſe tamen nihil aliud, niſi ferrum metallica facie per auſterum gallarum principium praecipitatum, quae ſane explicatio noui nihil habet. Mutato in telluris ſinu curſu, fontem noua poſſe imbibere principia, quae habuit olim, amittere, hinc ſaepius repetendum examen.

p. 177. Quartum caput verſatur circa vſum medicatum aquarum iſtarum mineralium: Rectiſſime potiorem efficacitatis partem ab aqua ipſa deducit Cl. Auctor (frigoris etiam et caloris ratio habenda eſt.) Aquas tenuem ferri ochram in ſe continentes reſerare (neutiquam, certiſſime non ochrae vi, niſi a relaxatione pendeat obſtructio.) Sic Clar. Auctor porro reliqua aquarum mineralium principia percurrit, et ex iis virtutes earum explicare tentat.

P. II.
p. I. Prima ſectio alterius partis conſiderationes generales, hiſtoriam naturalem inſulae Iſchiae ſpectantes offert. Omnem, qua nunc cernitur, faciem, ignis ſubterranei violentiae ſaepius repullulanti debere, FERBERI aliorumque tum veterum, tum recentiorum naturae ſcrutatorum fide conſtat; huic funeſtae ceterum violentiae ſuas etiam debet tam aquas calidas, quam frequentia balnea natiua ſicca ſiue vaporaria. Nunquam cum terra continente cohaeſiſſe Iſchiam et Pronitam, ſed repetito ſaepius ignis violentiſſimi impulſu protruſas ex mari ſurrexiſſe. Fundamentum reliquis ſtruxiſſe videtur mons Epopeus, S. Nicolai hodienum dictus; qui eum circumſtant, minores conici montes, ſinguli fere nouo ignis impetu emerſiſſe videntur; multo magis ideo etiam immutata et detrita eſt illius montis externa ſuperficies, quam omnium reliquorum; violentiſſime graſſatus eſſe videtur ignis in oris meridiem et orientem ſpectantibus;

rupes

rupes ignis vi exſtructae, quae africano mari alluuntur, ab eius vndis vehementer raduntur; aliquot memoratu magis digna recentiora incendia, quorum mentionem iniiciunt annales, cum eorum effectu hic recenſentur, quorum bina penultima tertio a Roma condita ſeculo, alterum vix 30 annorum ſpatio elapſo poſt alterum, eueniſſe ex hiſtoriae eius temporis ſcriptoribus oſtendere conatur Cl. Auctor. Quae bina haec incendia, ante haec 23 ſecula inſulam deuaſtantia, produxere, recentius adhuc a Veſuuio eructatis materiis ſimillima ſunt, vt, ſi tam diu aëris iniuriis reſiſtere videas, non poſſis non eorum montium, eadem vi natorum, quorum ſuperficies nunc fatiſcere incipit, adeoque totius inſulae aetatem tibi fingere quam remotiſſimam; difficillimum certe de numero et aetate incendiorum ex iis, quae reliquere, iudicium; priora poſterioribus ſemper eſſe violentiora, quibus ea pabuli copia non ſuppetat: vetuſtiorum cineres nouis ſemper inſequentium ruinis obtectos diutius ab aëris vi manere intemeratos. Incendium montis corui mox praeceſſiſſe flammas, in Rotara et Caccavella erumpentes. Retro hoc de reliquis inſulae vetuſtioribus incendiis definiri certi nihil poteſt.

Materiam, ex qua inſula fabrefacta eſt, in tres diuidit claſſes Cl. Auctor, in lauas proprie ſic dictas, ex qua mons S. Nicolai, promontorium Imperatoris, il Pedale, aliquae adhuc partes littoris meridionalis, et maior pars orientalis conflata ſunt, in tophum, vt audit, vulcanium, et in pumices, arenam vulcanicam, aliosque eiusmodi lapides ſegregatos, quales potiſſimum occurrunt in Rotaro. Haec producta, quibus, quemadmodum aliorum montium igniuomorum productis, immenſa varietate interſperſa ſunt ſchoerlum et mica, immixta

etiam

etiam hinc inde teſtacea, vbique ferrum, vlterius nunc deſcribit Cl. Auctor. Aurum verum non produci, neque vnquam productum a natura fuiſſe in hac inſula. Aluminis fodinarum ne veſtigium quidem ſupereſſe amplius; fuerunt eae in aridiſſima inſulae parte, ex qua nulli ſcaturiunt fontes; hos igitur alumine foetos eſſe, ex hac ſola iam cauſſa improbabile eſt. Argillae ſpecies calcarea, olim iam celebrata, multa adhuc et cruda exportatur, et in vaſa terrea omnis generis effingitur. Sulphur et ſal ammoniacum nullum; aſt multum alcali mineralis in inſula effloreſcit; alcali phlogiſticatum natiuum in aquis Olmitello, quae tamen et argentum caeruleo colore ex acido praecipitant, vt itaque ferrum ſimul continere probabile ſit. Ceterum fontes littori propinquiores ſal culinare, qui media potius in inſula ſurgunt, alcali minerale continent, praeter haec vtrique alia quoque ſalia; plurimi occurrunt in parte orientali.

p. 104. Altera ſectio balnea ſicca eius inſulae, eorumque vſum ſalutarem deſcribit: Cryptas has ſubterraneas non eſſe repletas, niſi inſonte vapore aquarum illarum calidarum, non aëre fixo, nec ſulphureo, neque hepatico, diuerſiſſimas igitur a balneis ſudatoriis S. Germani, egregie demonſtrat Cl. Auctor. Aër, qui in fundo cryptarum haeret, niſi melior, certe aequalis eſt bonitate atmoſphaerico. Commemorantur hic balnea ſicca S. Laurentii, Caſtiglione, Cacciotti, Cittara, et Teſtaccio, et alterum cum altero comparatur. Balneum in territorio Caſtiglione ſitum quatuor gradibus, ad thermometrum Reaumurianum menſuratis, calidius eſt illo, quod a S. Laurentio denominant incolae, ſcilicet 45°, magis etiam ſcatet vapore aqueo; balneum a Teſtaccio nuncupatum poſteriori penitus caret. Perſequitur nunc Clar. Auctor vſum medicatum

horum

horum balneorum, egregie a calore et aquea indole horumce vaporum deductum, multa vulgi et medicorum vulgarium praeiudicia maſcule impugnat, et cautelas in vſu hoc balneorum neceſſarias inculcat.

Sectione III. tranſit Cl. Auctor ad aquas mine- p. 148. rales inſulae Iſchiae; delineat aquas calidas di Gurgitello, del Cappone, dell' Olmitello, et di Citara, et ex earum dotibus tum phyſicis, tum chemicis, vſum earum exponit. Priores aquae carent quidem ſulphure et ferro, ſed continent ſalem marinum $\frac{1}{1440}$, alcali minerale $\frac{1}{288}$, ſeleniten $\frac{1}{4800}$, argillam $\frac{1}{7200}$ et principium aëreum, et calent ad 50° thermometri *Reaumuriani*; quomodo ex his principiis praecipua virtus corroborans aquae tribui et reduci poſſit, nos ignorare, ingenue fatemur. Aqua del Cappone continet argillam ſubtilem calcaream $\frac{1}{2700}$, argillam aliam puram $\frac{1}{5400}$, ſal terreſtre muriaticum $\frac{1}{380}$, et alcali $\frac{1}{900}$; calet illa 30°. Ob defectum ſalis terreſtris (adeſt tamen ſal muriaticum terreſtre) hanc aquam roborantis virtutis eſſe expertem. Aqua dell' Olmitello paulisper flaueſcit, et argentum caeruleo colore ex acido ſuo praecipitat; ideo Cl. Auctor alcali phlogiſticatum ei inhaerere coniicit, et partem eius efficere circiter 318^{uam}; praeter hoc continet argillam $\frac{1}{5400}$; hanc aquam in nephritide calculoſa potiſſimum praedicat; calet 30° thermometri Reaumuriani. Eodem calore etiam gaudet aqua di Citara, quae multum ſalis marini et pauxillum alcalini praeter terram argillaceam fouet; olim contra ſterilitatem celebrata.

Sectione IV. progreditur Cl. Auctor ad aquas p. 233. di' Piſciarelli, in territorio Puteolano ſcaturientes, manifeſtas pariter vulcani exſtincti reliquias: praecipitatur ab illis argentum ex vitrioli acido forma

metallica, quod quidem a ferri vitriolo ſemper contingere obſeruaſſe ſe teſtatur Cl. Auctor: praeter hoc vitriolum liberum eius acidum, pauxillum aluminis, et ſeleniten continent; aquae tamen ſuperiores ab inferioribus aliquantum diſcrepant. Laudamus propoſitum Cl. Auctoris, non decantandam eſſe efficaciam medicamentorum et aquarum potiſſimum mineralium generaliter, et quemadmodum ipſi, ita et nobis perſuaſiſſimum eſt, nimias laudes verae bonitati multum detrahere; aquas tamen di Piſciarelli collaudat tanquam adſtringentes, roborantes, antiſepticas, abſtergentes, vna cum lacte exhibitas in vulneribus et vlceribus partium internarum.

p. 267. Sect. V. aquas frigidas di Riardo Noſter contemplatur, adiuncto ſub finem vſu earum medicato. Scatent aëre fixo; 600 earum librae calore agitatae non niſi vnam partium ſiccarum relinquunt libram, cuius 11 partes terra ſubtiliſſima abſorbens, reliquum alcali conſtituit.

p. 281. Caput VI. de aquis frigidis mediis di Caſtellammare di Stabia agit aëre hepatico turgidis, et inde vndequaque foetentibus; continent ſalem culinarem verum et terrenum.

p. 297. Caput VII. denique tractat aquas tum dulces, vti quidem vulgo audiunt, tum minerales, in vrbe Neapolitana ipſa ſcaturientes, praeter quas etiam ex ramo montium Apenninorum prope S. Agata de Goti et ex monte Somma aquae in vrbem conducuntur, altera di Carmignano praeter terram abſorbentem et pauxillum ſiliceae aliquid alcali mineralis ſecum vehens, altera melior della Polla plus terrae, minorem ſalis penum continens. Aqua S. Petri Martyris alcali habet; continet etiam aqua della Quaquiglia; purior praegreſſis duabus eſt aqua fontis Molo. Aqua ferrata aëre fixo ſcatet, et quod

quod nomen iam indigitat, eius ope ſolutum ferrum continet; praeterea alcali fixum, et terram craſſam. Aqua denique ſulphurea, ex eodem cum priore promontorio Pizzofalcone proveniens, vere hepatica eſt, non ſolum aëre hepatico turget.

IX.

A chemical analyſis of Wolfram and examination of a new metal, which enters into its compoſition by Don IOHN IOS. and Don FAUSTO DE LUYART, translated from the ſpaniſh by CHARL. CULLEN, Eſq. to which is prefixed a translation of M. SCHEELE'S Analyſis of the Tungſten or Leavy ſtone, with M. BERGMAN'S ſupplemental remarks. London. For G. Nicol. 1785. 8. P. 67.

i. e.

Analyſis chemica ſpumae lupi, et examen novi cuiusdam metalli, quod compoſitionem eius ingreditur, Auctoribus Dom. IO. IOS. et FAUSTO DE LUYART, ex hiſpanico ſermone translata a CAR. CULLEN, cui praemittitur translatio analyſis lapidis ponderoſi, a SCHEELIO peractae cum BERGMANNI adnotationibus.

Egregia haec commentatio omnem meretur chemicorum et mineralogorum, potiſſimum germanorum, attentionem, quippe quorum in patria praeſertim, et ſi Cornubiam exceperis, quantum quidem nouimus, ſolum occurrit hoc ab Hiſpanis noſtris detectum, a b. BERGMANO coniectura ingenioſa iam perſpectum nouum metalli genus.

Praetermittimus id, quod lectoribus noſtris ſatis ſuperque iam cognitum eſſe nobis perſuademus, SCHEELII nempe et BERGMANI de lapide ponderoſo eiusque, vt putant, acido, eximiam tractationem, huic libro praefixam, et properamus ad tradendum id, quod proprii et noui iſte continet.

p. 23. Sect. I. Qui ſpumam lupi liberaliori manu per terrarum orbem diffuſam eſſe, putarunt, certiſſime, quemadmodum ex ipſis eorum deſcriptionibus et multis, quae in rerum naturalium collectionibus aſſeruantur, ſpeciminibus patet, cum quibusdam nitentibus ferri mineris (addimus etiam pſeudogalenis) eam confuderunt. Propter pravos eius in fundendis ſtanni mineris effectus, quae ob nimium eius pondus lauando liberari difficillime ab
p. 24. ea poſſunt, a nonnullis lupus iouis appellatur, hiſpanico nomine hactenus caret, hactenus etiam, quantum nos quidem nouimus, nullibi in Hiſpania reperta.

Sect. II. Color eius ex leui fuſco in nigrum vergit; forma ſua externa refert priſma ſexangulare depreſſum, quod in pyramidem quadrangularem oblique truncatam exit; intus ſplendet fere inſtar metalli; compages eius eſt lamelloſa, lamellis planis, parumper confuſis, rariſſime ſtriatis; ſi diffringatur, diſſilit in fragmenta angulis ſatis acutis aſpera, et nullam determinatam figuram referentia; pelluciditate caret, et terendo in pollinem ex rubente griſeam abit; attactu mollis, et gravitate ſpecifica donata, quae ad pondus aquae ſe habet = 6, 835 : 1,000; illa, quae noſtris inſeruiit periculis, Zinnwaldo venerat.

p. 25. Sect. III. Igni, ope tubi ferruminatorii excitato, ſi exponas

1) ſolam, non funditur, anguli tamen parumper delentur, compage interna et colore haud mutatis.

2) Si

2) Si cum vrinae ſale, oritur efferueſcentia, et coit ſpuma noſtra lupi in vitrum, ſi exteriorem candelae flammam applices, pallide rubrum, ſi interiorem, longe magis obſcurum.

3) Borace addita pariter contingit efferueſcentia, et naſcitur, ſi quidem interiorem flammam adhibeas, ex virente flauum, ſi exteriorem, rubicundum vitrum.

4) Si per integram horam catillo commiſſa violentum experta fuerat ignem, intumeſcebat ad inſtar ſpongiae, fuſceſcente tum colore conſpicua, in ſpeciem vitri, ſatis tamen adhuc imperfecti, abibat, et a magnete trahebatur.

5) Cum aequali nitri copia commixta et in catillum candentem coniecta detonabat, aut potius **p. 26.** ebulliebat, circumcirca flamma caerulea cincta, eodem tempore vaporibus acidi nitroſi conſpicuis. Quod in catillo remanſit, partim in aqua diſſoluebatur, ex qua tum paucae acidi guttae ſedimentum album deiiciebant.

Sect. IV. 1. Drachmae duae ſpumae lupi comminutae, cum vncia dimidia alcali fixi vegetabilis commiſtae, in crucibulum coniectae igni expoſitae, ſatis facile cum illo colliquabantur; liquido effuſo in tabulam cupream, remanſit aliquid nigri, quod ſollicite elutum, grana 37 pondere aequabat.

2. Quod in tabulam cupream effuſum erat, in eam aquam diſtillatam, quae eluendo crucibulo inſeruierat, coniiciebatur, et liquor per chartam griſeam traiiciebatur; remanſerunt in charta nouem grana pulueris, priore minus obſcuri. Ea igitur **p. 27.** portio, quae in ſale lixiuo diſſoluta erat, grana 98 pondere aequabat.

3. Quod nigrum in crucibulo remanſit, a magnete trahebatur, et igni tubo ferruminatorio excitato opportunum cum vrinae ſale ad interiorem

 flam-

flammam vitrum ex vireſcente flauum, ad exteriorem globulum exhibuit, qui, dum refrigeſcebat, kermeſinum, poſtea ex rubicundo flauum colorem monſtrabat. Ex vltimo hoc phaenomeno coniecerunt Auctores, ferrum et magneſiam nigram ſibi inuicem miſta hic adeſſe; generatim inſeruit egregie iſtud phaenomenon ad detegendam magneſiam nigram cum ferro miſtam; ſi igni tubo ferruminatorio ſufflaminato exponantur metalla, exteriore flamma calcinantur, dum interior pauxillum principii inflammabilis cum illis communicat; effectu, quem vtraque in ferrum edit, perparum inter ſe differunt; ſiue alteri, ſiue alteri expoſueris cum vrinae ſale ferrum, viride naſcitur vitrum, ſed magneſiae nigrae exterior flamma ruborem kermeſinum affricat, qui ad interiorem euaneſcit; magneſia ergo nigra, ſi in exteriori flamma calcinata
p. 28. ſit, kermeſina conſpicitur rubedine, quae hoc in ſtatu ipſi competit, ſed dum refrigeſcit, ferro vicino partem principii ſui inflammabilis demit, eoque ipſo coloris ſui iacturam facit; ferrum ea denudatum vrinae ſali nunc melleam flauedinem conciliat; ſi magneſia ferro praeponderet, prouti hic, illa non omne, quo ad delendum omnem colorem opus eſt, in ferro inuenit principium inflammabile, ideo flauedo illa in ruborem vergit.

Vt omnes ſpumae lupi partes, quae nondum in ſuas particulas diuiſae huic reſiduo inhaerent, ſe-
p. 29. parentur, et ſimili poſtea modo tractentur, omne iſtud reſiduum magnae aquae copiae iniecerunt Auctores, quum tamen viderent, facile in aqua ſuſpendi, et ex eo coniicerent, nihil aut perparum ſpumae lupi intemeratum ſupereſſe, ab vlteriore labore deſtiterunt.

4. Quod in charta griſea remanſit, ſuo etiam in vri-

vrinae ſalem effectu monſtrabat longe parciorem magneſiae penum.

5. Solutioni clarae et per filtrum traiectae (Nr. 2.) infuderunt paulatim aliquid acidi nitroſi, extemplo ſedimentum album fundum petiit, quod poſtquam iteratis viribus elutriatum, et omnis latex defuſus erat, principio dulcem, poſtmodum vero acrem et amarum ſaporem linguae, et ſenſationem minus gratam gulae imprimebat: ſolutio huius ſedimenti aquae ope peracta colorem chartae infuſo heliotropii tinctae in rubrum conuertebat: magna iam huius ſedimenti portio in aquam, qua ad lauandum illud ſedimentum vtebantur, tranſierat.

Sect. V. Spumae lupi comminutae granis cen- p. 30.
tum in vitro contentis infuſa eſt ea acidi ſalini copia, vt pollicis altitudine ſpumam ſuperaret, et arenae balneo ita calefacta eſt, vt per horae ſpatium cum ea bulliret: puluis fundum occupans flauum induebat colorem; quod quidem phaenomenon, iunctum acidae indoli ſedimenti illius albi (Sect. IV. n. 5.) coniecturae primam dedit anſam, ſubeſſe forſan hic acidum lapidis ponderoſi. Ad quam coniecturam corroborandam et id accedebat, p. 31.
quod, quum, poſtquam omne ſedimentum delapſum, acidus humor defuſus, et reſiduum aqua diſtillata elotum eſſet, ſpiritum ſalis ammoniaci cauſticum infunderemus, omnis illa flauedo ſtatim euaneſceret, pelluciditate ſpiritus nequaquam turbata: liquore hoc defuſo, reſiduum aqua diſtillata prius elutum, denuo cum recenti ſalis culinaris acido coximus, et tum quod hoc, tum quod ſuperinfuſum poſtea ſalis ammoniaci ſpiritum ſpectat, eadem, quae prius, conſpeximus. Alternatim igitur nunc acido, nunc alcali adiecto, duo tantummodo ſupererant grana, quae neutro ſoluebantur.

 2. Exi-

2. Exigui iſtius reſidui pars erat quartzum, pars altera ſtanni calx eſſe videbatur; poſteriorem inhaerere ex eo collegimus, quod vitrum, ex eo et vrinae ſale tubi ferruminatorii adminiculo conflatum, refrigeratum lac paulisper aemulabatur.

p. 32. 3. Acidas primo ſolutiones cum omni aqua, qua per omnem hunc laborem elutriandi fine vſi fueramus, confuſas exhalando eo redegimus, vt non niſi quatuor ſupereſſent vnciae: Commiſcuimus etiam omnes alcali ope factas ſolutiones.

4. Eundem laborem, quem cum ſalis culinaris acido peregeramus, cum vitrioli etiam et nitri acido tentauimus; prior caeruleo, poſterior flauo inde comparebat tincta; nouum hoc robur noſtrae videbatur addere coniecturae; ſolutio tamen lentius procedebat, quam cum ſalis culinaris acido.

5. Solutionis acidae (n. 3.) octauam partem ſequentibus impendebamus experimentis; cum lixivio materia tingente caerulei Berolinenſis ſaturato egregium largiebatur caeruleum pigmentum, quum tamen magneſia ſolutioni inhaereret, et vna cum ferro praecipitaretur, aliam tentauimus viam, alteram ab altero dirimendi; vtramque enim viam

p. 33. a BERGMANO praeceptam nobis non ſuffeciſſe, ingenue confitemur; altera enim nitri acido ferrum quoque ſoluitur, et ſeparatio fit imperfecta; alteram ſi ſequaris, pars magneſiae in latice, qui caeruleum Berolinenſe contegit, ſuſpenſa manet; eius ergo copia non niſi difficillime definiri exacte poteſt. Sumſimus igitur ad eam ſeparationem perficiendam reliquam ſolutionem, addita adhuc acidi ſalini vncia, et igni exponendo ſuperfluum humorem expulimus; quum paene exſiccata eſſet, ſu-

p. 34. perinfudimus aquae diſtillatae vncias quatuor, praeponderans acidum eo vſque adiecto alcali fixo ſaturauimus, dum liquor turbidus fieri inciperet, et

vitro

vitro arenae commiſſo per quadrantem horae coximus: Vt primum ſolutio excaleſcebat, multum ſedimenti decidit; infudimus omne vna cum liquido chartae griſeae, transſtillauit liquor limpidus et coloris expers; quae remanebant in charta duodecim grana, poſtquam vſta erant, a magnete trahebantur; et quum vna cum vrinae ſale exponerentur igni, in vitrum colliquabantur, nullum magneſiae nigrae inhaerentis veſtigium praebens.

6. Claro, qui transpluerat (5.), latici inſtillavimus aliquot guttas lixiuii, ex caeruleo Berolinenſi confecti; in fundum decidebat ſedimentum fuſceſcens, absque omni caerulei veſtigio; adhibito igitur conſueto alcali fixo vegetabili praecipitationem abſoluimus; id tribus vicibus peregimus, ſemper ita, vt liquor ſimul bulliret; Duo priora ſedimenta vna cum vrinae ſale exteriori flammae candelae per tubum ferruminatorium auctae expoſita, in vitrum kermeſini coloris, puriſſimae magneſiae nigrae ad inſtar confluxerunt, quod ſi interiori flammae expoſuimus, omnis color euanuit, pelluciditate ceterum integra. Sedimentum tertium cum eodem ſale igne tractatum pari modo ſe habuit; natum tamen ex eo vitrum, dum refrigeſcebat, lactis opacitatem induit, quam etiam, dum interiori flammae exponebatur, retinuit: Coniecimus ex eo, inhaerere pauxillum terrae calcareae aut calcis ſtanni; putauimus tamen, poſterior ſi inhaeſiſſet vnquam, prius fuiſſe praecipitatum; irrepſit forſan prior ex aqua, quamuis in illa per diſtillationem depuranda multum curae adhibuiſſemus. Omnia tria ſedimenta iunctim non ſuperabant pondere grana $24\frac{1}{2}$, quae quum vſſiſſem, grana $19\frac{1}{4}$ aequabat ſuperſtes materia nigra: Quibus ſi nunc addatur octaua ſolutionis pars, quam ſeiunctam cum lixiuio caerulei Berolinenſis tractauimus, con- P. 35.

 tinent

tinent tria illa ſedimenta magneſiae nigrae, atro ſuo colore conſpicuae, grana 22, et ferri grana 13½.

p. 36. 7. Solutioni nunc alcalinae (3.) dilutum ſatis nitri acidum inſtillauimus; extemplo multum ſedimenti albi delapſum eſt; defudimus, qui ſedimentum contegebat, laticem, ſedimentum ipſum aqua diſtillata eluentes; qua tamen quum ſolui partem eius videremus, et noſtri laboris finis eſſet, eius determinandi copiam, aquam, qua ad lauandum illud fueramus vſi, denuo illi infudimus, et donec, humido expulſo omni, ſiccum remaneret, igni expoſuimus: Exſiccatum in olla exili terrea ſub fornice docimaſtica poſita denuo tradidimus igni, quo quidem id effectum eſt, vt, nitro flammante expulſo, pulueris ſulphurei ſupereſſent grana 28; quae quum ex media ſolutionis parte obtinuiſſemus, 100 grana ſpumae lupi eius pulueris grana 56 comprehendere, ex eo collegimus:

p. 37. Quum tamen fundus ollae terreae adhuc flaueſceret, eam diffregimus, et vidimus ad lineae vſque profunditatem in materiam eius penetraſſe; iterauimus itaque hunc laborem in fundo phialae vitreae collo ſuo truncatae, et inuenimus, ſpumae lupi partes 100 continere eius partes 65. Patet ex his laboribus, multoties vtraque via a nobis repetitis, conſiſtere ſpumam lupi ex magneſia nigra, ferro et materia flaua, cuius indolem mox ſumus expoſituri; Quartzum et ſtanni calcem non ad eſſentiam ſpumae lupi pertinere.

p. 38. Humida via ſi examinetur ſpuma lupi, continere videtur in 100 partibus magneſiae nigrae grana 22, calcis ferri grana 13½, materiae flauae grana 65, reſidui quartzi et ſtanni grana 2.

Quamuis hac via examinata lupi ſpuma maiorem ferri et magneſiae copiam exhibeat, quam quidem via ſicca, conſiderandum illud eſt, per ſalis

com-

communis acidum partem ferri volatilem redditam abire, et crucibulum nunquam tam terſe elui poſſe, vt ne pauxillum remaneat; praeterea via ſicca ſi procedatur, et ferrum et magneſia ſtatui metallico propius accedunt, quum via humida magis calcinentur; vnde etiam ſumma productorum gra- p. 39.
na illa 100 ſpumae lupi, ex quibus prodierunt, ſuperat. Flaua quoque materies facere ad hoc diſcrimen poteſt, quum lateat adhuc, an eadem praeciſe forma ſpumae lupi inhaereat.

Vt haec analyſis perfecta ſit, opus adhuc erat, ſpumam lupi ex his partibus conflare; ſed, quo pacto humida id fieri via queat, nos fugit, et quum et ferrum, et magneſia nigra, et magis adhuc materia flaua tam difficulter in igne fluant, via ſicca praecluſa pariter videtur.

Examen materiae huius flauae, quae ex ſedimento albo, per nitri acidum ex ſolutione alcalina praecipitato, (Sect. IV. 5. et Sect. V.) impetrabatur, p. 40.
euidenter monſtrauit, idem eam eſſe, quod SCHEELIUS in lapide ponderoſo inuenit; quod certe ex lapide ponderoſo Schlackenwaldenſi (continebat ille in 100 partibus, 68 partes eius materiae, et 30 partes terrae calcareae) elicere contigit Auctoribus, perfectiſſime cum hac materia congruit: Viſum tamen eſt iisdem, id, quod SCHEELE et BERGMAN pro ſimplici habuerunt acido, ſal eſſe valde compoſitum, et pro alio atque alio parandi modo differre.

Sect. VI. Sex ſpumae lupi vnciae cum aequali p. 41.
pondere alcali fixi vegetabilis fundebantur; quod in crucibulo remanſit, refrigeratum ſoluimus in aqua diſtillata, liquorem per chartam traiecimus, et eo vsque calore fouimus, dum omnis exſiccatus eſſet: Salem, qui ſupererat, album, in puluerem comminutum, cum nitri acido in arenae balneo

coxi-

coximus; acquiſiuimus ſic puluerem flauum; liquorem defudimus, et ſuperſtiti adhuc materiae nouum infudimus acidum, eadem ceterum ratione tractando; hoc artificium, vt omne extraheremus alcali, tertia vice repetiimus; quod nunc remanſit, ſub fornice docimaſtica exuſſimus; erat flauum et purum.

Sect. VII. 1. Materia haec omni caret ſapore, gaudet vero pondere ſpecifico = 6, 12.

p. 42. 2. Sola ſi flammae coram tubo ferruminatorio exponatur, ad exteriorem etiam, ſi carboni innitatur, flaua permanet; ad interiorem vero nigreſcit, atque intumeſcit, neque tamen funditur.

p. 43. 3. Cum vrinae ſale igni expoſita efferueſcit, et ad interiorem quidem flammam, in vitrum clarum et merace caeruleum confluit, qui tinctus debilior aut ſaturior apparet, prouti eius materiae minus

p. 44. vel magis additum fuerit, ad exteriorem flammam euaneſcit, ad interiorem iterum comparet, vt ſic alternatim deleri et produci poſſit, tandem tamen penitus euaneſcat, quod quidem nunquam fieret, niſi aliquid alcali, colorem exſtinguentis, adeſſet; ſi enim globulo illius vitri adhucdum tincto adiiciatur alcali fixum aut nitrum, omnis color ſtatim perit.

4. Cum borace ſimiliter efferueſcit, et in vitrum clarum colore ex fuſceſcente flauo ad vtramque flammam ſtabili donatum abit.

5. Cum alcali quoque minerali efferueſcit et coit.

Sect. VIII. 1. Materies haec aqua non ſoluitur; ſi cum ea teratur, ſpeciem emulſionis efficit, quae, etiamſi opaca, per chartam griſeam tranſit, et diu talis perſtat, nullo ſedimento ad fundum depoſito; ſi magna eius copia onuſta ſit, poſt aliquot dies

p. 45. verſus fundum nubes quaedam apparet, reliquo latice

tice paulo magis opaca; ceterum trimeſtri iam temporis elapſo ſpatio, eiusmodi aqua turbida adhuc eſt.

2. Neque vitrioli, neque nitri, neque ſalis communis acidum in eam aliquid efficiunt, etiamſi cum eis conteratur, nulla prodit emulſionis ſpecies; ab aceti acido, quo perinde non ſoluitur, caeruleum induit colorem.

3. Alcali vegetabili cauſtico tota quanta ſoluitur, tum ſicca, tum humida via; ſed praeponderat in eo, quod inde prodit, concremento, alcali; ſi huic ſolutioni guttae aliquot acidi nitri inſtillantur, album mox decidit ſedimentum, quod rurſus ſoluitur, ſi liquor agitatur, denuo comparet, ſi nouum acidum inſtillatur, rurſus euaneſcit, ſi liquor agitatur, quamdiu praeponderat adhuc alcali; maiorem tamen ſenſim adipiſcitur latex amaritiem: Sin autem maior acidi addatur copia, quam quidem ad ſaturandum alcali opus eſt, ſedimentum delapſum denuo non ſoluitur, tametſi violentiſſime agitatur liquor; et ſi ſolutio eo in ſtatu per char- p. 46.
tam traiiciatur, ſal album in charta remanet, qui tranſpluit liquor, et nitrum continet, et aliquid huius ſalis: Sal in charta remanens, poſtquam elutus eſt, principio dulcis eſt, poſtmodum acris atque amarus, ingratamque in gula excitat ſenſationem; aqua diſſoluitur, et aqua quidem eo ſaturata chartae heliotropii ſucco tinctae ruborem conciliat; ſal cetera ſimilis illi, quem ope acidi nitri ex ſolutione alcalina (Sect. IV. n. 5.) nacti ſumus, illi, quem SCHEELIUS in ſua lapidis ponderoſi analyſi obtinuit, et ſimplex eſſe acidum ſibi perſuaſit: Licet concedamus, acidum ei eſſe, mox tamen ſumus monſtraturi, portioni ſalis alcalini et acidi praecipitantis nupſiſſe, et ſola hac in conditione acidi indolem prae ſe ferre.

Sect. IX.

p. 47. Sect. IX. Dotes huius ſalis aliae atque aliae ſunt pro aliis atque aliis conditionibus, quae eius praecipitationem comitantur, id quod ex ſequentibus patet.

1. Flammae, tubi ferruminatorii ope in eum directae, expoſitus ſolus iam funditur; cum ſalibus ſupra nominatis perinde ſe habet, ac materies illa flaua.

2. Si in olla exili vel teſta quadam vratur, odorem eructat, acidum nitri manifeſtantem, et flauedinem induit; ſed ſi refrigeſcat, albus perſtat, ſaporis expers, in aqua non diſſoluendus; flammae tubi ferruminatorii ope excitatae expoſitus ſolus adhuc funditur.

3. Siue vitrioli, ſiue nitri, ſiue ſalis marini infundatur acidum, flauedo naſcitur; ſi liquidum per chartam griſeam transmittatur, liquor transſtillans ſalem exhibet ex adfuſo acido et alcali fixo conflatum; ſi idem labor in retorta cum vitrioli acido ſuſcipiatur, parumper acidi nitroſi in vaſe excipiente colligitur.

p. 48. Si acidum non ſali ipſi, ſed factae eius per aquam ſolutioni adfundatur, nulla fit praecipitatio, ne tunc quidem, ſi liquidum bulliat, ſi quidem pauxillum modo acidi addatur; liquor tamen dulcedinem ſuam exuit, et magis amarus fit. Si multum acidi adfundatur, et liquor bulliat, ſedimentum flauum demittit, materiae illi flauae ſimillimum, qua ad hunc ſalem componendum vſi ſumus. (Sect. VIII. nr. 3.)

4. Aceti acidum vel acetum diſtillatum ſalem hunc perfectiſſime ſoluit, ſi bulliat; ſin autem ſolutio refrigeſcat, ſedimentum album, viſcore ſuo ceram aemulans, vitri fundum petit; quod ſi eluatur, et digitis tractetur, viſci in modum adhaeret; ſapore gaudet pingui et perquam dulci; aëri autem ob-

obnoxium omne illud viſcidum exuit, obſcure griſeum induit colorem et amaritiem: Aqua ſoluitur, eique primo quidem dulcem, tum vero amarum conciliat ſaporem, et chartae heliotropii ſucco imbutae rubedinem; reliquis etiam praegreſſi ſalis dotibus inſtructum, niſi quod a vitrioli acido caeruleum adipiſcatur colorem, et cuprum in eo ſolutum praecipitet. An hoc ſal praeter metallicam partem, alcali et acetum, acidum nitri contineat, p. 49. ignoramus; obtinuimus tamen ſal illi ſimillimum, quum materiam flauam alcali fixo ſolutam loco acidi nitri aceti ope praecipitaremus.

Solutioni ſcilicet illi caloris ope exſiccatae acetum infudimus, ad ebullitionem vsque excalefecimus, et maximam eius partem ea ratione ſoluimus; liquorem defudimus, et vidimus, dum refrigeſcebat, naſcentes in eo cryſtallos plumoſas, quas ablutas ex liquore exemimus; ſaporis erant, non quidem perinde vehementis, ac prior ille ſal, dulcis tamen, et poſtea amari; aqua ſolutae chartam heliotropii ſucco tinctam rubedine imbuebant, et ſpiritu vini addito iterum fundum petebant, vt tamen lactis opacitatem retineret aqua; quod aqua non diſſolutum manebat, eiusdem erat indolis: Cryſtalli hae leni calore cum caeruleo colore in recens tranſibant aceti acidum, colore tamen, prouti ſolutio refrigeſcebat, ſenſim euaneſcente, et materia p. 50. viſcida, ſimili priori illi viſcidae materiae, vitri parietes obducente: Sin autem ſolutio non refrigeſcat, ſed bullire pergat, color quidem ille aeque perit, ſed ex liquore refrigeſcente nihil delabitur; ſi bulliendo eo vsque pergatur, donec, quod ſupereſt, ſiccum ſit, et ſpiritus vini infundatur, vt, quicquid ſalis ex aceto geniti contineat, ſeparetur, puluis praecipitatur albus, qui, poſtquam recenti vini ſpiritu elotus eſt, inſigni gaudet amaritie, et

aqua

aqua facile ſoluitur; ſolutio tamen illa chartae heliotropii ſucco tinctae neque ruborem conciliat, neque amiſſum aceti vi colorem caeruleum reſtituit: Igni tubo ferruminatorio excitato expoſitus ſal eodem modo ſe habet, quam praegreſſa aceti ope generata ſalia; vitrioli acido cum caeruleo colore ſoluitur, et ex cupri vitriolo ſedimentum album deiicit: Si vrantur eiusmodi ſalia, primo caeruleum, tum flauum, poſtremo denuo album induunt colorem.

p. 51. Quum haec ſalia eadem habeant principia, nempe partem metallicam, alcali atque acetum, ratio diſcriminis tum in alia atque alia iſtorum principiorum proportione, tum in alio atque alio combinationis modo deliteſcere videtur.

Solutioni ſedimenti, quod tum nitri acidum (Sect. VIII. n. 3.) tum acetum in fundum deiecerat, magnam aquae calcis infudimus copiam; album decidit ſedimentum, quod in omnibus hisce experimentis verum referebat lapidem ponderoſum: Quum poſtea in liquores illos filtri ope a ſedimento ſeparatos aërem fixum duceremus, vt, ſi calx adhuc inhaereret, decideret, et poſtea coqueremus, vt praecipitatio tanto fieret perfectior, et omnis aër fixus ſuperabundans exiret, in ſolutionibus illis, facta per chartam griſeam traiectione depuratis
p. 52. atque exſiccatis inuenimus ſalia media, in illis quidem, quibus nitri acidum adfuderamus, nitrum commune et calcareum, in illis autem, quibus praecipitandis adhibueramus acetum, ſi quidem dulces erant, terram, quam vocant, tartari foliatam, ſi amarae, vna cum alcali efferueſcente: In omnibus igitur ſedimentis iſtis et alcali haerebat, et acidum.

Si ſolutioni ſedimenti illius per nitri acidum praecipitati, (Sect. VIII. n. 3.) infundantur ſolutio-

nes

nes ferri, cupri aut zinci, in vitrioli acido factae, aut ſolutio mercurii ſublimati corroſiui albi, vel aluminis in aqua, aut lixiuium cum caeruleo Berolinenſi paratum, nulla fit praecipitatio; ſed nitrum calcareum et plumbi cuprique in aceto factae ſolutiones album ex ea ſedimentum deiiciunt; ex iis etiam ſalibus noſtris, quae acetum ingreditur, (Sect. IX, n. 4.) nihil praecipitat lixiuium caerulei Berolinenſis. Eluceſcit exinde, ſal hoc non eſſe ſimplex acidum, ſed ex materia flaua, alcali fixo, et acido praecipitante conflatum: Concrementum ex congreſſu materiae huius flauae cum alcali volatili natum, cuius dotes dotibus prioris ſalis ſimillimae ſunt, vlterius id declarant, et monſtrant, p. 53. acidum, quod SCHEELIUS via humida impetrauit, ſimiliter eſſe compoſitum.

Sect. X. 1. Puluis ille flauus ſoluitur penitus alcali volatili, dominante tamen in ſolutione iſta alcali.

2. Quum humoris pars calore balnei arenae expulſa eſſet, cryſtalli naſcebantur aciculares, ſaporis acris amari, et ingratam ingula excitantes ſenſationem: Facta earum in aqua ſolutio, quemadmodum liquor iis ſupernatans, chartae heliotropii ſucco infectae ruborem affricabant: Iterabatur hoc experimentum cum alia atque alia illarum cryſtallorum copia, quarum aliae etiam diutius igni fuerant expoſitae; quo diutius experiebantur ignem, eo magis praeponderabat acidum, eo fortiorem ſpirabant alcali volatilis odorem.

Vſtione cryſtalli hae omne amittebant alcali vo- p. 54. latile, et non ſupererat, niſi puluis flauus, ſimillimus illi, qui antea in alcali volatili ſolutus erat; eo tamen cum diſcrimine, vt, ſi in retorta clauſa exureretur, reſiduus puluis caeruleſceret. Sal ille ferri, cupri, zincique vitriolum, alumen, nitrum

calcareum, mercurium ſublimatum corroſiuum album, ſaccharum Saturni, et aeruginem aceto ſolutam praecipitat; a lixiuio caerulei Berolinenſis non mutatur; vitrioli acidum caeruleum, nitri et ſalis culinaris acidum flauum ſedimentum ex eo praecipitat.

3. Quum nitri acidum ſolutionis huius ſalis, in quo alcali praeponderabat, parti infunderetur, albus praecipitabatur puluis, qui elotus primo dulci, tum acri atque amaro ſapore imbutus erat, et aqua ſolutus chartae heliotropio tinctae rubedinem conciliabat: Sal hic ſedimento illi albo ſimillimus eſt, quem in analyſi ſpumae lupi (Sect. V. n. 7.) Auctores Cll[i]. quem SCHEELIUS ex lapide ponderoſo, et exceptis ſequentibus dotibus illi, quem iisdem ex ſolutione alcalina (Sect. IX. n. 3.) obtinuerunt.

p. 55. 1) Solutio eius in principia ſua diuellitur, ſi coquitur, lacteſcit, caeruleſcit, et caeruleum puluerem omnis ſalinae indolis expertem in fundum dimittit. 2) Si exuritur, flaueſcit, aut quodſi id vaſis clauſis peragitur, caeruleſcit, neque tunc amplius funditur, ſi vim ignis tubo ferruminatorio aucti experitur. 3) A vitrioli acido caeruleſcit. 4) Cum alcali fixo commiſtus alcali volatile ſpirat: 5) Calcis etiam aquae iniectus eodem tempore, quo lapis ponderoſus gignitur, eundem odorem emittit, et ſi fluidum defundatur atque exſiccetur, nitrum calcareum exhibet: Vinculum tamen illud debilius eſt, quam connubium, quod cum alcali fixo init: Conſtat igitur hic etiam ſal ex puluere illo flauo, alcali volatili, et acido praecipitante.

p. 56. Sect. XI. 1. Puluis ille flauus, in loco claro aëri, citius adhuc et ſaturatius ſoli expoſitus caeruleſcit.

2. 100 grana eius pulueris in catillo Zamorenſi probe contecto per dimidiam horam violento igne agita-

agitata in maſſam ſpongioſam ex caeruleo nigram,
aciculis tenerrimis minerae plumoſae ad inſtar, in
ſuperficie conſitam, intus vero compactam et aequalis p. 57.
coloris abierant, quae adeo induruerat, vt inter digi-
tos confringi non poſſet, et poſtquam contuſa erat,
obſcurum prae ſe ferebat caeruleum colorem:
Quum particula in catillum intraſſet, ponderis ia-
cturam definire exacte non potuimus: Pondus ſpe-
cificum fragmentorum minorum = 5, 7, et pulue-
ris = 19, 55: Puluis cum aqua contritus caeru-
leum quaſi mentiebatur emulſionem, quae turbida
per chartam griſeam transſtillavit; ſub fornice exu-
ſtus ille puluis flaueſcebat, et incrementum ponde-
ris $\frac{2}{10}$ accipiebat.

3. 100 grana eiusdem pulueris cum aequali
ſulphuris copia in catillo Zamorenſi violento igne
vſta in maſſam conuertebantur obſcure caeruleam,
quae digitis diffringi facile potuit, et diffracta cry-
ſtallos exhibuit aciculares plurimas pellucidas, co- p. 58.
lore lapidem lazuli obſcurum aemulantes; maſſa
illa 42 grana pondere aequabat, et in prunas con-
iecta ſulphur non olebat.

4. 100 grana eiusdem pulueris catillo Zamo-
renſi carbonibus inſtructo et bene obtecto commiſ-
ſa, et per ſeſquihoram violento igni exponebantur.
Dum catillum refrigeratum (in primo eius generis
periculo calidum adhuc catillum aperuerunt Aucto-
res; vtprimum contenta materia ab aëre contacta fuit,
in flammas exarſit, et colorem obſcure fuſcum in fla-
vum mutauit,) reſerabatur, inuentum eſt granum,
quod inter digitos conteri in puluerem poterat; co-
lore obſcure fuſco tinctum erat, et lente vitrea ex-
aminatum aceruum monſtrabat globulorum metal-
licorum, quorum nonnulli caput acus magnitudine
aequabant, qui intus metalli faciem prae ſe ferebant
et colorem chalybis; pondere aequabat grana 60, p. 59

amiſerat igitur grana 40; pondus ſpecificum aequale erat 17, 6; exuſtum flaueſcebat, pondere eius $\frac{24}{100}$ aucto; partem eius contuſam cum vitrioli, partem aliam cum ſalis marini acido calori leni expoſuimus, ſed non amiſit ab vtraque niſi $\frac{2}{100}$; defuſo liquore partem, quae non diſſoluta manſit, lente examinarunt vitrea; granula metallicam faciem intemeratam conſeruauerant; vtrumque acidum ab adfuſo caerulei Berolinenſis lixiuio ſedimentum caeruleum depoſuit, ex quo patet, decrementum illud ponderis a ferro proficiſci, quod granum procul dubio a carbonum puluere, cui inuolutus erat, acceperat. Nitri acidum et aqua regia ſimiliter in duobus aliis experimentis ferrum extraxerant; ſed conuertebant praeterea granum in puluerem flauum, qualis ad ea experimenta adhibitus erat.

p. *60.* Sect. XII. 1. 100 grana auri cum media parte pulueris illius flaui in catillo, carbonum puluere inſtructo, per tres horae quadrantes violento expoſuerunt igni; obtinuerunt ſic granum, quod inter digitos tritum fatiſcebat, et diffractum granula auri, hisque interſita, verum ſeiuncta obſcure fuſca granula monſtrauit, ex quo pateſcit, perfectam non fuiſſe fuſionem, et materiam iſtam auro liquari difficilius; calor enim, quem adhibuerunt, certe maior erat, quam quidem auro liquando par. Granum grana 139 pondere aequauit, grana igitur 11 amiſerat; in cupella docimaſtica quum examinaretur, aurum ſolum reſtitit; multis tamen cum difficultatibus coniunctus erat iſte labor.

2. Materia ex flaui illius pulueris et platinae aequali copia miſta pari ratione per 5 horae quadrantes vehementi igni expoſita exhibuit granum, quod inter digitos frangi facile poterat, et in quo platinae granula ſolito magis alba et forma ſua mu-

tata

tata apparebant; pondere aequabat grana 140, vt p. 61.
itaque 10 grana perierint: Exuſtum pondere quidem vix increſcebat, flauebat, et quum platinam ſeparandi ergo eluerent Auctores, 118 grana materiae nigrae ſupererant; quae quum denuo violentum experta fuiſſet ignem, nec pondus mutauit, nec colorem; neque enim flaueſcebat, neque platinae inſtar fuſcum induebat colorem, ſed nigrum colorem conſeruabat: Monent praeterea, in lavando non ſatis curae ſe adhibuiſſe, vt omnem platinam colligerent, flauo illam pigmento potius priuaturi, aquam igitur portionem pulueris illius ſubtilis nigri ſecum abripuiſſe; incrementum ideo ponderis, quod platina poſt elotionem et alteram vſtionem cepit, grana 18 ſuperauit.

Flauum nunc pulverem eadem proportione p. 62.
cum aliis etiam metallis commiſcuerunt, et eadem ratione tractarunt ſequenti cum euentu.

3. Cum argento coiit in granum ex albeſcente fuſcum parumper ſpongioſum, quod malleo aliquoties percuſſum facile in maius extendebatur volumen, ſin autem pergerent iſto labore, in fragmenta diſſiliebat, pondere aequabat grana 140, et ſi miſtura cum ferro facta excipiatur, reliquarum omnium aequabiliſſime erat miſta.

4. Cum cupro exhibuit granum ſpongioſum, valde ductile, cuprei ruboris, vt tamen parumper in obſcure fuſcum vergeret; pondere aequabat grana 133.

5. Cum ferro crudo albo coaluit in granum perfectum, durum, aſperum, intus compactum atque ex albido fuſcum; pondus erat granorum 137.

6. Cum plumbo confluxit in granum obſcure fuſcum perparum ſplendens, ſpongioſum et perquam ductile, quod tamen malleo tractatum in laminas diſſiliebat, pondere aequabat grana 137.

p. *63.* 7. Cum ſtanno largiebatur granum dilute fuſcum, valde ſpongioſum, et parumper ductile, granorum 138.

8. Cum antimonio exhibuit granum obſcure fuſcum, ſplendens, aliquantum ſpongioſum aſperum, facile diffringendum, granorum 108.

9. Cum biſmutho coiit in granum aſperum, perquam durum, quod grana 68 pondere aequabat, et diffractum innumeris poris ſcatebat, ac, ſi ab altero latere conſpiciebatur, obſcure fuſcum et metalli in modum nitens, ſi ab altero, terrae ad inſtar omnis ſplendoris expers videbatur.

10. Cum magneſia nigra dedit granum obſcurum ex caeruleſcenti fuſcum terram mentiens granorum 107: Diffractum et lente vitrea examinatum ſcoriam ferri impuram ſimulabat.

p. *64.* Sect. XIII. Confirmant igitur experimenta haec coniecturam BERGMANI, qui ex pondere ſpecifico huius materiae, et ex colore, quem vrinae ſali ac boraci impertiebatur, metallicam eius indolem hariolabatur; accedunt his mutatio coloris, prouti principio inflammabili magis vel minus ſaturata eſt, decrementum ponderis abſoluti et incrementum ſpecifici in eadem proportione, metallica facies, quam forti igne cum carbonum puluere tractata induit, dotes, quas ea in conditione monſtrat, atque eius denique coniunctio, nunc magis, nunc minus perfecta, cum aliis metallis: Puluis ergo ille flauus eſt calx metallica, et qui ex eo cum carbonum puluere tractato obtinetur regulus, ve-
p. *65.* rum metallum: Poteſt vero iſtud metallum, arſenici inſtar, in acidam indolem redigi; quamuis enim hactenus tam felicibus eſſe Auctoribus non contigerit, vt liberum ab omni alia materia vere acidum impetrarent, euidenter tamen ex eius cum alcalibus, et alcali praeſertim volatili, connubio eluceſcit:

ceſcit: Forſan experimenta multiplici modo iterata breui viam monſtrabunt, qua aeque purum acquiri poteſt illud acidum, ac arſenici.

Gaudet hoc metallum aliis atque aliis dotibus, quibus ab aliis metallis diſcrepat: 1) Pondere ſpecifico = 17, 6. 2) Vitro, quod cum aliis atque aliis ſalibus efficit. 3) Difficili fluxu, quo magneſiam nigram ſuperat. 4) Colore flauo et difficili fluxu calcis, in quam exuritur. 5) Connubio cum aliis metallis, diuerſo ab illo, quod ſibi inuicem miſta ineunt. 6) Quod ſaltem directa via, in vitrioli, p. 66.
ſalis marini, et nitri acido, atque in aqua regis non ſoluitur, a tribus poſterioribus autem flaueſcit. 7) Facili, quod ſubit, connubio, quam diu calcis forma comparet, cum alcalibus, et ſalium ex eo connubio proficiſcentium indole. 8) Emulſione, quam calx cum aqua contrita, licet certa adhuc principii inflammabilis portione gaudens; 9) quod eadem calx in vitrioli, nitri, ſalis culinaris et aceti acido non ſoluitur, et a poſteriore caeruleſcit.

Nouum hoc metallum *Wolframi* nomine inſigniuerunt Auctores, ab eo corpore mutuato, ex quo illud, tanquam ex ſua minera, elicuerunt, et in quo cum ferro et magneſia nigra coniunctum eſt.

X.

The London Medical Journal. Volume the Sixth. for the Year 1785. 8. London 1785. Part the firſt and ſecond. pagg. 224.

i. e.

Diarii medici Londinenſis Vol. VI. P. I. et II.

Continet quaelibet huius diarii pars praeter et extraneorum et indigenorum librorum cenſuras et noua litteraria inprimis aliquot ſemper commenta-

 tiones

tiones, de quibus hic referre operis pretium eſſe exiſtimauimus. Legimus autem in his duabus partibus ſexti voluminis ſequentes:

p. 1. ALEX. GRANT *de vſu opii ad remouenda morboſae irritabilitatis ſymptomata.* Commendat in lue venerea, omiſſis mercurialibus, opii vſum ad grana duo de die, in carcinomate venereo autem ad grana octo, immo viginti quatuor, combinans poſteriori in caſu cicutam cum opio. Externe autem, ſi fungus inprimis adeſt, pulticulam ex auena excorticata, cui admiſcet thebaicam tincturam, imponit. Ibi inprimis opium conducere affirmat, vbi morbus ex morboſa irritabilitate increuit, quo in caſu interdum virus venereum iam omni ex parte exſtinctum eſt, ſin autem venerea lues adhuc in corpore reſideat, opiatis mercurium addit. Ad finem dicta ſua nonnullis morborum hiſtoriis illuſtrat.

p. 28. THOMAS PAYNE *de vulnere aſperae arteriae ſanato.*

p. 33. IO. O DONNEL *de viro, cuius corpus tumoribus cyſticis erat obſeſſum.* Non ſolum multi, verum quoque permagni cyſtici tumores in facie, dorſo et abdomine huius viri conſpiciebantur. Erat corpore laxo, indulgebat multum potui ſpirituoſo et victui animali, demittebat ter vel quater de die faeces, ſimulac excreſcentiae iſtae apparuerant, de anxia reſpiratione conqueſtus erat, et carcere per aliquod tempus incluſus phthiſin pulmonalem erat paſſus, ex qua demum mortuus eſt. Sectione cadaveris inſtituta, cognouit, hosce tumores ex meliceridum claſſe fuiſſe.

p. 36. GILLAM MILLS *de acu deglutita obſeruatio.* Afflicta per longum tempus erat iunior aliqua foemina hyſterica paſſione et hydrophobia adeo, vt parua modo ſanationis ſpes adhuc ſupereſſet. Mox

vero

vero tuſſi reiecit acum, qua reiecta ſpaſmi protinus ſilebant. Venaeſectione autem adminiſtrata, iterum diaphragmatis ſpaſmus redibat, qui etiam non ſtatim remittebat, immo iam recuperata maxima ex parte valetudine ſaepe redibat. Morbo autem, qui per duos adeo annos, et quod excurrit, protrahebatur, durante, ſemper de dolore inter ſeptimam et octauam coſtam conquerebatur, atque quotiescunque dolor lateris ad certum increuerat gradum, anxia reſpiratio minuebatur. Ab initio hic morbus ſpaſmodicus omnes reſpuebat medicinas, et multus eapropter et magnus erat opiatorum vſus.

RICHARD MOYLE *de foetu extrauterino.* p. 52.

IAC. LIND *de efficacia et virtute aetheris vitrioli in remouenda cardialgia arthritica.* p. 53.

Commentatio de virtute medica Digitalis purpureae in hydrope. p. 55. Nauſea, quam haec herba procreat, aegrotos inprimis curare videtur. Sed vis ipſius venenata exſiccatione imminuitur, quapropter tenendum eſt, recentem herbam non niſi caute adhibendam eſſe.

In altera parte reperimus commentationes, quarum inſcriptiones mox ſequuntur.

IAC. MOSSELEY *de vſu mercurii in hydrocephalo interno.* p. 113.

Caſus herniae incarceratae, auct. ED. FORD. p. 118.

GUILIEL. OLIVER *de efficacia et virtute camphorae in morbo melancholico.* p. 120. Non multa noua vel digna, quae notentur, continet.

ALEX. GRANT *de vſu opii ad remouenda morboſae irritabilitatis ſymptomata.* p. 130. Cum fructu ſcilicet in curatione gangraenae digitorum manus et pedis opium in vſum vocauit, et, vt hoc exemplis declararet, ſubiunxit aliquas morborum hiſtorias.

I. POWELL *de hydatidibus partim in tumore aliquo dorſi contentis, partim per os reiectis.* p. 139.

p. 141. IAC. PASCOE *de tumore cruris orto ſine dubio a ruptura alicuius venae.* Commemorauit Cl. ELSE ſimiles caſus. Moriebatur aeger, qui puer erat, febre hectica emaciatus.

p. 145. *De virtute digitalis purpureae in hydrope per* IO. WARREN. Coquuntur, hoc medico praecipiente, foliorum Digitalis purpureae recentium vnciae tres ex aquae fontanae libra vna et dimidia ad vncias novem; Colaturae adduntur Aq. Iuniperi et Syrup. Cort. Aurantior. āā vncia vna et ſemis. Enarrat, vt ipſam hancce herbam commendet, nonnullas morborum hiſtorias, quae eius vſum in pellendis variis hydropis ſpeciebus, in hydrothorace ſcilicet, anaſarca, aſcite et ouariorum hydrope, patefaciunt. Non in quouis caſu vtilis et proficua deprehendebatur, attamen maiorem, quam vlla alia medicina, vtilitatem attulit. Laudat etiam Cl. WARREN emeticam eius virtutem atque iſtam, quae ex radice paratur, tincturam. Animaduertit denique, in Scotia hydropes eſſe morbos rariſſime ſanabiles.

p. 159. S. F. SIMMONS *de ſpecie iſta hydrocephali, quae penes maniacos obſeruatur.* Eſt iſte nimirum hydrocephalus, in quo non modo in ventriculis, verum quoque inter piam matrem et cerebrum aqua collecta reperitur, quique potatoribus inprimis eſt communis. Recenſet itaque nonnullas in cadaueribus mania demortuorum inſtitutas ſectiones; at vero, dum lectores ad legendas BONNETI et MORGAGNI obſeruationes excitat, nobis praeſtantiſſimas ſuper hac re commentationes GREDINGII, vel praeteriiſſe, vel ignoraſſe videtur.

XI.

THEODORI HOOGEVEEN, Medicinae Doctoris, nec non Lectoris Anatomes, Chirurgiae et Artis

Artis Obſtetricandi', Tractatus de Foetus humani morbis, cui accedit Obſeruationum Anatomicarum Faſciculus. Lugd. Batauorum. apud S. et I. Luchtmans, 1784. 8. pagg. 148.

Diuiſum eſt huius tractatus argumentum in capita ſeptem, quorum primum de differentia inter illa, quorum circuitu nos viuimus, et illa, quorum ambitu degit nondum natus, ſecundum de diſcrimine inter illa, quae ſenſibus noſtris ſe offerunt in foetu conſpicua, et illa, quae in noſtro corpore quoad ſenſus externos apparent, tertium de diſcrimine inter internam corporis foetus et iam nati hominis ſtructuram, quartum de cauſis morborum in foetu vterino detectorum, quintum de ſignis ſtatus valetudinarii mortisque foetus, ſextum de prognoſi, ſeptimum de curatione exponit. Ingenue autem profiteamur neceſſe eſt, nos perpauca inueniſſe, quae vel accuratius fuerint explicata et dilucidius dicta, vel quae omnino nouas ſententias vel cogitata propoſuiſſent, e contrario multis in locis auctor iuſto verboſior et propemodum omnium recenter propoſitarum ſententiarum ignarus nobis eſt viſus.

Liquorem amnios ex matris vaſis ſecerni auctor eſt, ſicuti demonſtrat iſtis argumentis, ſecundum quae crocus cibis, quibus veſcitur grauida canis, admixtus huncce liquorem croceum tingit, et mercurius corpori grauidae illitus ipſum dilucidiorem reddit.

Morbi foetus ſunt vel hereditarii vel accidentales. Ad morbos foetus autem inprimis refert epilepſiam, variolas, morbillos, luem veneream, icterum, febres intermittentes, hydropes, calculum, e. ſ. p. p. 52.

Quae

p. 109. Quae de ſignis, de prognoſi et curatione Auctor protulit, vix, vt commemorentur, merentur; vel enim ſatis iam omnibus innoteſcunt, vel non accurate ſatis memoriae ſunt prodita.

Ex adiecto et ſubiuncto obſeruationum anatomicarum faſciculo modo aliquas commemorare liceat. Concernunt autem iſtae herniam cerebri, empyema, tubam Fallopianam imperuiam, tumorem vteri e. ſ. p. Neque hae admodum erudite et docte ſunt conſcriptae.

XII.

Prodrome d'un ouvrage ſur le Syſteme des vaiſſeaux lymphatiques contenant 24 Planches in Folio par PAUL MASCAGNI, Profeſſeur d' Anatomie dans l' univerſité de Sienne. à Sienne ches Vincent Pazzini, Carli et Fils. 1784. 4. pagg. 52. tab. IV.

i. e.

Prodromus noui operis de Syſtemate vaſorum lymphaticorum, Auct. PAULO MASCAGNI.

Iam inde ab anno 1777. Clariſſimus huius prodromi Auctor hiſce ſuper ſyſtemate lymphatico diſquiſitionibus diligenter operam dedit, omniumque propemodum partium lymphatica detexit vaſa, quae deſcriptionibus et iconibus viginti quatuor illuſtrare atque patefacere apud animum conſtituit ſuum.

p. 1. Diſcrimen, quod vaſa lymphatica arterioſa et venoſa et lymphatica valuuloſa intercedit, primum commemorat, atque haec non ſolum in externa, verum quoque interna ſuperficie partium corporis humani

humani membranarum, viſcerum, item peritonaei proſerpere auctor eſt.

Oriuntur ab omni quoque ſuperficie externa et interna partium c. h. atque vaſa abſorbentia conſtituunt, ſicuti cadauera hydropicorum, exempla reſorpti lactis et ſanguinis, lymphatica bile repleta in ictericis, glandulae lymphaticae pure repletae in abſceſſus vicinitate probant atque demonſtrant. Vt in infantum cadaueribus eiusmodi vaſa eo expeditius repleret, vſus eſt aqua calida atramento remixta. Artificioſe et dextre coloratos liquores vel in ductus excretorios viſcerum, arterias, venas, pulmonum bronchos iniecit, vel in cauos ventriculi et inteſtinorum canales transfudit, vel etiam viſcera, ſicuti hepar et pulmones, in vas aliquod liquoribus coloratis repletum ſuſpendit, atque mox in interioribus, mox in exterioribus harum partium lymphatica in conſpectum venire vidit. Similia experimenta ope gummi ſoluti et cinnabari tincti capta enarrat. Lues venerea, variolarum virus, et reliqui lymphaticarum glandularum tumores ſimili ratione lymphatica abſorbentia eſſe vaſa declarant. Atque finiuntur in ſubclauiam ſiniſtram vel dextram, vel iugulares internas. p. 5. p. 8. p. 12. p. 13.

Tertium primae partis caput de glandulis conglobatis et lymphaticis exponit.

Vtitur ad iniectiones perficiendas vitreo tubo ex duobus ramis, alio perpendiculari, alio horizontali compoſito. p. 17.

Secundum ſecundae partis caput totius ſyſtematis lymphatici expoſitionem comprehendit, et ſi omnia ea ſe ita habent, ſicuti Clar. Vir ea enucleat et proponit, et nollemus de ſtudioſiſſimi viri fide dubitare, ſane hucusque omnium optime totum lymphaticum ſyſtema deſcribit. Iam vero extremitatum inferiorum ſuperficialibus et profundis p. 20.

lym-

lymphaticis delineatis, veſicae vrinariae, proſtatae, veſicularum ſeminalium, vaginae, vteri et ouariorum lymphatica, quae ad iliacum plexum properant, quemadmodum et teſticuli, partium genitalium externarum et renum ſubtiliſſima abſorbentia
p. 24. commemorat. Diligentiſſime porro inquirit in lymphaticorum hepatis concauae et conuexae ſuperficiei progreſſum et iter, nec lienis, pancreatis, inteſtinorum craſſorum, coli inprimis, pulmonum, arteriae aſperae, oeſophagi, cordis, et diaphragmatis numeroſos lymphaticorum plexus praetermittit. Adeo colli et capitis, integumentorum abdominalium et dorſi atque lumborum copioſiſſima abſorbentia ſuperficialia, quae partim inter ſe communionem alunt, partim ad interiora deſcendunt, vidit. De extremitatum ſuperiorum lymphaticis. —
p. 40. Vaſorum lymphaticorum capitis alia in ſuperficie deprehenduntur, alia ad profundiores receſſus properant, alia partis capillatae, alia faciei ſunt. Ad faciei autem abſorbentia vaſa inter aurem et angulum maxillae poſita deueniunt iſta naſi, palpebrarum, frontis, oris, parotidum, maxillarium et
p. 43. ſublingualium glandularum. Profunda capitis cerebralia vaſa ter iniectione praeparauit, attamen nunquam ob orta extrauaſata ad glandulas vſque iniectionem propagauit. Sunt enim lymphatica cerebri vaſa ampla quidem, tamen quam maxime quoque ſubtilia. Obſeruauit porro prope canalem caroticum et foramen lacerum et in dura meninge lymphatica vaſa. Denique ad calcem libelli exempla cognitionis ſyſtematis huius nuper magis ſtabiliti et enucleati vtiliſſimae leguntur.

Inter adiectas tabulas prima lymphatica interna inteſtini ilei, externa ieiuni, inteſtini recti, peritonaei, lobi ſiniſtri hepatis, atque glandulas lymphaticas exprimit; ſecunda extremitatum inferiorum

rum ſuperficialia; tertia penis, teſtis et peluis abſorbentia; quarta denique extremitatum ſuperiorum ſuperficialia vaſa lymphatica demonſtrat atque indicat.

XIII.

ED. SANDIFORT Exercitationes academicae. Liber ſecundus. Lugd. Batauorum. apud S. et I. Luchtmans, P. v. d. Eyk et D. Vygh. 1785. 4. pagg. 160. tab. aen. 8.

Indefeſſus atque diligentiſſimus harum exercitationum Auctor rurſus nuperiores ſuas animadverſiones cum erudito communicat orbe, et non poſſumus hoc rariores obſeruationes conſcribendi conſilium et ſtudium non laudare.

Scripſit ideo in hoc ſecundo libro de mutatio- p. 1.
nibus, quas oſſa cranii in hydrocephalo ſubire ſolent, de craniis praeter modum craſſis, de ſingulari oſſis frontis ex fungo durae matris degeneratione, de concretione plenaria cranii, omnium vertebrarum colli duarumque ſuperiorum dorſi, de maxilla inferiori, in latere dextro, cum cranio firmiter concreta, aliaque ſimili vitio, in oppoſito latere, laborante, de cephalopharyngeo muſculo, alioque ſupernumerario in ceruice viſo e. ſ. p. Et merentur certe hae obſeruationes rariores nominari, etſi optaſſemus, vt Cl. Auctor breuiori ſermone in enarratione obſeruatorum vſus eſſet.

Quaedam obſeruationes maioris eſſe momenti et vtilitatis nobis viſae ſunt, easque ideo cum lectoribus noſtris communicabimus. Obſeruauit in cada- p. 65.
vere viri tres diſtinctos aſperae arteriae ramos, quorum duorum dextrorum alter adſcendebat et pulmonis partem ſuperiorem petebat. In neonato in- p. 66.
fante

ſante plenariam pulmonis dextri cum pleura concretionem et ter foramen ouale cordis in adultis apertum conſpexit; hinc apud Auctorem Cl. nata eſt ſuſpicio, num a natiuitate clauſum iterum aperiri atque vi diſrumpi potuerit? In fiſtuloſo pectoris
p. 86. vlcere vel deriuare iubet materiam morboſam, vel
p. 96. ſterni trepanationem inſtituere ſuadet. Refert quoque de hydrope peritonaei ſiue de collecta aqua inter peritonaeum et craſſam telae celluloſae membranam in foemina, quae ſpatio octo annorum mille omnium minime libras aquae paracenteſi repetita perdiderat.

p. 109. His ſubiunctae ſunt aliae obſeruationes de iſchuria lethali ex proſtatae ſcirrho, de ani atreſia, de qua VAN PAPPENDORP nuper erudite ſcripſit, de calculis rarioris figurae, de forficula viua naribus excuſſa, et id genus aliis.

XIV.

TORB. BERGMAN commentationes e quarto nouorum Regiae ſcientiarum Societatis Vpſalienſis actorum tomo excerptae. Vpſal. ap. I. Edman. 1782. 4.

Prima harum commentationum de cauſſa fragilitatis ferri frigidi p. 51 — 62. et tertia de ferro et ſtanno igne commixtis, p. 129 — 136. tertio iam volumini opuſculorum phyſicorum et chemicorum Immortalis Viri inſerta lectoribus iam dudum innotuere.

Superſunt igitur tantummodo inter has ambas mediae meditationes de ſyſtemate foſſilium naturali. p. 63 — 128. Primo agit de corporibus naturalibus generatim, quae in organica et non organica, illa in animalia et vegetabilia, haec in ſolida, liquida et fluida

ſluida diſpeſcit, atque vlterius definit. Praecepta in ſyſtemate condendo obſeruanda: In corporibus organicis criteria colligenda eſſe in forma externa; in non organicis hanc pendere a rebus multiplici modo variantibus, intrinſeca indole manente eadem; variare texturam, cohaerentiae gradum, magnitudinem, colorem, externam formam, alia; praeferendam ergo eſſe methodum, qua interna indoles et compoſitio nudetur, non tamen negligendas eſſe dotes phyſicas, e. g. duritiei gradum, grauitatem ſpecificam, magnetis imperium etc. experimentis chemicis opus eſſe, igne explorandum eſſe corpus, v. g. ope tubi ferruminatorii humidam; tamen viam in iſtis ſcrutiniis eſſe tutiorem. *Auicennam* iam rectiſſime diſtribuiſſe mineralia in ſalia, terras, metalla et phlogiſtica; claſſium harum notae, et difficiles non raro limites. Quae heterogenea mechanice commixta et coalita ratione viſibili fouent, petrae vel ſaxa audiunt. Quomodo genera et ſpecies determinanda ſint: inſignes in eo labore difficultates. Salia ſimplicia, duplicia, triplicia, quadruplicia, analogica. Terrae primitiuae cum ſuis notis et deriuatiuae, in quibus illae intimius inter ſe connexae ſunt. Siderum adhuc inter metalla ſui generis, quod tamen non eſſe niſi ferrum phoſphori acido inquinatum noſtra aetate demonſtratum eſt. Salia ex acidis, quorum tantummodo viginti cognita eſſe ſupponit b. Auctor exacta per alcalia ſaturatione orta ſexaginta efficiunt ſpecies duplices; quatuor terrae primitiuae cum 20 acidis 80 acida duplicia terrena; tabula iſtorum ſalium. Formulae, quibus ſpecies terrarum deriuatiuarum et ſaxorum oculo ſiſtuntur. Poſtremo de varietatibus, ex criteriis ſuperficiariis determinandis. Hactenus ſectio prior: Nunc ſectio commentationis poſterior, quae praecepta denominandorum foſſilium tradit;

 nomi-

nomina abſurda et vanam oſtentationem redolentia tollenda, falſa eradicanda: Optima, quae compoſitionem vel dotem eſſentialem indigitant, toleranda, ſi meliora ſubſtitui nequeunt, quae ſuggerendo latiorem innuunt ſenſum, obliteranda, ſi meliora ſynonyma vſu firmata proſtent, quae ſuggerendo anguſtiorem inuoluunt ſenſum; ſi emphatica non dentur, ea praeſtant, quae nihil certi ſignificant: Claſſes et genera vno deſignanda vocabulo; corpora, quorum principia proxima adhuc latent, ſimplicioribus potiſſimum primitiuis, ea, quorum compoſitio conſtat, deriuatiuis inſignienda nominibus: Foſſilia, quae tria aut plura continent principia, nominibus triuialibus inſignienda.

XV.

Lettres ſur la Sicile et ſur l' isle de Malte.

i. e.

Litterae de Sicilia et inſula Maltae a Com. de BORCH ad C. de N. ſcriptae ann. 1777, tanquam ſupplementum itineris a BRYDONO in Siciliam et Maltam inſtituti et deſcripti, vna cum mappa geographica Aetnae, Siciliae veteris et nouae, et 27 aliis iconibus. Auguſt. Taurin. 8. apud Fratr. Reyards. 1782. Tom. I. p. 236. Tom. II. p. 250.

BRYDONUM neque ſatis diu inter Siculos vixiſſe, neque naturalis ſcientiae ſtudio imbutum ſatis fuiſſe, vt aequum et rectum eius ſemper eſſe poſſit iudicium; in eius igitur erroribus expungendis potiſſimum verſatur Illuſtr. Auctor Noſtrum non eſt omnia hic enarrare, quae ipſi obiicit; quae naturalem beatiſſimae inſulae hiſtoriam ſpectant, tantummodo

modo recenſituri, et ex vndecim, quas ſcripſit, epiſtolis extracturi.

Primae litterae p. 1 — 10. difficultates itineris a Neapoli in Siciliam inſtituendi commemorant.

Litt. II. p. 11 — 14. iter Illuſtriſſ. Auct. ipſum referunt.

Litt. III. p. 15 — 20. de vento ſcirocco, omni anni tempore infeſtante: Calabria, ſtirpium omnis generis feraciſſima, aſt inculta.

Litt. IV. p. 20 — 24. pergunt in narrandis itineris fatis.

Litt. V. p. 25 — 47. eadem narratio continuatur: Tophus, valde poroſus, a maris vndis depoſitus, olim iam ad exſtruendas Paeſti aedes adhibitus. Paſcua fertiliſſima huic vrbi vicina vltra 700 bufalos feminini ſexus alunt, qui vrbi Metropoli vtriusque Siciliae largiſſimam butyri et caſei penum praebent; in hortis eius adhuc aluntur famoſae iam Ouidii tempore roſae, quae bis in anno florent; aliae plantae hic inquilinae, non ſatis tamen definitae; Aſphodelus luteus, Cactus Opuntia: A bitumine quum deduxiſſet Ill. Auctor lumen, quod mare noctu ſaepius ſparſit, primo debuerat demonſtrare iſtiusmodi bituminis in mari praeſentiam.

Litt. VI. p. 48 — 63. aduentum Meſſinae, et magnificam iſtam vrbem delineant. Plantae circa Meſſinam ſponte creſcentes, ſatis obiter determinatae; inter has frequentiſſima eſt Melongena, ſolani ſpecies: Binis milliaribus a Meſſina diſtat vena lithanthracum, vti quidem Ill[i]. Auctori videtur, nondum maturorum, qui in vſum adhibeantur: Quomodo lapides molares forma vſui adaptata eruantur.

Litt. VII. p. 63 — 79. ad Cataneam procedit Ill. Auct., excurrit in laudes Canonici REMPERO, eumque contra BRYDONII iudicium defendit: Hortus

Monachorum ordinis S. Benedicti Cataneae habitantium in laua colitur.

Litt. VIII. p. 80 — 111. iter Ill. Auct. Catanea in montem Aetnam ipſum deſcribunt. Mox ante portas Cataneae lauae incendii anno 1669 graſſati, per longitudinem 15 milliarium, per latitudinem 30 extenſae, et nonnunquam vltra 40 pollices profundae, ſuperincumbentes alteri ſtrato lauae durioris et vetuſtioris craſſiori, ſenſim tamen fatiſcentes et rimas agentes, in quibus muſcorum et lichenum ſemina germinare poſſint; cum laua incendii anno 1766 obtingentis prorſus adhuc nuda ſit; laua incendii 1669 pollicis vnius et dimidiae lineae, laua 1536 pollicum quatuor, laua 1444 pollicum ſex, laua 1329 pollicum octo, et laua 1157 pollicum duodecim altitudine humo contecta eſt; centum igitur annos vix ſufficere, vt laua vnius pollicis altitudine humo tegatur; in promontorio Cataneae ſeptem diuerſa lauae ſtrata inuenta eſſe, ſingula humo trium pollicum craſſitie ſegregata, Aetnam igitur iam ante hos 9600, et ſi aſſumas, partem lauae ipſius deſatiſcentem humo ſeſe miſcuiſſe, certe ante hos 8000 annos ſuos ignes eructare coepiſſe. Diuiſio regionum Aetnae in Pedemontanam, torridam, ſyluoſam et niueam: Prior diſpeſcitur in habitatam, ab vrbe Catanea vſque ad Maſca Lucia extenſam, et laua anni 1669 contectam, et cultam, terram ſcilicet Montpeillery ex fertiliſſimis totius terrarum orbis; altera ſteriliſſima abit in tractum lauarum, a Nicoloſi ad primum vsque monachorum ordinis S. Benedicti monaſterium procedentem, et in tractum ſcoriarum duo milliaria comprehendentem; tertia diuidi poteſt in tractum arbuſtorum, a ſcoriis incipientem, et duo fere milliaria comprehendentem, et in tractum quercuum ad antrum caprarum vsque protenſum;

ſum; quarta denique regio in tractum proprie niveum, ab iſto antro ad baſin montis, qui craterem includit, progredientem, et tractum glacialem, aut montem, cui crater incluſus eſt, ipſum, cortice glaciali compacto obductum. Plantae ſingularum harum regionum, excepto lauarum tractu, qui omni ſtirpe caret. Regio niualis tragacanthum alit. Varietas lauarum in aliis atque aliis regionibus, ſi ſuperficiem ſpectes, et quae ex ea fluunt, ſi in modum naſcendi inquiras, conſectaria: Multiplex ex materiis inſperſis varietas: Comparatio montis Roſſo et montis Baldo, vtriusque ex ſcoriis conflati: Diſcrimen inter montes ex materiis ex vulcano eiectis accumulatis natos et inter eos, qui ex laua ipſa conflati ſunt. Cauernae in laua exſculptae. Turris philoſophi, quam ab Empedocle aedificatam eſſe nonnulli ſomniant: De definienda barometri ope montium altitudine; methodus, qua Ill. Auct. in metienda Aetnae et variarum eius regionum altitudine ſupra ſuperficiem maris vſus eſt, iunctis ſimul obſeruationibus thermometricis: erat autem altitudo mercurii in barometro, quum in apice montis conſtitutum eſſet, aequalis 17 pollicibus et lineae vni, quum in maris ſuperficie poneretur, = 27 pollicibus, et octo cum dimidia lineis.

Litt. IX. p. 112 — 130. deſcribunt naturae producta in Aetna, tum vulcanica, tum non vulcanica, tum mineralia, tum vegetabilia, tum animalia. Continet mons plumbi cuprique mineras, et ferrum vndequaque diſperſum; ſilices, quos flumen Niſo ſecum vehit, non raro auri miculis nitent; habet mons vitriolum ferri perinde ac cupri ferax, ſchiſtos alumine foetos, et aëtitas aluminis adeo cryſtallis intus ornatas; ſcaturiunt ex eo aquae vitriolicae, ſulphureae, ferruginoſae; inuenias in

eo ſtrata gypſi multiplici varietate ſpectabilis; circa Iaci-reale in laua vetuſta zeolithos elegantis candoris, fibris, ex quibus compingitur, radiorum in morem decurrentibus; ſchoerlos nigros opacos, parallelepipeda depreſſa angulis oppoſitis truncatis referentes, prope Cataldo cryſtallos ſulphuris natiui arſenico vtplurimum inquinati; abundat porro mons bituminis, ſi naphtham ipſam excipias, genere omni; gagates etiam reperitur, et in littore ſuccini triplex genus; vitrum vulcanicum, Lipariensi tamen minus perfectum, lauis ipſis innatus amiantus, raro oſſa foſſilia. Stirpes Aetnae, vt tamen plures exactius definitas optes.

Litt. X. p. 131 — 153. reliquam Siciliam peruagatur Ill. Auct. Fluuius Symmete, in cuius oſtio multum ſuccini colligitur, Cataneae in varias formas fabricandum. Duo milliaribus ab origine fluuii Anapi planta papyri, quam Ill. Auct. hic depictam dedit, ex radicibus aeque ac ſeminibus propaganda. Plantae aliae circa Syracuſas naſcentes, lapidicinae, tophum ex teſtaceis comminutis, arena et argilla coagmentatum ſubminiſtrantes, in ipſa Cataneae vrbe ad exſtruendos muros adhibitum, ceteroquin adeo mollem, vt cultro radi queat: Nitri etiam magna copia heic conficitur.

Litt. XI. p. 153 — 236. Maltam complectuntur, et ampliſſime deſcribunt. Plantae adhuc aliquae ad littus Siculum creſcentes. In cauerna S. Pauli prope Valettam bolus calcarea, quae miraculi ad inſtar febres trucidare fertur, (credat, quisquis volet). Aqua ſtyptica Abbat. Grimaldi, cuius inſignes effectus Ill. etiam Auct. vidit. Abundat Malta teſtaceis omnis generis in lapides conuerſis, aliis in marmoris ſpeciem, aliis in achatem, materiis cortice lapideo obductis, lapidibus etiam, quos ſerpentum oculos vulgo vocant: Habet etiam inſula

ala-

alabaſtrum pellucidum, etc. alabaſtritas, veſtigia pyritae et minerarum ferri. Plantae huic inſulae inquilinae.

Voluminis II^{di} initium faciunt litterae XII. p. 3 — 15. in quibus Ill. Auct. fertiliorem Malta inſulam Gozzo adumbrat, anguſto freto a Malta ſeiunctam et huic ſubiectam. Solum quamuis mere calcareum et teſtaceis refertum ſit, goſſypium, ſaccharum, frumentorum et leguminum varia genera, aliaeque proh dolor! ſat obiter dictae ſtirpes laete in eo ſuccreſcunt; inter has milii ſpecies, ab incolis Guiguilira adpellata, qua panem conſpergere, et ex qua oleum extorquere incolas refert Ill. Auctor. In vicina exili inſula naſcitur cynomorium, hic depictum, a propinqua Malta fungus Melitenſis vulgo nuncupatum: Inſula Gozzo corporibus petrefactis plena, ipſe, ex quo ſtruuntur aedes, tophus calcareus mollis. Alabaſtrites eximie flauus, atque vndulatus. Mons ex arena nigra et micante conflatus, quam auri feracem aliquando putarunt.

Litt. XIII. p. 16 — 47. diſceſſum ab inſula Gozzo et alterum Siciliae littus, praeſertim memorabilia Agrigenti, deſcribunt: Stirpes in hoc littore multo frequentiores, quam quidem in orientali; inter has eminent herba turca ſeu herniaria ab Ill. Auct. dicta, Nerium Oleander, et Cactus (cur ſemper Ficus?) Opuntia. Salis officinae, piſcatio coralliorum et Thynni, quae Trepani fit; alabaſtra et marmora in eius montibus occurrentia.

Litt. XIV. p. 47 — 65. Panormus deſcribitur.

Litt. XV. p. 66 — 117. eadem deſcriptio continuatur. De male diſpoſitis corporum naturalium collectionibus amare conqueritur Ill. Auct. Recenſet et feminas, et viros eruditos, a quibus tamen ars ſalutaris ſecundum ſana principia tractata, phyſica, chemia, hiſtoria naturalis parui aeſtimantur.

Hortus tamen catholicus adhuc ſupereſt, qui tum temporis duodecim fere plantarum millia alebat. Cauerna S. Roſaliae, ſtalactitis elegantiſſimis referta.

Litt. XVI. p. 117 — 130. in enarrandis huius vrbis memorabilibus pergit Ill. Auctor.

Litt. XVII. p. 130 — 158. diſceſſum eius Panormo commemorant, et aliquas adhuc Siciliae vrbes cum inſulis aeoliis et littore Salernitano depingunt: Solum Panormitanum teſtaceis petrefactis ſcatet. Obſeruationes thermometricae in hac vrbe a patre DE LA TORRE inſtitutae per quatuor primos anni menſes.

Litt. XVIII. p. 159 — 194. in deſcribendis reliquis Siciliae, praeſertim mediae, vrbibus verſantur. Prope vrbem Aci, ruderibus antiquae Xiphoniae ſuperſtructam, ſcopuli ex lapide obſidiano ſiue nitro vulcanico conflati. Lacus Pallica, cuius aquae ſulphureae, quamuis frigidae, in nonnullis locis bullire continuo videntur. Salis fodinae Siculae prope Caſtro-giouani penitus neglectae.

Litt. XIX. p. 194 — 208. fluuios montesque Siculos deſcribunt, vel potius denominant, ita tamen, vt horum altitudo barometro menſurata ſit definita.

Litt. XX. p. 209 — 238. de ingenio, moribus, eruditione, lingua, artibus, re ruſtica, mercatura incolarum agunt. Murex tritonius gemmae ad inſtar ſculptus. Artificium marmor tingendi et pingendi, quod Ill. Auct. prolixe tradit.

Libellus denique adiunctus docet artem, ex foliis aloës perfoliatae et viſcoſae, melius adhuc ex foliis agaues americanae fila conficiendi.

XVI.

XVI.

Riſultati di ſperienze e oſſeruazioni ſui vaſi ſanguigni e ſul ſangue.

i. e.

Euentus experimentorum atque obſeruationum in vaſis ſanguineis et ſanguine inſtitutorum. Papiae, 1783. 4. p. 53.

Sunt haec experimenta a Celeb. Ticinenſium Profeſſore, BALS. CARMINATI, in multifariis animalibus inſtituta et deſcripta, ex axe oppoſita illis, quibus Celeb. ROSA ſuam de vapore aethereo animali arterias inflante ſententiam fulcire tentat: omnes animalis viui, ipſius adeo ouo adhuc incluſi, arterias, tum ſyſtoles, tum diaſtoles tempore, omnes venas plenas eſſe, neque vllum inter vaſorum parietes et fluidum replens vacuum remanere ſpatium, quemadmodum Cl. Auctor in pullis, ranis, ſalamandris obſeruauit; in anguſtiis vaſorum globulos ſanguinis elongari: Arctiſſime in duobus extremis, primo in eo, quod a corde remotius eſt, ligatam, et tum ex viuo animali ſiue frigido, ſiue calido reſciſſam arteriae partem plenam eſſe ac refertam; ipſum grumum coagulati in arteria ſanguinis $\frac{5}{6}$ eius caui replere; arteriae partes ea cum cautela exſciſſas in ſpatio aëre vacuo non intumeſcere, intumeſcere tamen, ſi non penitus repletae, et praeſertim ſi adhuc calidae ſint; idem etiam euenire inteſtinis aqua calente vel frigida aut penitus aut paene repletis; ex his, quemadmodum ex arteriis aut venis ſanguine refertis, in ſpatio aëre vacuo cultello vulneratis cum impetu proſilire contentum laticem; ſed ne vllam quidem, ſi ſub aqua aëris experte incidantur, aëris bullam; ſi arteria momento ictus ea parte,

 qua

qua cordi propior eſt, comprimatur, absque ſibilo prodire ſanguinem; arterias ranae et ſalamandrae non pulſare, quamuis ſanguis ex iis vulneratis cum impetu exeat; in animalibus frigidis finito nonnunquam omni cordis motu arteriam adhuc pulſare, a corde adeo, et ex ipſo corpore reſciſſum aortae bulbum in ranis et ſalamandris adhuc pulſare; venas etiam nonnullas eorum animalium, quorum cor non eſt, niſi ſimplex aut duplex ſinus arterioſus aut venoſus, pulſare: ſanguinem calidum ex arteriis viui animalis in arterias alterius euacuatas iniectum, aeque ac aquam tepidam, pulſum nunquam reſuſcitaſſe. Arterias maiores in plurimis hominibus, diu poſt mortem diſſectis, non eſſe vacuas, minores etiam continere ſaepius ſanguinem, maiorem tamen eius inhaerere copiam venis; ſanguinem in arteriam inferiorum ante aliquot horas occiſorum antea euacuatam iniectum poſt duodecim horas ex hac in venas abiiſſe, quae minore multo gaudeant vi contractili; in cadaueribus ſupinis ſanguinem ſuo pondere in poſteriora ruere; multum ſeri ex ſanguine exſudare, et in cauis corporis deponi; aquoſam generatim ſanguinis partem plurimam per vaſorum tunicas transſudare; arterias ideo et venas, quae plenae exſcinduntur, ſero extus humectari, et pondere minui; in animalibus ictu electrico, vapore ſulphuris accenſi, aëre nociuo, frigore aut aeſtu enormi, fame, aut aëris inopia, mercurio ſublimato corroſiuo, aut opio ingeſto, medullam ſpinalem aut cerebellum vulnerando interemtis aqua ſuffocatis aut ſtrangulatis arterias poſt mortem plenas reperit Cl. Auctor; in ſtrangulatis tamen, ſi aliquot a morte horis inſtituatur examen, arteriae aut pauciſſimum, aut nullum continuerunt ſanguinem: Vaſa ſanguinea ex animali aut viuo aut mortuo exſciſſa ſemper abbreuiari, et dia-

diametro minui: Sanguinem venoſum non differre eſſentia ſua ab arterioſo, nec globulorum forma, nec colore, aut coloris huius ſub aliis atque aliis conditionibus mutatione, (viuidiorem tamen arterioſi colorem eſſe vulgo conſtat,) neque calore, neque ſpecifico pondere, neque coaguli celeritate aut indole, neque mutationibus, quas ab aëre irruente patitur, aut aëri circumfuſo infert, neque phaenomenis, quae in ſpatio aëre vacuo producit.

XVII.

Diſcorſo academico dei vantaggi della educazione filoſofica nello ſtudio della chimica.

i. e.

Sermo academicus de vtilitate educationis philoſophicae in ſtudio chemiae, recitatus, quum noua ſchola chemico-pharmaceutica noſodochii maioris aperiretur, a Prof. Chirurg. et Chem. regio PETR. MOSCATI. d. 4. Febr. 1784. Milan. apud Ioſ. Galeazzi. 8. p. 90.

Percurrit Cel. Auctor hiſtoriam ſcientiae chemicae inde a fabuloſiſſimis iſtis atque obſcuriſſimis eius, vt multis videtur, incunabulis ad noſtram vſque aetatem, et magna illa commoda, quae ratio, qua hodie tractatur, et ſcientiae ipſi, et aliis tum ſcientiis tum artibus affert; perſuadet ſibi, montium igniuomorum propius ſpectata phaenomena primam chemiae tractandae dediſſe anſam; tractationi metallorum in igne praegredi debere cognitionem vſus, quem hominibus praeſtant, et effoſſionem ex viſceribus terrae; (aſt ſi multae minerae in ſuperficie poſitae foſſione non egent?) examen metallorum

tallorum primam aetate eſſe chemiae partem, et ſenſim in ſtudium, metalla iſta arte producendi, degeneraſſe; illud ſtudium, luis ad inſtar, omnes infeciſſe artis rationalis cultores ita, vt nihil aliud agerent. Diſtribuit Cel. Auct. hiſtoriam chemiae in tres epochas, primam a fabuloſis illis temporibus ad *Paracelſi* vsque aduentum, alteram a *Paracelſo* ad *Stahlium* vsque, tertiam ab hoc ad noſtra vsque tempora procedentem. Perſuaſiſſimum eſt Cl. Auctori, multum calluiſſe atque exercitaſſe chemiam Aegypti ſacerdotes, ab his ad Graecos et victores Romanos transmigraſſe. Arabum vagae locutiones et ſomnia, vani imitatores inter Europaeos, multa auctorum alchemicorum nomina, cum libris ab iis editis et nonnullis vitae eorum conditionibus ex hiſtoria philoſophiae hermeticae, a LANGLET DU FRESNOY exarata, excerptis; paulo fuſius de fratribus crucis roſeae: De prima ſcientiae, ex tenebris iſtis reſurgentis aurora, et viris eo aeuo praeclare de ea meritis, inter quos primum locum concedit Cl. Auct. G. AGRICOLAE. Fata et merita HELMONTII illorumque, qui eum ſecuti ſunt, KUNCKELII, BECCHERI, STAHLII, FR. HOFMANNI, et reliquorum eius aeque ac noſtri aeui magni nominis chemicorum. Adiunxit Cl. Auct. in vſum eorum, qui chemiam amant, catalogum, quamuis breuem atque incompletum, librorum chemicorum in quinque claſſes diſtributorum, eorum primo, qui hiſtoriam chemiae, et notitiam librorum, tum eorum, qui vniuerſum chemiae complexum, deinde eorum, qui chemiae partem phyſicam, poſtea eorum, qui chemiam mineralogicam et technicam, denique eorum, qui pharmaciam et chemiam pharmaceuticam tradunt. Appendix viginti enarrat praelectiones, quibus Cl. Auct. Pauiae chemiam experimentis illuſtratam docet.

XVIII.

Recherches analytiques ſur la nature de l'air inflammable.

i. e.

Inueſtigatio analytica in naturam aëris inflammabilis, Auctore I. SENNEBIER. Genev. 1784. 8. apud Chirol. p. 387.

Inſtituit Clar. Auctor numeroſiſſima et alio atque alio modo multiplicata experimenta, quibus indolem aëris, vti vulgo quidem audit, inflammabilis illuſtrare, et contra Ill. KIRWAN demonſtrare tentat, non eſſe illum ſimplex phlogiſton, ſed ex hoc, et aqua, et acido aut alcali quodam conflatum; in hoc acido, cuius ope non niſi expelli putat aërem Ill. KIRWAN, diſcrimen latere alius atque alius aëris inflammabilis: Experimenta iſta, vniuerſum apparatum, et cautelas, quibus in hoc adhibendo, et illis inſtituendis vſus eſt, fuſius commemorat, et, licet inficias non eamus, acidi praeſentiam in plurimis iſtius aëris inflammabilis generibus luculentiſſime oſtenſam eſſe a Clar. Auctore; non poſſumus tamen a nobis impetrare, vt omnem ſemoueamus ſuſpicionem, acidi, cuius ope aër ex corpore extractus fuerat, aut quem ignis vna cum aëre ex corpore iſto expulerat, portionem, ad eſſentiam aëris non requiſitam, in illo remanſiſſe, et Cl. Auctorem vt pro neceſſaria eius parte haberet, induxiſſe; potuiſſet certe quodammodo ſolui iſtud dubium, ſi Cl. Auctori placuiſſet cum eo aëre inflammabili, qui ab omni labe aut acida aut alcalina puriſſimus reputari meretur, et recentius commendato modo ex aquae vaporibus per tubum candentem metallicum propulſis obtinetur, ſua pariter inſtitue-

ſtituere ingenioſa experimenta. Tentauit ille aërem ope aquae, ignis aut acidi vitriolici ex ferro, ope acidi ſalini aut alcali volatilis ex zinco, aërem ex aquis ſtagnantibus exhalantem, aërem ignis ope ex carbonibus, oleis, ſpiritu vini, naphthis, partibus animalium, et oſſibus inprimis expulſum, aërem, quem commiſta cum ſulphure ferri ſcobs, aut acido adfuſo ſulphuris hepar eructat; poſteriorem non eſſe, niſi ſulphuris hepar volatile redditum, alcali fixum igitur in hoc labore fixam ſuam indolem exuiſſe: Aquam, quae poſt deflagrationem aëris inflammabilis cum dephlogiſticato ſupereſt, priori iam inhaeſiſſe.

Idem liber nunc etiam vernaculo ſermone prodiit Lipſiae, in bibliopolio I. G. Mülleriano, 8. 1785. cura Cl[i]. CRELLII et induſtria eius diſcipuli Dom. *Wittekopf*, ſequenti titulo inſignitus:

Analytiſche Unterſuchungen über die Natur der entzündbaren Luft, *von* IOH. SENNEBIER, *aus dem Franzöſiſchen überſetzt*, *mit einigen von* H. R. KIRWAN *erhaltenen und eigenen Anmerkungen.* *p.* 232.

XIX.

Voyage mineralogique et phyſique de Bruxelles à Lauſanne.

i. e.

Iter mineralogicum et phyſicum Bruxellis Lauſonium factum per partem ducatus Luxemburgici, Lotharingiam, Campaniam et Burgundiam ſuperiorem anno 1782 per Comit. Gregor. de R . . . Lauſonii, apud Mourer. 1783. 8. p. 118.

Contra Ill. SAUSSURE ſuſpicatur Illuſtriſſ. Auctor poſſe tamen in monte Iura adeſſe veſtigia incendii ſubterranei olim graſſati, quamuis ab illo non

non reperta. Montes calcareos altiores, qui nulla in ſe continent, vti quidem vulgo appellant, corpora petrefacta, pariter primitiuis accenſet, montes decreſcere continuo quoque aquarum per illos ruentium attritu; per has valles excauatas, ſpeluncas ſub terra effoſſas eſſe, ſuis etiam et Cl. BERTRANDI obſeruationibus edoctus eſt. Bruxellae ipſae vni ex illis calcibus ſabuloſis adfixae ſunt, quarum continua catena Andennis iungitur; in ſabulo, ex quo conflantur, plurima nidulantur teſtacea, pleraque ſolummodo calcinata, alia, e. g. oſtreae, in ſpatum nitidum conuerſa; frequentiora adhuc et magis multiplicia in ſilua Sogne inter Bruxellas et Namurcum media: In fodinis poſteriori vrbi vicinis ſuperficiei propior reperitur minera ferri ſubaquoſa lutea ſcorias compage ſua mentiens, profundius rubra granulata aut lamelloſa, lapide arenaceo tecta, in quo non rara occurrunt oſtreo-pectinitarum veſtigia, et lithanthracis, vilioris tamen indolis, vena; melioris notae proueniunt prope vicum Charlevoix: Marmor Namurcenſe, in Belgio magni aeſtimatum, cuius tamen in locum ſaepius venditur marmor rubrum venis albis conſpicuum, quod prope pagum S. Tron, in regione Louanienſi, effoditur. Ceterum Namurcenſes colles parum fertiles ſunt, vitibus tamen hinc inde et lupulo ſpectabiles. Montes Ardennae ſabuloſi fiſſurarum et ſulcorum pleni. Montes a Theonis villa ad Nanceium porrecti venas oolithi condunt, quibus fragmenta corporum petrefactorum intermiſta ſunt; pergunt haec oolithi ſtrata vltra Nanceium vsque ad Veſontionem, atque ad aedes ſtruendas adhibentur; Prope Veſontionem lapis calcareus flauus plenus pectinibus in lapidem conuerſis; ceterum montes adſiti eodem lapide calcareo conſtant, ex quo plurima pars montis Iurae conflata eſt; antrum

glaciale in monte propinquo pariter calcareo in duo quaſi conclauia partitum, quorum prius fere octodecim orgyias (toiſes) diametro, 66 circiter altitudine aequat, alterum paulo anguſtius eſt. Mercurius thermometro Fahrenheitiano incluſus in aëre exteriore ad 68° eleuatus, in aëre antri ad 22° deſcendit. Inſigne illud frigus Ill. Auct. magnae eius altitudini, ſitui ſeptentrionali, et enormi olim ſiluae denſitati tribuit. De modo, quo naſcuntur ſtalactitae; ſpeluncae ab Oſſel denominatae, in ripa fluuii Doux prope Quingey ſitae; prope vicum Lavan ſchiſtus calcareus, a vico iſto Lave appellatus, ex quo tecta exſtruuntur. Prope Salins multae iterum ſpeluncae, ſtalactitis refertae, in montibus ſeptentrionalibus ſtrata etiam gypſi, multiplici varietate conſpicui; in vicino monte S. Andreae ſtrata corporibus petrefactis variis plena, inter quae etiam orthoceratitae, vti quidem audiunt, occurrunt, oſſa, vti videtur Ill. Auct. in lapidem conuerſa, leuiter lutea. Colorem lapidis turcoſae recte deducit a ferri particulis inhaerentibus, cobalti tamen ochra caerulea nullius alterius metalli particeps nos equidem latet: Ibidem in fiſſura lapidis calcarei ſiliceum lapidem ſphaericis mammae inſtar protuberantiis aſperum inuenit Ill. Auct., coniicit ex eo, (vt nobis quidem videtur, aliquantum praepropere,) mutatam hic eſſe terram calcaream in ſiliceam: In monte Simonis lapis calcareus ſtriatus; et in monte arcis lignum in ſpati ſpeciem conuerſum; in monte Blin ſimiliter calcareo, multa alia corpora, praeprimis teſtacea, in ſpatum mutata: Montes meridionales vrbis Salins gypſo magis fertiles, quam quidem ſeptentrionales. Tres inſignes cauernae in rupe calcarea ad ripam dextram fluuii Liſon poſita; fluuius ipſe, eiusque aqua et decurſus; corallia et teſtacea, echinos integros in

lapidem

lapidem mutatos ſecum vehit in ſuo ſabulo. Officinae ſalis, in hac vrbe exſtantes; copia ſalis, quam aquae ſalſae, alio atque alio anni tempore, continent; quotidie acquiruntur ſalis 80 — 90 centum pondia: Nullum hactenus ſal gemmae in vicinia earum hactenus deprehenſum, profundius ergo latere exiſtimat Ill. Auctor.

Idem liber nunc etiam tanquam primum Volumen alius adparuit ita inſcripti: Oeuvres de Ms. le Comte GREGOIRE de RAZOUMOWSKY. 1784.

XX.

Kleine phyſikaliſch-chemiſche Abhandlungen, *von* IOHANN FRIEDRICH WESTRUMB. *Erſter Heft*, *Leipzig*, *in der Ioh. Gottfr. Mülleriſchen Buchhandlung*. 1785. 156 *Seit.* 8.

i. e.

Tractatus minores phyſico-chemici, Auctore I. FR. WESTRUMB.

Continet hic faſciculus commentationes quinque paulo ampliores et quatuor breuiores: Com- p. 1. mentatione prima in acidum ſacchari, eius originem atque indolem, et partes ſpiritum vini conſtituentes inquirit Cl. Auctor. Primo quae alii et experti ſunt, et ſibi finxerunt, tum quae Ipſe inuenit, et partim iam in chemicis Celeb. CRELLII diariis publici iuris fecit. Saepiſſime abſtrahendo a vini ſpiritu puriſſimo ex ſpiritu vini gallico optimo parato, ſpiritum nitri phlogiſto ſuo denudatum, tandem acetum obtinuit, dum interim aër aſſurgens fixi indolem prae ſe ferebat; ex libris 72 ſpiritus vini, et libris 12 et vnciis octo ſpiritus nitri praeter drach-

mas nouem et grana 29 acidi ſacchari, aceti omni nota a priori diſcrepantis vncias tres cum dimidia; acidum igitur ſpiritum vini vere ingredi ex eo coniicit, et nunc ſaccharini, nunc aceti facie comparere, illius forma, ſi maiorem adhuc principii inflammabilis partem ſecum retineat, huius, ſi illo magis denudetur, magis autem calore ſpecifico et aqua perfundatur; iure igitur ſuo concludit, nitri acidum non intrare acidum a ſaccharo denominatum: Impetrauit etiam deſtillando puriſſimum ſacchari acidum cum tribus partibus vitrioli acidi quam maxime concentrati, praeter ſulphureum acidum, omnes aceti notas prae ſe ferens; difficilius et per longiores demum ambages, ſi loco vitriolici acidum ex nitro extortum adhibebat: Acidum acetoſellae vnum idemque eſſe cum acido ſacchari, idem generare ſal medium, ſi alcali vegetabile eo penitus ſaturetur; ſi ſacchari acidum modo perinde imperfecto addito alcali ſaturetur, ſal medium exinde ſurgens ex argenti atque argenti viui ſolutione calcem pariter cum aliquo fragore detonantem praecipitare: Spiritum vini non eſſe niſi acidum tartari dulcificatum et principio inflammabili obuolutum, quod quum adfuſo et aliquoties diſtillando iterum ſeparato nitri acido abripuiſſet, veriſſimum inde obtinuit tartari acidum, maiore adhuc principii inflammabilis portione ab aceti acido diuerſum; miſcendo etiam tartari acidum cum octo partibus ſpiritus vini, et totidem aquae, tribus elapſis menſibus acetum naſci vidit, quale etiam acquiſiuit, quum aequali copiae magneſiae nigrae et acidi tartari duas aquae, et totidem olei vitrioli partes adfudiſſet, ac diſtillaſſet; obtinuit etiam, quum poſtremi in locum nitri ſpiritum reciperet. Acidum ſacchari igitur eſt acidum ſui generis, quod in acetum, aërem et phlogiſton reſolui

poteſt.

poteſt. In ſpiritu vini olei ne hilum quidem deprehendit Cl. Auctor.

Altera commentatio experimentis tum analyticis, tum ſyntheticis contra recentiora BECKERI dubia adſtruit, ad generandum arſenicum rubrum non opus eſſe niſi arſenico et ſulphure, aliquando ferri quoque particulam mixtionem eius ingredi, cupri ne veſtigium quidem. p. 77.

Tertia commentatio ſcrutinium chemicum eius reſinae exhibet, quae a praeparatione naphthae vitrioli ſupereſt. Omnes hoc reſiduum verae reſinae notas habet, quemadmodum Cl. Auctor ſibi perſuadet, ex connubio phlogiſti, quod vini ſpiritui inhaeret, cum eiusdem acido et acido vitriolico naſcitur; ab adhaerente vitrioli acido ſollicite depurata diſtillando praeter alia exhibuit acidum empyreumaticum; carbo ab hac diſtillatione remanens in aëre aperto combuſtus phoſphori odorem ſparſit: Inſunt iſti reſinae praeter acidum vitrioli et vegetabile phlogiſton, ſal mirabile Glauberi, ſelenites, terrae calcarea et ſilicea, ferrum, et ignoti quid, quod Cl. Auctor phoſphori acidum eſſe ſuſpicatur: Obtinuit etiam ex eadem reſina ſaepius cum nitri acido tractata aliquid, tartari acido perquam ſimile. p. 101.

Commentatio quarta de ſulphure aquarum quarundam mineralium agit; non de ſulphure aquarum proprie ſulphurearum; oſtendit exemplo aquae Pyrmontanae, quam ſulphure gravidam eſſe SEIPIUS adhucdum ſibi perſuaſerat, ſublimari quidem ex reſiduo aquae igne, fortiori tractato ſulphur, ſed naſci illud demum ea ignis actione ex phlogiſto, quod tum materiae extractiuae, tum ferro inhaerenti ineſt, et vitrioli acido; ſalia vitriolica acidulis illis inhaerentia ſeorſim igne torta nihil exhibuerunt ſulphuris, vna cum materia extractiua p. 115.

 ignis

ignis violentiae expoſita et ſulphur et volatile eius acidum: Quod vulgo pro ſulphuris odore habetur, non eſſe niſi odorem phlogiſti, vinculis ſuis extricati.

p. 131. Commentatio qunita enarrat hiſtoriam eorum tentaminum, quae iam ad ſeparandum ex ſale culinari et mirabili alcali minerale facta ſunt, et deſcribit methodum, hoc ſal minimis, quam quidem fieri poteſt, impenſis parandi, ita quidem, vt libra eius non niſi 7 — 8 groſſis veneat: Iubet igitur ſalis culinaris libras decem aqua pura ſolui, eamque ſolutionem cum altera frigida et colata miſceri, quae cinerum clauellatorum libras decem contineat; miſturam, quae ſi ſal iſte terreni aliquid continet, ſedimentum deponit, traiiciendo per linteum a ſedimento illo liberari, in vaſe ferreo ad articulum vsque coqui, per linteum denuo traiici, conchis terreis puris infundi et in loco frigido reponi; a tartari vitriolati cryſtallis, quae, niſi cineres clauellati prius ab iis liberati fuerint, primae ſubſident, defuſum ſupernatantem liquorem denuo parumper inſpiſſari atque in loco frigido reponi; naſcentur ſic egregiae alcali mineralis cryſtalli, a quibus defuſum laticem ſi eadem ratione denuo tractes, ſalem digeſtiuum obtinebis ad extorquendum ſalis acidum, aut ſale condiendas carnes egregium; alternus ille inſpiſſandi et cryſtallos dimittendi labor toties et tamdiu iteratur, donec alcali vna cum ſale digeſtiuo in cryſtallos concreſcat, a quo tum leni calore, quo iam fluit, ſeparari poteſt. Remanet tamen ſemper aliquid acidi marini in eiusmodi alcali minerali.

In minoribus denique illis libellis Cl. Auct. exponit artificia in depurando vitrioli oleo eximia, et methodum tutiorem, ferrum, quod aquis mineralibus inhaeret, a magneſia alba et terra calcarea ſeparandi,

parandi, quae quidem in eo conſiſtit, vt ſiccum aquae reſiduum a ſalibus ſuis ablutum nitri acido ſoluat, et alcali volatile cauſticum, quo quidem ferrum, non autem terrae iſtae praecipitantur, tamdiu inſtillet, quamdiu iſtiusmodi nubecula compareat, quam prima iam infuſione excitat. Docet porro, partem cremoris tartari, quae aqua ſolui non poteſt, non eſſe, niſi calcaream terram, tartari acido grauidam, quod facili ratione elici poſſit. Lixiuium a praeparatione ſalis polychreſti Seignetti reſiduum, quod nullas amplius vulgo cryſtallos praebet, eas exhibere, modo ſal puluerulentus in fundum delapſus denuo ſoluatur, et calori temperato exponatur.

XXI.

Chemicae commentationes Academiae Electoralis Moguntinae ſcientiarum, quae Erfurti eſt, ad Annum MDCCLXXVIII et MDCCLXXIX. Erfurti, apud Georg. Adam. Keyſer, MDCCLXXX. 4 maj. pag. 70.

Hae commentationes rerum diſquiſitiones et obſeruationes continent ſequentes.

I. *Experimenta circa diuerſitatem et copiam pigmenti coerulei, quod ex diuerſorum animantium oſſibus obtineri ſolet:* a Cl°. WILHELMO HEINRICH SEBASTIAN BUCHOLZ.

Haec experimenta chemica Cl. Auctor cum animalium oſſibus eo conſilio inſtituit, vt experiretur, num ex coerulei pigmenti diuerſa copia, quod varia oſſa largiuntur, definiri aliquo modo poſſit, vtrum datum aliquod os ignotum adhuc, ad hominem, an ad animal pertineat. Igitur diuerſorum p. 3.

 ani-

animalium oſſa chemico examini ſubiecit, quorum experimentorum ſummam hic adiiciemus.

Sumſit cranii humani, quod e ſano et repentina morte enecato homine obtinuit, vnciam vnam, cui in puluerem groſſum redacto, totidem addidit ſalis tartari puri; mixta haecce inuicem indidit in crucibulum, lenique igne tamdiu calcinauit, donec et fumus et flamma penitus ceſſarent ſub multa agitatione: tum materiem hancce in laminam cupream repoſuit, vbi ſub refrigeratione odorem ſpirauit volatile-vrinoſum. Relictum nunc illum pulverem, qui nigro colore praeditus erat, in vitrum cylindricum miſit, aquae feruentis vnciis quatuor ſuperfudit, vitrum operculo obtexit, et ſepoſuit.
p. 4. Pari modo eandem et cranii bubuli et veruecini et cornu cerui raſi portionem ſeorſim calcinauit, eademque aquae feruentis copia transfudit: vbi obſeruauit, horum ſingula eundem odorem volatilem redoluiſſe. Hae miſtiones, poſtquam per viginti quatuor horarum ſpatium in aëre ſteterant, quinquageſimum vel quinquageſimum quintum caloris gradum iuxta thermometrum Fahrenheitianum habente, et ſubinde agitatae fuerant, ſeorſim filtro committebantur. Sed vt et illa portio pulveris, quae in filtro remanebat, plane fieret munda ab omnibus partibus ſolubilibus, ea iterum
p. 5. aquae purae vnciis duabus ſuperfundebatur. Lixiuium hoc modo e cranio humano obtentum et cum ſpiritu vitrioli ſaturatum, praeter aliquos flocculos coeruleo-gryſeum colorem habentes, nihil oſtendebant. Spiritus nitri praeter fumum quendam ſimilem ei, qui ex eius mixtione cum ſpiritu cornu cerui egredi ſolet, nullam in hoc lixiuio mutationem proferebat. Porro ſpiritus ſalis huic lixivio additus, illud paullulum turbabat, et ex eo puluerem albidum demittebat: acetum deſtillatum

cum

cum memorato lixiuio parumper efferueſcebat, ſed acetum deſtillatum illud, quod cremore tartari acuatum fuerat, priori quidem validius efferueſcebat, ſed itidem colorem proprium nullo modo mutabat: ſacchari ſaturni ſolutio nihil efficiebat, neque additum acidum concentratum ligni fagi. Eadem experimenta etiam cum caeteris lixiuiis Cl. Auctor inſtituit, nec in iis vllam expertus eſt colorum ſuorum mutationem. Igitur cum nihil amplius ſupereſſet, quam vt etiam vitrioli martis vim in haec lixiuia tentaret; puriſſimi vitrioli martis ſemiunciam in aquae communis vnciis quatuor ſoluit, atque huius ſolutionis vnciam vnam lixiuiorum memoratorum cuilibet addidit: quo facto, hae mixtiones altero die ſedimentum oſtendebant, quod ex coeruleo colore luteſcebat. Haec ſedimenta cum aqua frigida quater edulcorata, in ſua ſuperficie omnia colorem ferrugineum adipiſcebantur, et vlteriori examini chemico ſubiiciebantur. Quare cum hiſce praecipitatis ſequentia inſtituit experimenta: admiſcebat nimirum drachmis duabus ſpiritus ſalis diluti, quatuor vncias aquae, et deinceps in huncce dilutiorem ſpiritum ſalis immittebat praecipitatum puluerem illum, quem e cranio humano, vitrioli martis ope obtinuerat, quo factum eſt, vt, quaſſatione praegreſſa, haec mixtio intra breve temporis ſpatium adſciſceret coeruleum colorem, cuius pulchritudo in horas incrementum capiebat et augebatur. Puluis ex hac mixtione ſubſidens, poſtquam edulcoratus et ſiccatus erat, grana decem ponderabat; habebatque quidem colorem coeruleum egregium, ſed non eum, quem habet coeruleum ſic dictum Berolinenſe purum. p. 6.

Praecipitatum e cranio bubulo obtentum, et eodem modo, ac de cranii humani praecipitato dictum eſt, cum acido ſalis remixtum, non vltra

granum pulueris exhibuit, habentis colorem coeruleum ſaturatum.

p. 7. Pari modo praecipitatum cranii veruecini ſeſe habuit cum ſpiritu ſalis diluto; non enim ex eo plus quam granum et dimidium pulueris accepit, qui griſeo colore praeditus erat: ſed longe aliter ſeſe habebat praecipitatum cornu cerui, quod eodem modo, ac caetera praecipitata, cum ſpiritu ſalis ſuperfuſum, iam altero die puluerem demiſit, qui ſiccatus, duo grana ponderabat, et cum coeruleo Berolinenſi maximam habebat ſimilitudinem.

p. 8. Ex hiſce igitur tentaminibus cum memoratis oſſibus vario modo inſtitutis, nunc iure Cl. Auctor concludit, cranium humanum maximam continere coerulei pigmenti copiam: et ſi verum ſit, huncce coeruleum colorem dependere a ferreis particulis phlogiſto ſuperſaturatis, etiam eſſe euictum, in hominum oſſibus plurimas deprehendi particulas ferri, quae ſint phlogiſto ſuperſaturatae.

p. 9. II. *Reviſio vel conſpectus dogmatum, de affinitate corporum chemica;* a IOANNE CHRISTIANO WIEGLEB.

Hac in tractatione Cl. Auctor primum explicat affinitatis notionem, deinde ad trium quaeſtionum ſolutionem properat, quarum prima ſic ſe habet:

p. 10. *quae eſt cauſa coniunctionis corporum?* Perſtringit hoc loco CARTESII eiusque adſentatorum ſententias, ponentes hancce corporum coniunctionem in ridicula et ficta quadam partium corpora componentium figura, illosque iure propterea reprehendit, quod mechanicam coniunctionem non recte a

p. 12. cohaeſione chemica diſtinxerint. Igitur recte cum NEWTONO pronunciauit, vim attractiuam eſſe cauſam affinitatis corporum chemicae.

Altera quaeſtio enodanda hoc modo ſtructa eſt: *quaenam cauſa eſt, cur non cuncta corpora cum com-*

muni

muni menſtruo ſeſe eodem in gradu coniungant? Ex eo quod Cl. Auctor credit hunc euentum per ſolam vim attractricem explicari non poſſe, ſed aliud quidpiam occulti in vno prae altero corpore exiſtere oportere, in quo huius diuerſitatis ratio quaerenda ſit, factum eſſe ait, vt quidam, qui NEWTONI ſuper hac re theoriam a limite duntaxat ſalutauerant, eam pro vana ac manca exploſerint. Haſce p. 13. tandem ſuper hac re enatas rixas liteſque Cl. Dn. de BUFFON compoſuit, et lucem obſcuritati affudit, dum nos docuit, definiri corporum vim attrahendi per gradus ratione figurae partium minimarum. Per harum partium figuram autem coniun- p. 14. ctio ipſa minime perficitur, ſed definitur tantum per eam attractionis gradus, ratione definitae a ſe inuicem diſtantiae cunctorum punctorum contactus, ita vt vniuerſalis quae dicitur vis attractiua, per eam accipiat directionem ſuam et verſionem, quoniam ratione diuerſitatis ſuperficiei formatae, punctorum contactuum quoque diſtantia valde mutatur: qua ex re denique diuerſi illi oriuntur gradus, quae in chemica corporum affinitate obſeruantur.

His expoſitis, ad tertiam quaeſtionem properat, quae ſic comparata eſt: *cur quaedam corpora in menſtruo quodam plane ſolui non poſſunt, in quo tamen multa alia ſoluuntur?* Cauſam igitur, cur vnum corpus in alterum agat, illudque in ſinu ſuo retinere valeat, alterum vero eodem menſtruo plane ſolui non poſſit, omnino ponit in harmonia quadam et conſpiratione elementorum, quae intercedunt inter ſoluens et ſoluendum, et ratione ſuae figurae ſibi inuicem aut egregie aut plane non reſpondent. Naturae enim principia ſeu elementa p. 15. gaudent aliqua innata vi, quae attractiua appellatur. Hancce vim autem cur non omnia elementa in vno

eodemque gradu poſſideant, ratio in ipſorum figura quaerenda eſt. Per hanc enim figurae diuerſitatem, gradus ipſius attractionis erga ſe inuicem definitur, qui mox augetur, mox imminuitur; quam rem exemplis et experimentis a WENZELIO *) et DE MORVEAU **) deſumtis, egregie illuſtrat.
p. 20. Nunc peculiares caſus aliquos, qui ratione diuerſorum effectuum in affinitate occurrere poſſunt, perluſtrat; et primum de affinitate cohaeſionis, deinde de aggregatorum affinitate, et denique de af-
p. 22. finitate mixtionis vel compoſitionis agit. Quam vltimam rurſus aut in affinitatem ſyntheticam ſimplicem vel multiplicem, aut in affinitatem analyticam cum ſyntheſi aut ſimplici, aut reciproca, aut duplici diſtinxit, earumque diuerſitates, quae in via cum humida tum ſicca occurrere ſolent, appoſitis tabulis ex Cl. WEIGELII ***) libro deſumtis, diligentiſſime adnotauit, et ita illuſtrauit, vt ſperemus, quemlibet ex huius tractationis lectione vtilitatem capturum eſſe maximam.

III. *De Rhoë Coriaria* LINN. Auctore GUIL. BERN-

*) E. F. WENZEL *Lehre von der Verwandſchaft der Körper, Dresd.* 1777. 8.

**) *Anfangsgründe der theoretiſchen und praktiſchen Chemie zum Gebrauch der öffentlichen Vorleſungen auf der Academie zu Dijon etc. von den Herren de* MORVEAU, MARET *und* DURANDE. *Aus dem Franzöſiſchen überſetzt, von* C. E. WEIGEL. *Leipzig,* 1779. *III. Theile.* 8. Item ea hic notauit, quae Cl. MORVEAU habet, *in ſeinem Verſuch über die anziehende Kraft fettiger und wäſſriger Materien. S. Sammlungen brauchbarer Abhandlungen aus des Herrn Abt* ROZIER *Beobachtungen über die Natur und Kunſt. I. B.*

***) C. E. WEIGEL *Grundriſs der reinen und angewandten Chemie. I. II. Theil, Greifswalde,* 1777. 8.

BERNHARD TROMMSDORF. Facult. Med. Aſſeſſ. et P. P. O.

Poſtquam ſatis dilucide de huius arboris vſu p. 25.
eiusque in coriis praeparandis eximia virtute diſſeruit, breuiter deinde oſtendit, poſſe hanc arborem quoque, et quidem facili negotio, in regione Erfurtenſi plantari ac coli, et denique experimenta quaedam chemica enarrat, quae cum iſtius arboris ſiccatis baccis inſtituit. Sapor enim ſubacidus, p. 26.
quem hae baccae ſiccatae poſſident, Cl. Auctorem eo adducebat, vt ſuſpicaretur, in iis ineſſe ſal quoddam acidum eſſentiale. Quare earum baccarum duas libras in ſaccum quendam incluſit, qui ad filtrationem vulgo adhiberi ſolet, easque tamdiu aqua feruida ſuperfudit, donec qui tranſmiſſus erat liquor plane appareret expers et ſaporis et coloris, tum ex hoc collecto liquore, poſt inſtitutam euaporationem et cryſtalliſationem, cryſtallos nactus eſt albas, tranſparentes, et ſex drachmas ponderantes. Harum cryſtallorum figura non omnium ea p. 27.
dem erat: aliae enim ex columnis tetragonis ad angulum rectum cohaerentibus aequalibus conſtabant; aliae contra ex iisdem quidem columnis compoſitae, ita tamen conſtructae erant, vt bina oppoſita latera ſemper fuerint caeteris latiora.

Sapor huius ſalis ſimilis ei erat, quem habet ſal acetoſellae. Difficillime ſoluebatur in aqua frigida, et cum in aqua feruida ſolueretur hoc ſal, rurſus in cryſtallos cogebatur, quam primum refrixerat aqua, in qua hoc ſal ſolutum fuit, niſi ad hanc ſolutionem perficiendam fuerint ſumtae duae partes aquae ad vnam ſalis partem. In aperto igne fundebatur, atque fere, vt cum alumine fieri ſolet, tumeſcebat. In auctiori ignis vi flammam concipiebat, et poſt combuſtionem, relinquebat terram albidogriſeam alcalinam, quae cum acidis efferueſcebat

et

et ab iisdem plane ſoluebatur. Solutio huius ſalis in aqua feruida perfecta, ſyrupum violarum rubro colore tinxit, atque cum alcalinis ſalibus coniuncta, media ſalia conſtituit: cum nitro remixtum hoc ſal, detonationem admiſit, reliquitque ſal alcali: in ſpiritu vini calido non prorſus ſolui potuit, neque in oleis aethereis calefactis.

Ex his igitur experimentis apparet, hoc ſal omnino inter ſalia acida vegetabilia eſſe referendum, illudque quidem aliquo modo cum cremore tartari et ſale acetoſellae conuenire, attamen ab iis in quibusdam rurſus differre; de cuius diſcrimine reliquorumque huius ſalis proprietatibus Cl. Auctor proxime quaedam eſt expoſiturus.

IV. *Experimenta quaedam inſtituta cum fungis quibusdam, eo conſilio, vt efficiatur, an iidem in ſaponis praeparatione adhibendi ſint a Dr.* AMBROSIO MICHAELE SIEFFERT'S.

p. 28. Fungi, qui in ſeneſcentium pirorum truncis inveniuntur, in magnam ſaepe molem excreſcunt, colore intus albo, interne autem luteſcente praediti ſunt, et a quibusdam hominibus ad victum adhibentur, praeſertim ob eius mollem texturam, quae digitis facile comminui poteſt, nullum ſaporem habet et mucilaginoſa eſt, Cl. Auctoris mentem eo dirigebant, vt experiretur, an iidem ad ſaponis praeparationem poſſint adhiberi.

p. 29. Sumſit igitur memoratorum fungorum aliquam portionem, eamque lixiuio cauſtico ſuperfudit, de cuius praeparatione infra exponemus, quo facto, haec maſſa odorem mox ſpirabat vrinoſo-volatilem, fungique ipſi, piſtillo ligneo facile et conteri, et digitis condepſi poterant. Ex hocce odore volatili-vrinoſo ſuſpicatur Cl. Auctor, continere illos fungos ſal ammoniacale, ideoque fortaſſis futurum

eſſe,

eſſe, vt ad ſalis armoniaci praeparationem impendi poſſint. Interim tamen relicta fungorum fruſtula, quae a primo lixiuio ſolui non poterant, noua lixivii affuſione prorſus demum ſoluebantur, ita vt omnis mixtio prae ſe ferret pultis ſpeciem, quae poſtea, cum in ſole exſiccaretur, in maſſam abiit ſubduram, colorem ex atro fuſcum referentem. Nr. I.

Aliam huius pultis, cuius ſupra mentionem fe- p. 30.
cimus, partem ſub continua agitatione calefecit, et per horam leniter coxit, ita tamen, vt, quid humidi ſub ipſa coctione conſumta eſſet, id noua ſemper aquae feruentis affuſione reſarciretur. Sed ne quidem per coctionem hi fungi in maſſam tranſparentem redigi potuerunt, ſed maſſa, hoc modo obtenta, colorem habebat magis fuſcum, quam ea, quae prius calore ſolari arida facta erat. Vtraque autem maſſa, tum ea, quae ſine igne, tum ea, quae ignis ope parata erat, propter eam, quam adhuc tenebat duritiem, ab aqua non ſolui, ideoque vt ſapo adhiberi nondum potuit. Accidit interim, vt aliam adhuc pultem ſuperſtitem haberet, quam ſibi eo conſilio parauerat, vt experiretur, an illa ſaponis liquidi vice fungi poſſet: quare huic pulti, quae re ipſa ad vſum non inepta erat, parem portionem ſaponis communis admiſcebat, mixtum poſtea ſiccabat, et maſſam inde accipiebat, quae, ſecundum experimenta a ſe inſtituta, in linteis purgandis egregii vſus erat. Nr. II.

Iidem illi fungi ſiccati aeque ac recentes in lixi- p. 31.
vio ſolui poterant, quae tamen ſolutio citius adhuc perficiebatur, ſi fungi antea in puluerem redacti eſſent. Pars quaedam iſtorum fungorum ad ſuam ſolutionem opus habebat $4\frac{1}{4}$ lixiuii, ad parandam maſſam Nr. I, et maſſa illa ſiccata $1\frac{3}{4}$ ponderabat, ita vt ſemper ad vnius librae ſolutionem, 4 et $\frac{1}{4}$

libra

libra lixiuii requiratur, maſſa autem exſiccata, 1 et ¾ ℔ ponderet. Sed ſi haec maſſa exſiccata rurſus ſolui debet et in maſſam pultaceam mutari, ad eius ſolutionem alterum tantum lixiuii opus eſt, ita vt ad huius maſſae libram requirantur lixiuii duae librae, antequam illa perfectam ſolutionem ſubit.

p. 32. Sapo liquidus, qui ex oleo ſeminum braſſicae Napi, et ex lixiuio cauſtico paratus erat, quique ſecundum ſuam naturam nunquam ita ſiccari poteſt, vt corpus durum atque compactum exinde oriatur, inibat coniunctionem cum praedicta maſſa ex pirorum fungis confecta, et eiusmodi poſtea nanciſcebatur duritiem, vt ad inſtar ſaponis communis, cultro poſſet in fruſtula ſecari. Nr. III.

Fungi, qui ex pruno domeſtica deſumti erant, maximam habebant cum pirorum fungis ſimilitudinem, ab iisque non niſi in eo differebant, quod colore luteo ſatiori tincti, et in ſua externa ſuperficie lineis rubris notati erant. Tractabantur autem hi fungi eodem modo, ac in pirorum fungis factum erat; edebant eundem ſub praeparatione odorem volatilem, et adiecto ſapone communi, referebant maſſam ſaponaceam, quae fere in omnibus ſimilis erat ei, quam ſub Nr. II. laudauimus: in hoc vno tamen ab illa diſcedebat, quod colorem magis adhuc luteſcentem habebat. Nr. IV.

Qui autem in malis deprehenduntur creſcentes fungi, quique in pergrandem ſaepe molem ſuccreſcere ſolent, ii ſub labore cum praedicto lixiuio inſtituto, odorem quidem iſtum volatilem prodere ſolebant, attamen ab iſto lixiuio neque ſolui, neque in ſaponaceam maſſam redigi poterant.

Boletus ſuaueolens LINN. afficiebatur quidem ab lixiuio iſto, attamen ob fibras, quas a natura habet ligneas, non plane ſoluebatur; neque remixtus cum lixiuio oſtendebat odorem volatili-vrinoſum:

ſed

ſed ex horum commixtione adiectoque ſapone communi oriebatur maſſa, quae poſt ſiccationem eiusmodi aſſumebat duritiem, vt quam difficillime ab aqua emolliri, ideoque vix ac ne vix quidem ad inſtar ſaponis poſſet adhiberi. Nr. V.

Fungi reliqui, vt *Agaricus campeſtris*, *Lycoperdon bouiſta*, et qui vegetant in arborum truncis putreſcentibus, quique inter *Agaricos* referuntur, ſimulatque remiſcebantur cum lixiuio, odorem quidem ſpirabant volatilem, attamen, cum ab iſto lixivio ex parte tantum diſſolui potuerint, ad ſaponis vſum plane inepti inueniebantur.

Lixiuii memorati compoſitio, quo vſus eſt Cl. p. 33. Auctor in ſuis tentaminibus, haec eſt: addebat nimirum ſingulae cinerum clauellator. librae, libram aquae frigidae, quam poſtea iterum ſolutione peracta, ab relictis impuritatibus per decantationem liberabat. Nunc calcis viuae tres librae ſuperfundebantur libris decem aquae, et ſub exſtinctionis ſuae initium commiſcebantur cum ſedecim libris ſupradictae ſolutionis ciner. clauell. haec inuicem commixta ſedulo ſub extinctionis negotio agitabantur tam diu, donec liquor iſte refrixerat, vbi demum ab iis impuritatibus, quae ſponte fundum petierant, ſeparabatur. Ad horum fungorum ſolutionem etiam illud lixiuium adhiberi poteſt, quo ſaponarii vulgo vti ſolent. Caeterum non dubium eſt Cl. Auctori, quin praeter illos memoratos fungos, alii quoque ad ſaponis praeparationem adhiberi hincque maximam vtilitatem in oeconomicis rebus habere poſſint: quum autem Ipſi nondum eſſet fungis ex aliis arboribus potiundi occaſio, progredi amplius non potuit in hiſce tentaminibus.

V. *Analyſis pigmenti coerulei, quod Iſatis tinctoria continet, a* IO. IAC. PLANER. M. D. et P. P.

Omnem

Omnem omnino Cl. Auctor meretur laudem, quod experimentis tam diligenter a ſe inſtitutis, huius pigmenti coerulei naturam curatius definire annititur, quam adhuc factum erat. Sed cum ſtatim ſeſe ad ipſius diſquiſitionem accingat, neque nos varia illa experimenta, quae cum illo pigmento ſuſcepit, neque diuerſas illas explorandi rationes, quibus vſus eſt, allegare poſſimus, ſatius eſſe duximus indicaſſe tantum horum experimentorum ſummam. Igitur e naratis experimentis ſequitur: pigmentum coeruleum in omnibus fere cum *Indigo* conuenire, attamen nihil ferrei in ipſius compoſitionem intrare, ſed colorem citrinum illum, quem paſſim ſub laboribus chemicis prodidit, eum eſſe ab lixiuio alcalino repetendum. Componitur autem, e magneſia: e magna et phlogiſti et olei ſpiſſioris empyreumatici portione; e ſale alcalino, et e materia coeruleo tingente. Praedicta materia colorifica in omni particula pigmenti illius, nacti ex Iſatide tinctoria, praeſens eſt, et ratione caeterarum partium ſeſe habet vt 1 : 80: volatilis quidem eſt in igne, attamen ab eo deſtrui nequit: et denique conſtat ex phlogiſto libero cum alcali coniuncto, quod poteſt cum ſpiritu nitri extrahi, a quo ſpiritu etiam illud pigmentum coeruleum aeque ac Indigo deſtrui poteſt.

p. 39.

Nunc alia ſequuntur experimenta, quae circa praeparationem huius pigmenti coerulei per fermentationem verſantur: ex quorum omnium experimentorum phoenomenorumque inter ſe facta comparatione omnino apparet, Iſatidem tinctoriam fermentationis ope in ſequentes ſibique diſſimiles partes fuiſſe diſſolutam. Et primum quidem in *partem coeruleam;* quae ſequentes habuit proprietates: 1) Non potuit neque in aqua nec acidis debilioribus, neque lixiuiis alcalinis ſolui: 2) con-

Continetur haec pars in plantae ſucco; eius enim
ſolidae partes nihil coerulei habent: 3) per mi-
ſtionem non generatur, ſed euoluitur tantum; 4)
eius quantitas ab anni tempeſtatibus et a climate de-
pendet, cuius rei teſtis eſt melioris plantae prouen-
tus in Prouincia, aliisque regionibus calidioribus.
Deinde in *partem citrinam* fermentatione hanc plan- p. 42.
tam diſſoluit, quae a coerulea parte in hiſce rebus
diſtabat: 1) in aqua ſolubilis erat: 2) partem coe-
ruleam in ſinu ſuo continebat; quae vtraque miſta,
colorem viridem foliorum conſtituebant, vniuntur
autem mediante ſale ammoniaco naturali. 3) Oleum, p. 43.
quod continebat haec pars, videbatur fermen-
tationis vi ex hac parte citrina fuiſſe euolutum. 4)
Caetera folia deinceps repente abibant in pu-
tredinem.

Etiam per infuſionem cum aqua calida experi-
menta cum hac planta inſtituit, in eaque deſtillati-
onis vim expertus eſt. Infundebantur herbae iſatidis
duae librae libris quadraginta aquae, vbi infuſum
hoc modo enatum colorem oliuarium habebat, et
ſingulari odore quodam praeditum erat: interim
tamen praedicta hac aquae quantitate, memorata
plantae portio, nondum potuit plane ab omnibus
colorificis partibus liberari. Infuſum hoc modo
paratum et cum viginti libris aquae calcis remixtum,
duplex exhibuit praecipitati genus, quorum alte-
rum, habens luteum colorem, quinquaginta grana,
alterum vero coeruleum, quod, quantum fieri po-
tuit, ab iſto citrino ſeparabatur, ſemiunciam fere
ſiccatum ponderauit.

Ex ſucco, quem, expreſſione peracta, duae li- p. 44.
brae huius plantae dederunt, extracti ſicci per in-
ſpiſſationem obtinuit ʒjjj. ℈iiß, ex cuius ſingula dra-
chma rurſus partium gummoſarum grana quadra-
ginta, reſinoſarum autem grana ſedecim accepit.

Reliquum extractum cum aëri liberiori exponeretur, in tantum attrahebat ad ſe ex aëre humiditatem, vt rurſus deliqueſceret. Easdem etiam partes conſtitutiuas plantae, quas narrauimus, enaſci vidit, cum hanc plantam ſuae ipſius euolutioni per fermentationem permiſerit; imo cum hac ipſa herba recenti inſtitutae deſtillationes eum docuerunt, ſe in plantae analyſi non erraſſe, ſed omnia accurate detexiſſe.

p. 49. Quare nunc ſe ad vltimam ſectionem accingit Cl. Auctor, in qua quaedam ab eo exponuntur de praeparatione pigmenti illius coerulei. Non ſolum terrae metallicae id habent praecipui, vt ſeſe per alcali phlogiſticatum patiantur ex acidis coeruleo colore praecipitari, verum etiam huic principio coeruleo magneſia eodem modo praebere poteſt baſin, cui adhaereſcere poſſit. Terra iſatidis tinctoriae, quae calcinata et in oleo vitrioli ſoluta erat, etiam exhibuit praecipitatum coeruleum cum alcali phlogiſticato, imo ex magneſia in oleo vitrioli ſoluta coeruleum Berolinenſe obtinuit. Interim tamen notari meretur, quod ſolutio magneſiae tam diu tantum demittat praecipitatum coeruleum per affuſum alcali phlogiſticatum, quam diu odor perdurare ſolet hepaticus, qui inter praecipitationem enaſcitur: id quod probare videtur, magneſiam ipſam nihil ad producendum colorem coeruleum conferre, ſed contineri iſtud principium colorificum in alcali phlogiſticato.

Si pigmentum coeruleum illud, quod ex vitis viniferae ſarmentis in carbonem vſtis, deinde in igne cum alcali coniunctis, et tandem acidi vitrioli ope praecipitatione obtinetur, (cuius inuentionis gloria b. D[ri]. IACOBI debetur,) in oleo vitrioli ſoluitur, perdit illico colorem ſuum viuidum et fuſcum colorem adſciſcit. At nullo modo actum eſt de

ſuo

ſuo colore coeruleo, vt IACOBI ſtatuere anniſus eſt, ſed extemplo ille redit, modo ſi acidum illud vitrioli cum aqua diluatur, imo poſtea quoque poteſt, ſecundum Cl. Auctoris experientiam, ad lintea lanamque tingendam adhiberi. Oſtendit etiam hac occaſione Cl. Auctor, vitim viniferam non vnicum ligni genus eſſe, ex quo pigmentum illud parari poſſit, ſed idem etiam obtineri ex quocunque alio aut molli aut duro ligno in carbonem vſto et ſimili modo, vt ſupra dictum eſt, tractato. Etiam ex ſolo alcali phlogiſticato poteſt illud coeruleum per acidum vitrioli deiici: quo in proceſſu odor quoque hepaticus, de quo ſupra retulimus, percipitur. p. 51.

Caetera pigmenta coerulea omnia, quippe quae ſunt artificialia, ex olei vitrioli interuentu colorem ſuum perdunt, et vel griſeum vel fuſcum colorem aſſumunt: at longe aliter ſe res habet in Indigo et pigmento illo, quod ex Iſatide tinctoria obtinetur; haec enim propterea, quod ab ipſa natura producta ſunt, reluctantur oleo vitrioli, ſuumque colorem naturalem retinent. Ex his igitur Cl. Auctor ſequi putat, principium illud colorificum nihil aliud eſſe, quam phlogiſton, aut terra, aut ſale, aut a quocunque alio corpore exceptum; diuerſisque denique congregatis argumentis probare annititur, coeruleum colorem eſſe phlogiſto proprium. p. 52.

VI. *Eiusdem Auctoris diſquiſitio fontis muriatici, ſcaturientis ad radicem montis S. Cyriaci prope Geram inter Erfordiam et pagum Hochheimenſium.* p. 53

Exacte primum deſcripto regionis ſitu, et terrarum genere, ex quo hic fons prorumpit, methodum nobis ac rationem exhibet, qua vſus eſt in huius aquae exploratione. In qua explorandi methodo ingenue fatemur, nihil poſſe inueniri, quod de-

ſideretur. Continentur autem in huius aquae menſura quaque medicinali: Selenititis $1\frac{2}{3}$ gr. Salis amari $1\frac{2}{3}$ gr. Magneſiae $\frac{1}{3}$ gr. Salis muriatici $7\frac{1}{3}$ gr. Cum autem ſub euaporationis negotio non ſolum portio ſalis amari, ſed etiam portio quaedam magneſiae deſtructa fuerit, ſequitur inde, huius aquae menſuram re ipſa, vtrorumque corporum paulo maiorem copiam continuiſſe, quam ſupra indicatum fuit. Aëre haec aqua prorſus caret elaſtico, attamen poſſidet vim leniter reſoluendi et attenuandi, hincque egregie conducit in affectionibus pituitoſis chronicis, propterea quod leniſſime euacuat. Neque praeterea ob acidum muriaticum, quo gaudet haec aqua, eius vſum non prorſus eſſe contemnendum putat in morbis rheumaticis, neque ſpernendam eſſe forte vim huius aquae in reſoluenda et euacuanda materie tophacea podagricorum, ſed hiſce in caſibus periculum potius cum illa inſtituendum, praeſertim cum Cl. SAUER obſeruauerit, ab huius aquae potu ſaepe ſcabiem fuiſſe productam.

VII. LAURENTII CRELLII, *M. D. et P. P. Helmſtad. obſeruationes de Phoſphoro eiusque ſale.*

p. 60. Cum methodus ea, quae Cl. GAHN vſus erat ad phoſphori ſalem ex vſtis oſſibus obtinendi, Cl. Auctori nimis longa et ſinuoſa videretur, cogitabat de breuiori via, qua idem praeſtari poſſet. Itaque hunc in finem, faciundum putauit, vt cum
p. 61. alcali volatili experimenta inſtitueret. Quare primum oſſa calcinata et in palpabilem puluerem redacta excoxit in aqua deſtillata per longum temporis ſpatium: ſed cum ea aqua parum tantum de ſale terreſtri ſolutum teneret, parum inde quoque potuit ab addito ſale ammoniaco et ſalis vrinoſi generari, et terrae praecipitari. Ex his itaque cum bene perſpiceret Cl. Auctor, aquam fore menſtruum

non

non ſatis aptum ad ſalis in oſſibus contenti ſolutionem, decreuit in eius locum ſufficere ſpiritum ſalis armoniaci aquoſum, eoque, ad hoſce labores peragendos, vti loco aquae. Suſcepit hunc laborem in vaſe circulatorio bene clauſo, vbi poſt digeſtionem per triginta ſex horarum ſpatium protractam, ex mixtione hacce filtrata et euaporata, haud exiguam ſalis vrinoſi cryſtalliſati portionem nanciſcebatur. Sed non idem Ipſi praeſtabat ſpiritus ſalis p. 62. ammoniaci cauſticus, qui cum oſſibus puluериſatis eodem modo, vt iam dictum eſt, tractatus, plane nullum exhibebat ſalem. Neque haec res melius ſuccedebat, quum alcali volatili vitriolato oſſa adderet puluериſata, haecque inuicem per ſex horas coqueret; qua interim occaſione euincitur, phoſphori acidum maiorem habere erga calcaream terram affinitatem, quam acidum vitriolicum.

Quanquam doctiſſ. GAHNIUS huius ſalis ex oſ- p. 63. ſibus ope acidi vitrioli parandi rationem diſſuadet, et quidem propterea, quod cruſtam ſeleniticam eam, quae ſtatim enaſcitur et oſſa incruſtat, impedimento eſſe ait, quo minus acidum vitrioli in haec oſſa vim ſuam exſerere poſſet: tamen eam parandi rationem locum tuto habere poſſe Cl. Auctor perhibet, modo acidum vitriolicum, quo vtimur ad hos labores, probe ſit dilutum. Longe melius autem res procedit cum ſpiritu ſalis ammoniaci aquoſo.

Nunc tranſit Cl. Auctor ad ea experimenta, p. 64. quae cum ſale phoſphori, coniuncto cum metallorum calcibus, eo conſilio inſtituit, vt experiretur, quales ex horum coniunctione et fuſione eſſent mutationes futurae. Adiecit ſemper ſemi drachmae huius ſalis, granum vnum calcis metallicae per alcali praecipitatae. Auri calx hoc modo co- p. 65. lorem fere roſaceum exhibuit; id quod argumento

eſſe poteſt, ſolummodo aurum poſſe rubro colore tingere corpora. Alio experimento idem probavit, ſed cum in eo vitrum nondum aequabiliter fuſum deprehenderetur, idem denuo igni ſubiiciebatur, in quo vitro deinde non ſolum omnem colorem perditum, ſed etiam per omne vitrum ſubtiliſſima auri grana diſperſa vidit. Id cum curioſo modo eueniret, quaeritur hac occaſione, num forte in hoc fortiori igne, phoſphori ſal potuiſſet phlogiſtum ſubtiliſſimum praebere ad auri reductionem.

Magiſterium auri rubrum, vel purpura mineralis colorem exhibuit ſordidum incarnatum: Argentum colorem citrinum dilutum dedit; cuprum ex acido nitri praecipitatum, viridem; ferrum ex ſalis acido praecipitatum luteo-fuſcum, et nicolum habebat colorem ex luteo fuſcum, qui multo obſcurior erat, quam ſi ad hoc experimen-
p. 66. tum totidem de ferri croco ſumtum fuiſſet. Magneſium vſtulatum pulchrum repraeſentabat et floridum colorem citrinum: ſingulare phaenomenon, propterea quod $\frac{1}{2}$ — $\frac{1}{4}$ et eo minus, totidem ſal vitri certiſſime tinxiſſet colore rubro profundiore. Platinae calx, et calx antimonii per horam et eo amplius vehementiſſimo igni ſubiectae, propterea quod haec ne quidem cum phoſphori ſale prorſus fundi poterat, illa autem vitrum tantum opacum referebat, pro calcibus maxime refractariis habendae ſunt.

p. 67. Cum hoc phoſphori ſal neque fatiſcat, neque humiditatem attrahat, illud forte poſſet adhiberi
p. 70. ad porcellana vaſa pingenda. Ex vltimis denique experimentis, quae cum ferro et ſtanno et ſale phoſphori ſuſcepit Cl. Auctor, egregie diſcimus, haec metalla id praecipui habere, vt cum phoſphori ſale coniuncta, tunc demum phoſphorum conſtituant, ſi iis aëris liberioris acceſſus concedatur;

alio-

alioquin enim phoſphorum in clauſis vaſis nullo modo poſſe aut generari, aut deſtillari.

XXII.

Méthode de traiter les morſures des animaux enragés, et de la vipere; ſuivie d'un précis ſur la puſtule maligne. Par M. ENAUX, Profeſſeur du Cours d'Accouchements des Etats de Bourgogne, Penſionnaire de l'Academie des Sciences, Arts et Belles Lettres de Dijon, etc. et par M. CHAUSSIER, Profeſſeur d'Anatomie des Etats de Bourgogne, Penſionnaire de l'Academie de Dijon, Aſſocié regnicole de l'Acad. R. de Chir. de Paris, des Acad. R. des Sc. de Niſmes, Touloufe, Montpellier, Correſp. de la Soc. R. de Méd. de Paris, etc. à Dijon, chez A. M. Defay. MDCCLXXXV. 12. pag. 275. Dedicatio, index et diſcurſus praeliminaris. p. 46.

i. e.

Methodus tractandi morſus animalium rabioſorum et viperae, ſubiuncta breui commentatione de puſtula maligna, auctoribus Cll. ENAUX et CHAUSSIER.

Proceres ducatus Burgundiae, praeter alia documenta curae ſanitatis publicae, hic enarrata, etiam Cll. Auctoribus huius libri id demandarunt officium, vt ſuccincta ſcriptione ciues inſtruerent, qua ratione morſus iſtos dignoſcere et iisdem mederi poſſent; cui inſtituto ſimile a praefectis regio-

 nis

nis Bearnenſis hoc ipſo anno, nuper in litteris pu-
blicis nos legiſſe meminimus. Ac praeſentem qui-
dem quod librum attinet, eum perſpicuitate et con-
cinnitate dictionis aeque ac remediorum praeſcri-
ptorum ſimplicitate iisque vtendi conſiliis ſe com-
p. 1. mendare omnino fatemur. Praemiſſis quibusdam
generalioribus de morbis brutorum et de cautioni-
p. 11. bus in eorum tractatione adhibendis, tranſitus fit
p. 15. ad rabiem in genere, et tum ſpeciatim caninam,
p. 27. ſigna eiusdem, modum communicationis, et ſym-
p. 33. ptomata morſum ſequentia; inde ad medelam, quae,
etſi interna auxilia non prorſus excludit, tamen ab
externis quam maxime exſpectanda eſt, et a Cll.
Auctoribus in abſterſione vulneris, applicatione
cauſticorum actualium vel potentialium, ac deinde
largiore diutiusque ſuſtentata ſuppuratione poni-
p. 37. tur. Inter cauſtica enumerant butyrum antimo-
nii, oleum vitrioli, lapidem cauſticum et huic ſimi-
le lixiuium ſaponariorum a Cl°. MEDERER *) pro-
poſitum, lapidem infernalem, et remedium extem-
poraneum ex aequalibus partibus calcis viuae et ſa-
ponis parandum: mercurialia vero et arſenicalia
p. 44. plane reiiciunt. Exacte dein modum tractandi vul-
nera, et quid pro diuerſa eorum indole agi
p. 62. oporteat, deſcribunt; ſic v. c. vicinitas vaſis cu-
iusdam maioris maximam circumſpectionem in cau-
ſticis, et iis nonniſi lenioribus, requirit, aut ſolum
in irritantibus, v. c. puluere cantharidum cum dige-
p. 69. ſtiuis remixto ſubſiſti iubet; cranio denudato os
radendum et admoto cauſtico exfoliatio iuuanda
p. 72. eſt; interiora oris ſi vulnerata ſunt, ferrum can-
p. 73. dens applicandum; oculi ſuperficies ſaliua animalis
rabidi conſpurcata, penicillo butyro antimonii im-
praegnato leniter tangenda, ſed protinus iterum
decocto

*) Syntagma de rabie canina. Friburg. 1783. 8.

decocto mucilaginoſo aut aqua roſarum cum gummi arabico et guttis aliquot laudani liquidi SYDENHAMI eluenda. Remedia interna, ſpecifica quadam vi agen- p. 78.
tia, plane negant: opus tamen eſt iisdem remediis, quae in aliis vulneribus locum habent, dum ipſa adeo venae ſectione, euacuantibus primarum viarum cet. Aegris temperamenti ſenſilioris conducunt infuſum foliorum aurantiorum et antiſpaſmodica, e. c. puluis DOVERI vel EHRMANNI; robuſtioribus infuſum ſambuci et guttae aliquot lignorum volatilium alcalinorum, v. c. lilii PARACELSI vel *eau de Luce.* Belladonnae tamen aliquam attentionem deberi largiuntur tamquam narcotico: p. 80.
illam tamen nonniſi in minori doſi et in forma decocti tentandam ſuadent. Idem remedium in morſis pecoribus commendant, ſed non neglectis auxiliis externis, vtpote ſolis, quibus tuto fidi poſſit. p. 87.
Omnia haec dein ſuccinctis poſitionibus repe- p. 89.
tuntur.

De morſu viperae. Sola venenata ſpecies re- p. 101.
ptilium indigena eſt Coluber berus L. et is quidem rarior circa Diuiodunum, frequentior in montoſis regionibus, prope Cabillonum et Matiſconem. Praemiſſa deſcriptione eiusdem enarrantur effectus p. 106.
morſus eiusdem, quos mortiferos eſſe Noſtri cum Cl. FONTANA *) negant, et poſtmodum de ratio- p. 112.
ne medendi iisdem agitur, quorſum cauteria, ligatura, ablutio vulneris, alcali volatilis externus et internus vſus ſpectant: taxatur abuſus ſudorifero- p. 130.
rum, neglecto vſu remediorum topicorum. Poſtea de aliarum ſpecierum colubri, minus quidem ſuſpectarum, morſibus eosque tractandi modo, ſimilibus principiis innixo, agitur: tum de cura animalium domeſticorum demorſorum, ac ſubiungun-

*) Opuſcoli ſcientifici, Flor. 1783. 8.

p. 139. tur monita quaedam circa abuſum alcalium volatilium in deliquiis animi, vbi etiam caſus funeſti effectus aceti WESTENDORFII modo concentrati enarratur, quod gangraenam lethalem oris et faucium produxerat. Tandem, vt in priori tractatu, ſumma dictorum in compendio exhibetur, formulaeque medicamentorum ſubiunguntur.

p. 161. Puſtula maligna ſeu furunculi ſpecies regionibus depreſſioribus et humidioribus ducatus Burgundiae aeque ac aliis Galliae prouinciis verſus meridiem ſitis communis morbus eſt, in quibus pecora, praeſertim verueces, ſaepe morbo quodam acuto, anthracibus ſtipato, corripiuntur; morbus noſter etiam non niſi eos homines aggreditur, qui animalia eiuſmodi aut earum partes tractant, ideo-
p. 172. que omnino contagio diuerſimode ſuſcepto adſcribendus eſt. Caro eiuſmodi animalium comeſta iam inflammationem ventriculi ſubito lethalem, iam febres malignas, iam carbunculos in diuerſis corporis partibus, in gangraenam tranſeuntes, producit. Optimo praecauetur morbus noſter munditie, abluendo partes, quae conſpurcatae fuerunt ſanguine inficiente, aqua cum ſapone vel aceto commiſta cet.
p. 184. Si vero hoc neglectum fuerit, intra 24 vel 36 horas prima periodus morbi abſoluitur, dum nimirum a reſorpta acrimonia cutis leuiter prurit, in veſiculam exiguam, primo pellucidam, poſtmodum bruneſcentis coloris mutatur, quae fricata rumpitur et vnam vel duas guttulas ſeri rubelli fundit. In ſecunda vero periodo tuberculum durum renitens naſcitur, mobile, planum, magnitudine lentis, indolens, colore cutis parum mutata, redeunte pruritu cum caloris ſenſu, intumeſcente circumcirca areola, qui tamen tumor, phlyctaenis obſitus, nondum ſuperficiem tranſgreditur; tunc tuberculum centrale gangraenoſum, fuſcum, duriſſimum, in-

ſenſile

ſenſile redditur. Huius periodi duratio diuerſa eſt, ab aliquot horis ad plures dies. Tertia periodus contextum celluloſum in conſenſum vocat, tumore increſcente magiſque gangraenoſo reddito; tota vicinia interdum ad remotiores vſque partes inflatur ac tenditur: haec periodus in ſubiectis alias ſanis quarto vel quinto die ſeparatione partis gangrenoſae per laudabilem inflammationem terminatur, in debilibus autem et cacochymicis ſubito in periodum quartam tranſit, quae ſphacelum breui lethalem ſiſtit. Sola inflammatio morbum tollit, idque ſaepe ſola, abſque vllis remediis, interdum p. 196.
duodecim demum vel quindecim diebus, quum in aliis ſubiectis idem ſpatio octodecim vel viginti quatuor horarum omnes quatuor periodos percurrat. Differt morbus ratione conſtitutionis cet. aegrorum, ita vt in aliis inflammationi, in aliis eryſipelati, in aliis oedemati, in aliis denique gangraenae propius accedat; in cacochymicis etiam verus interdum anthrax in vicinia vel ipſa parte affecta ſuperuenit; periculoſus fere ſemper grauidis aut partui proximis. Differt porro ratione ſitus; peri- p. 201.
culoſiſſimus in collo et pectore; numero, magnitudine, anni tempore. Expoſitis dein ſignis, quibus ab aliis morbis dignoſcitur, ad curationem accedunt Cll. Auctores. In primo morbi initio di- p. 209.
ſciſſa veſicula humor educendus eſt, et cauſticum modice ſtimulans, v. c. butyrum antimonii vel ſpi- p. 220.
ritus ſalis ope globuli ex linteo carpto confecti, imponendum, formataque eſchara digeſtiuis vtendum. Sin vero morbus hic non cedens ad periodum ſecundam tranſierit, ſcarificationibus opus eſt, poſteaque repetitis cauſticis haecque excipientibus digeſtiuis, adiunctis, ſi neceſſitas poſtulat, remediis internis. Sin gangraena altius iam progreſſa fuerit, inciſiones profundiores, epithemata diſcutientia cet. et prae-

ſertim

ſertim camphora requiruntur. In vltima demum
periodo butyro antimonii aliud cauſticum, commo-
diſſime lapis infernalis vel ſpiritus ſalis, ſubſtitui
debet, adiunctis epithematibus ex cortice peruuia-
p. 238. no et ſpiritu vini camphorato cet. Regiminis re-
mediorumque internorum vſus ex conſideratione
eorum, quae iam adduximus, ſatis patet: ad vo-
mitum, ſi opus fuerit, ciendum tartarus emeticus
cuiuis alii remedio praeſtat; alcali volatili Cll. Au-
ctores ſub initium morbi in ſenibus et ſubiectis
phlegmaticis cum fructu vſi ſunt: ſed in gangrae-
na decocti corticis peruuiani cum acido vitriolico
ſummus vſus eſt.

p. 243. Hac medendi methodo recenſita, alias enarrant
Cll. Auctores aliis ſollemnes, v. c. ignem actualem
loco cauteriorum, epiſpaſtica ex regno vegetabili
cet. Mercurialium tamen vſum, vti in prioribus
p. 253. tractationibus, reprobant. Inde, quibus remediis
abuti ſoleant, docent: exſtirpatione, emollienti-
bus, venae ſectione, purgantibus; et ſic ſubiunctis
iterum propoſitorum epitome et remediorum for-
mulis, toti libro finem imponunt.

XXIII.

Ueber Medicinal-Verfaſſung, eine Rede, am Geburtsfeſte Sr. Hochfürſtl. Durchl. des Herrn Landgrafen zu Heſſencaſſel Friedrich II. am 14. *Aug.* 1782. *von* E. G. BALDINGER, *Offenbach, bey Weiſs und Brede,* 1782. *in* 8. 62 *Seiten.*

i. e.

De politia medica, ſiue de re medica commodis reipublicae adaptanda, oratio habita, ab E. G. BALDINGERO.

Triplicem haec oratio docta, elegans atque diſerta habet commendationem, et a ſolennibus nata-

natalitiis Celſiſſimi Principis, cui ſubmiſſe gratulatur, et ab auſpiciis, quibus munus Profeſſoris medicinae practicae in Collegio Carolino illuſtri clementiſſime ſibi demandatum aggreſſus eſt Cl. Au- p. 9.
ctor, et denique propter materiae dignitatem, gravitatem et praeſtantiam. Iuſtis laudum encomiis praedicat atque celebrat Cl. Auctor in prooemio Celſiſſimi Principis merita in rempublicam, patriam, ciues omnes, praeprimis vero viros eruditos, et in vniuerſam rem litterariam, quibus felicitati omnium ac ſingulorum optime conſuluit, atque ſua indulgentia, clementia et cura efficere voluit, vt omnes et ſinguli in ſuis ditionibus non ſolum viuant, ſed etiam bene viuant. Salutis autem publicae quum ſanitas et remedia hanc concernentia praecipuam partem conſtituant, eiuſque conſeruandae munificentia Sereniſſimi Principis inſeruiat, non meliorem dicendi noſtro iudicio materiam ſeligere Cl. Auctor potuit, quam hanc, cuius ſummam paucis indicabimus. Tribus autem partibus conſilio ſuo ſatisfacere p. 16.
ſtuduit, quarum altera declarat, *rem medicam optime conſtitutam reipublicae vere eſſe proficuam.* Igitur obiectiones refutat, quaſi abſque medicis respubli- p. 17.
cae feliciores ſint; ſed haec obiectio tangit imperitos medicos, quae autem arti ipſi minime aduerſatur. Neque ſeruilis medicorum conditio apud Romanos atro carbone medicos notare poteſt, quippe quae non ad omnes pertinet, quod egregiis ſcriptis doctiſſimi viri demonſtrare ſtuduerunt, neque artem medicam tangit incertitudo et contradictio, quae et in alias doctrinas cadunt. His breuiter refuta- p. 20.
tis, propius ad argumentum, accedit Cl. Auctor declarando, fortunam, felicitatem ac amplitudinem rerumpublicarum ex copia ſanorum ciuium pendere. Respublica aegris repleta aegrotare videtur. Res medica ad prudentiam politicam ſpectat, frequen-

tiae

tiae ciuium proſpicit, regiones populoſiores red-
dit, atque multiplicando genus humanum ſimul de
conſeruando illo cogitat. Curam eorum gerit, qui
p. 21. nondum nati ſunt, aeque ac viuentium, tollit ſteri-
litatem, et arte obſtetricia multi ſeruantur, qui per-
iiſſent, morbos epidemios et endemios limitibus
circumſcribit, atque medicina militaris ſaluti et
p. 27. conſeruationi militum proſpicit. Pars altera expli-
cat *rei medicae defectus vna cum cauſis.* Primo loco
agyrtas, imperitosque nominat medicos, quibus re-
giones deuaſtantur. Ignoratio, ſtupiditas, ege-
ſtas, quibus multi cinguntur medicinam aggredien-
p. 34. tes, aliam conſtituit cauſam. Defectus academia-
rum haud parum confert, et copia ſemierudito-
rum medicorum, quibus premitur respublica, eam
p. 35. fere ſupprimit. Pruritus nouas formulas propo-
nendi, neglectus lectionum ſuper formulas medi-
cas concinnandas, diſpenſatoriorum, ſemiotices,
obſeruationes minus recte inſtitutae, hypotheſium
ſtudium nimium et grapſopyretos ſemidoctos inua-
dens, qui tanquam talpae coecutientes lucis radiis
alios colluſtrare cupiunt, et encomia ephemeridum
p. 39. multos perdunt. Parte tertia *de remediis agit, qui-
bus defectus ſunt corrigendi.* Curandum ante omnia
eſt de legitimo doctorum et experientiſſimorum
medicorum numero, de collegiis medicorum pra-
cticis, de explorandis ingeniis, quae admittenda ſint
vel non. Loci, regionum, aëris, aquarum qualitas
p. 45. ratione morborum conſideranda. Modus in edu-
candis peruerſe vt plurimum medicis aliam eamque
grauem ſuppeditat cauſam malae rei medicae. Aca-
demiarum reformatio, examina et diſputationes
p. 49. frequentiores, inſtitutio nouorum practicorum in
noſocomiis, ad normam Suecicae academiae, rela-
tiones medicorum de obſeruationibus ad comitia

tranſ-

tranſmittendae rei medicae emendandae multum conferunt.

XXIV.

CAII PLINII Secundi Naturalis hiſtoriae cum interpretatione et notis integris IOH. HARDUINI, itemque cum commentariis et adnotationibus HERMOLAI BARBARI, PINTIANI, RHENANI, GELENII, DALECHAMPII, SCALIGERI, SALMASII, VOSSII, GRONOVII et variorum, Vol. V. recenſuit varietatemque lectionis adiecit I. G. F. FRANZIUS. Lipſ. impenſis Guil. Gottlob Sommer, 1786. 8 maj. 746 pagg.

Eumdem finem, quem ſibi propoſuit ab initio huius operis Editor, etiam in hoc volumine perſequutus eſt, atque curauit ſedulo, vt et textus ſuae integritati reſtitutus vna cum animaduerſionibus accurate recuderetur. Illud autem volumen continet quatuor libros, videlicet XIV. XV. XVI. et XVII. copioſa lectionis varietate ditatos atque ornatos. Quum autem multis de cauſis iiſque grauiſſimis retardata ſit huius voluminis impreſſio, in eo elaborabit Editor, vt reliqua volumina eo citius proditura ſint, atque vt feliciter mox hoc opus non tantum finiatur, ſed et neceſſarii indices reliquaque additamenta nouum ſplendorem huic editioni conciliantia ſimul adiiciantur.

XXV.

Bedenklichkeiten über die jetzige Lage der Heilkunſt, von Dr. METZLER. — ici bas le ſeul honneur ſolide c' eſt de prendre toujours la verité pour guide. — *Augsburg*, 1785. 8. 101 *pagg.*

i. e.

De hodierno medicinae practicae ſtatu dubitationes. —

Agitur in hoc libello inprimis de iis, quae incrementis medicinae practicae obſunt, nec non de iis, quae vtilitatem medicinae, quae in omnes redundat, minuunt. Agyrtarum ſcilicet copia in vniuerſa Germania tanta eſt, vt, ſi et vtilitatem medici vere docti aegris adferant, ei tamen ab his pars maxima detrahatur, priuilegio videlicet impune occidendi in pluribus terris fruentibus. Plurimum etiam noxae ipſi medici parum docti medicinae practicae eiusque vtilitati attulerunt, adeo vt doctiſſimi ſagaciſſimique viri ab omnibus temporibus artem ipſam, ob indoctos artem exercentes, odio grauiſſimo perſequuti ſint.

p. 19. Tali modo lapſae medicinae cauſſas Noſter vberius perſequitur. Primam ipſi leges ad valetudinem ciuium conſeruandam ſpectantes aut imperfectae conſtituunt, aut non ſatis obſeruatae. Obſtetrices inprimis aniculaeque omnes pueris morbos mortesque ex neglecta aut nimia cura inducendo, medicos ab aegris arcendo, ſua conſilia medicorum conſiliis immiſcendo, caet. reipublicae admodum nocent. Multum etiam morborum verae medelae ſuperſtitio obeſt, quam clerici fouent, augent, SANCTO HUBERTO certas vires ad canis rabidi morſum, ERASMO ad colicam, OTILIAE ad oculos, WENDELINO ad boum morbos vires occultas tribuentes, eoque modo vulgum mira amantem peſſime decipientes, nec non pompoſa verba, quibus plurimi medicamentorum ſuorum vim magnopere extollunt, quum tamen aut nihil, aut morbo non conuenientia iis praeſtentur. Circumforanei

etiam

etiam plurimi Hungari, aliique medicinas calidas, ſumme aeſtuantes ruricolis diuendunt eoque modo morbos eorum admodum pernicioſos reddunt. Eadem de officinis monaſteriorum pharmaceuticis valent. Pharmacopolis quidem venena promiſcue omnibus vendere lex vetat, ſed licita iis eſt emeticorum, purgantium, medicamentorum omnium venditio, quae tamen pariter, ſi incongrue adhibentur, veneni actionem habent.

Penes chirurgos, qui in vicis pagisque degunt, omnis fere ruricolarum medicina eſt, in iisque, qui veram medicinae cognitionem vllam habeant, pauci admodum ſunt. His itaque mortes copioſiſſimae hominum adſcribendae ſunt, qui meliori arte ſeruari potuiſſent. Vt verbo rem comprehendamus, legibus licet plurimis medicis latis ex omni parte praeſtantiſſimis, impune tamen homines medicinis ſuis tractare, necare, cuiuis licet. p. 44.

Nec minus exitioſa medicorum inſcitia eſt, quorum ignorantia in ſcientia, quam profitentur, omnem ſaepe fidem ſuperat. Pars cauſſarum in ipſa eorum educatione nimis neglecta poſita eſt, in eo, quod in ſcientiis diſcendis iuuenes occupentur maxime inutilibus, ingenium omni modo praefocantibus, diſciplinarum autem, ad medicinam perfecte diſcendam maxime neceſſariarum expertes omni modo maneant, matheſeos videlicet, hiſtoriae naturalis, philoſophiae naturalis, quod denique linguae graecae latinaeque perfecta cognitione plurimi deſtituantur. p. 50.

Verae medicinae a chirurgia ſeparatio exitio fuit. Ea inprimis facta eſt, vt medici externam medicinam negligerent eamque indoctis vtplurimum, praeſertim in Germania viris, chirurgis relinquerent, ſaeuitie vrendi ſecandique magis, quam vera chirurgiae ſcientia, excellentibus. p. 66.

p. 83. *De ſcholis medicis.* Reprehenduntur inprimis eae, quae liberaliſſimae in priuilegiis doctorum impertiendis hominibus praxeos medicae libertatem in Germania dant, quibus omnis verae medicinae cognitio perfecte deeſt.

XXVI.

Noua phyſico-medica.

Academia ſcientiarum, artium bonarumque literarum *Diuionenſis* anno 1786 praemio decorabit optimam huius quaeſtionis ſolutionem: quid diſcriminis intercedat inter phlogiſton et materiam caloris? (*Déterminer par leurs propriétés reſpectives la différence eſſentielle du phlogiſtique et de la matiere de la chaleur.*) Libelli mittendi ſunt more conſueto ad medicinae doctorem, MARET, academiae ab actis, ante initium Aprilis 1786.

Cum academia aliquot abhinc annis coacta eſſet praemium ei promiſſum, qui *theoriam ventorum* optime explicuiſſet, retinere: anno 1783 declarauit, ſe idem praemium iam duplicatum in eum collaturam eſſe, qui quandocunque vellet de iſto argumento ita ſcriberet, vt ipſius plauſum ferret. Sed quoniam necdum tractatus miſſus fuit, qui praemio dignus videretur, rogat denuo academia viros doctos, vt illud argumentum diligenter pertractent. Praemium erit moneta aurea 300 librarum Gallicarum.

In conſeſſu ſocietatis medicorum *Pariſinae* publico, qui fuit die 30. menſis Aug. 1785. haec geſta ſunt:

Praemia ſocietas contulit in quinque viros doctos, qui de quaeſtione ab ipſa anno 1783 propo-

ſita

ſita ita ſcripſerant, vt ipſius plauſum ferrent. Quaeſtio haec fuerat: Quid proſit quidue noceat corticis peruuiani vſus in curandis variis febrium remittentium generibus? (*Déterminer quels ſont les avantages et les dangers du Quinquina adminiſtré dans le traitement des differentes eſpéces de fiévres remittentes.*) Cui quaeſtioni Regis liberalitate praemium conſtitutum fuerat 600 librarum Gallicarum.

Praemia autem iſta hi tulerunt: BEAUMES, Medic. D., BARAILLON, Med. D., RUD. DEIMAN, Med. D., PET. MICHELL, Med. D., qui ambo ſociata opera iſti quaeſtioni inſudauerant, denique P. M. NIELEN, Med. D. Horum vnicuique data fuit moneta aurea 250 librarum Gallicarum. ACKERMANN noſtras, qui Zeulenrodae medicinam profitetur, de illo argumento ad ſocietatem ita ſcripſit, vt *acceſſiſſe* iudicaretur.

Horum virorum libelli curate recenſent omnia febrium remittentium genera, quibus regiones diverſi climatis europaeae obnoxiae ſunt, diligenterque indicant, quas vias medici ad illos morbos debellandos inſtiterint, quisque fuerit corticis Peruviani hac in re vſus.

Societas inde ab anno 1776. fere toties, quoties publice congregata fuit, praemia diſtribuit in eos, qui de medica variarum regionum Gallicarum topographia optime ſcripſerant. Hac in re perget ita, vt totam Galliam complectatur. Rogat igitur medicos omnium vrbium, vt de regionum, quas incolunt, aëre, aquis etc., deque habitantium temperamentis ad ipſam perſcribant. Inprimis optat, vt, qui poſſint, in perluſtrandis regionibus maritimis verſentur. Quos iam edidit libros ad hanc topographiam ſpectantes, poſſunt iis medicis, qui ſocietati volunt gratificari, exempli loco eſſe.

Poſt vltimum conſeſſum, quem ſocietas habuit die 15. menſis Febr. huius anni, duodeuiginti libelli hoc argumentum tractantes allati ſunt, in quibus quatuor digni viſi ſunt, quos qui ſcripſerant, ii praemiis ornarentur. Horum libellorum auctores ſunt hi: POMA, Med. D., qui copioſe ſcripſit de topographia ducatus Lotharingici et regionis montem Vogeſum adiacentis deque morbis ibi frequentibus, atque tulit monetam auream 100 librarum Gallicarum; IEUNET, Med. D., qui topographiam montium comitatus Francici complexus eſt; BERTIN, Med. D., cui debetur topographia inſulae Guadelupenſis et recenſio morborum rerumque naturalium ibi obuiarum; MOUBLETGRAS, Med. D., qui topographiam vrbis Taraſconenſis in Prouincia ſitae tractauit. Horum trium vnicuique ſolitam monetam auream ſocietas dedit.

Laudat probatque ea, quae HOUSSET, Med. D., de hiſtorica, phyſica et medica vrbis Auxerrenſis topographia ſcripſit. Praeterea placuerunt ſocietate libelli hi: is, qui topographiam Lotharingiae Germanicae ſpectat, ſcriptus a DE LA FLIZE, Med. D.; is, quem BONCERF, Med. D., conſignauit de topographia Stamparum (*la ville d'Etampes*); is, quem miſit DROUEL, M. D., de topographia vrbis agrorumque Luneuillenſium conſcriptum.

Denique conſtituit ſocietas laudibus proſequi libellum hunc: *Eſſai topographique et d'hiſtoire naturelle du Mont d'or et des environs, par M. de l'Arbre, Curé de la Cathédrale à Clermont-Ferrand.* Hic eſt is, cuius ſcriptionem topographiam montis auri (*mont d'or*) illuſtrantem in nuperrimo conſeſſu ſocietas laudauit.

Societas praemium 600 librarum Gallicarum à Rege conceſſarum conferet in eum, qui hanc quaeſtionem ſoluerit: In quibus morborum chronicorum

rum generibus et quo tempore in illis morbis febris poſſit prodeſſe aut obeſſe, ac quomodo eius vis ſit excitanda aut minuenda in illorum morborum medela? (*Déterminer dans quelles eſpèces et dans quels tems des maladies chroniques la fiévre peut être utile ou dangereuſe, et avec quelles précautions on doit l' exciter, ou la modérer dans leur traitement.*)

Notum eſt, morborum chronicorum, quemadmodum acutorum, proprias eſſe criſes atque depurationes, hoc vno discrimine intercedente, quod chronicorum ſunt minus obnoxiae certo ſtatoque ordini atque tempori, omninoque minus vehementes; neque minus notum eſt, febris cauſam ſaepe poſitam eſſe in organicarum partium motibus, qui criſin producunt. Iam etſi ex hac reactione interdum proficiſcitur coctio ſalutaris, tamen ſaepe eadem reactio accelerat fuſiones atque ſuppurationes letales. Morborum chronicorum diſciplina, hucusque admodum obſcura, hactenus maximi eſt momenti, quatenus chronici morbi abire in acutos, aut acutorum indolem aliqua ex parte induere poſſunt. Quatenus discrepant inſultus febriles morborum chronicorum ab inſultibus febrilibus acutorum? Quando proſunt in chronicis? Quibus conditionibus proſunt? Quibus indicationibus praeuiis quibusque mediis tunc ſunt excitandi aut minuendi? Huc ſpectat quaeſtio propoſita.

Praemium dabitur in conſeſſu publico ante feſtum Paſchatos 1787. habendo. Ante primum eiusdem anni diem libelli ad ſocietatem miſſi ſint neceſſe erit.

Societas iterum hanc propoſuit quaeſtionem: Quid prodeſſe medicinae poſſint ea, quae nuper ſunt detecta in arte aëris puritatem ope eudiometrorum explorandi? (*Déterminer quels avantages la*

 Méde-

Médecine peut retirer des découvertes modernes ſur l'art de reconnoître la pureté de l'air par les differens eudiomètres.) Praemium erit 600 librarum Gallicarum.

Vt cognoſceretur copia aëris dephlogiſticati in aëre atmoſphaerico contenti, hucusque vſi ſunt viri docti his methodis: *Prieſtleiana*, qua fluidum aëreum e nitro productum cum aëre miſcetur; *Voltana*, qua aër inflammabilis comburitur; *Scheeliana*, qua hepar ſulphuris aëri exponitur. Hae methodi non videntur ſufficere, vt intelligatur; quae ſit natura aëris exhalationibus putridis immutati, quomodoque aër ita comparatus poſſit oeconomiae animali nocere. Iam cum haec res ſit maximi momenti, neceſſaria viſa eſt ſocietati eius perquiſitio, quae adeo animo debebit eorum obuerſari, qui laborem in iſta quaeſtione ſoluenda inſument. Vult ſocietas, vt perquiratur, quid concludi poſſit ex tentaminibus tunc inſtitutis, quando aërem inquinarunt exhalationes exiſtentes ex aegrorum corporibus iis in locis, in quibus magna aegrorum copia congregata eſt. Praemium dabitur in conſeſſu publico feſto St. Ludouici 1787. habendo. Libelli ſunt mittendi ante initium menſis Maii eiusdem anni.

Praeterea in eodem conſeſſu die 30 menſ. Aug. 1785. DE HORNE legit topographiam Pariſiarum phyſicam et medicam; VICQ-D'AZYR, Secretar. ſociet. perpet., elogio celebrauit defunctum CUSSON, Med. D.; TESSIER legit commentationem, in qua oſtendit, quantum valerent gregum migrationes ad morbos ab ipſis arcendos; DE FOURCROY legit libellum tractantem mutationes, quas ſubeunt humores animales ope morborum et remediorum. Finitus autem eſt conſeſſus, cum ſecretarius

rius perpetuus encomio perſecutus eſſet laudes b. BERGMANI, quem ſocium ſibi adſciuerat ſocietas.

Academia ſcientiarum, humaniorum litterarum et artium *Lugdunenſis* in conſeſſu publico, d. 30 Auguſti habito, primum de commentariis ad quaeſtionem de mixtione aluminis cum vino ſecum communicatis egit. Auctores tractatuum praeſertim ad pericula, quae ex vino cum alumine mixto oriuntur, attenderunt, neque omninò conditiones propoſitas ſatis reſpexerunt.

Itaque vni tantum tractatui praemium trium monetarum aurearum tributum eſt, cuius Auctor eſt Cl. ROGER M. D. Quartum autem praemium ita retentum fuit, vt eo duplicetur illud, quod anno 1788 conferetur in optimam huius quaeſtionis reſponſionem: quae ſit methodus ſimpliciſſima, celerrima et certiſſima detegendi praeſentiam ac quantitatem aluminis ſoluti in vino, inprimis in eo, cuius ſit color ruber isque ſaturatus? (*quelle eſt la manière la plus ſimple, la plus promte et la plus exacte de reconnoître, la preſence d'alun et ſa quantité lorſqu'il eſt en diſſolution dans le vin, ſurtout dans un vin rouge, tres coloré?*)

Tractatus 101 ad ſocietatem miſſi ſunt, quibus illa quaeſtio *ad gubernationem globorum volantium* ſpectans ſolueretur. Quorum etſi plures non poterant non laudem plurimam ferre, nullus tamen, qui praemio ornaretur, dignus habitus eſt. Placuerunt inprimis experimenta, quibus MERCIER, Lugdunenſis artifex, coram ipſa ſocietate quaeſtionem illam dilucidare conatus eſt. Quaeſtio ipſa cum fruſtra tot virorum ingenia torſerit, denuo non proponetur.

Societas anno 1786 praemia in eos diſtribuet, qui optime ſoluerint hanc quaeſtionem: quae

 liche-

lichenum ſpecies vſum habeant in medicina et in artibus? (*Quelles ſont les diverſes eſpèces des Lichens dont on peut faire uſage en Medecine et dans les Arts?*) Vt vires iſtarum plantarum novis obſeruationibus atque experimentis detegantur, vult ſocietas. Praemia erunt moneta aurea 300 librarum Gallic., atque argentea. Libelli ante initium menſis April. anni 1786. miſſi ſint neceſſe erit.

Eodem anno moneta aurea 300 librarum Gallic. dabitur ei, qui *de refractione radiorum heterogeneorum* optime ſcripſerit. Ante initium menſis April. tractatus mittendi ſunt.

Lipſica Societas Iablonowiana in annum 1786, quaeſtionem phyſicam propoſuit hanc: *quamnam habent ad ſe inuicem relationem lux, ignis et calor? quid nouiſſimis hanc in rem inſtitutis diſquiſitionibus detectum, et quid vel certe demonſtratum, vel etiamnum dubium eſt?* Optat ſocietas, vt notatu digniſſima experimenta et tentamina deligantur, atque eorum nexus, et quae inde ſequantur, breui, ſed definita oratione oſtendantur.

Omnes omnium gentium docti inuitantur, vt huic quaeſtioni ſoluendae operam dent: atque commentarii, reſponſionesque ad hanc quaeſtionem, latino ſermone conſcriptae, ante calendas Ianuarii, MDCCLXXXVII mittantur, ſolutis vectigalibus ad Cl[um] Profeſſorem HINDENBURG, qui ſocietati eſt per hunc annum a litteris.

Societas agriculturae regia Pariſiis nuper eſt fundata et inſtituta, cuius hiſtoriam proxime vberius referemus. Erit autem huic ſocietati proximus finis, vt in laboribus oeconomicis phyſicam ſcientiam ſemper ſedulo attendat. Cl. BROUSSONET, naturae ſcrutator diligentiſſimus, ſocietati eſt a lit-

litteris: eademque ſibi, litterarum vinculo iunxit Cl^{os} FORSTERUM vtrumque Patrem Profeſſorem Halenſem, filiumque, Conſiliarium intimum Regis Poloniae, et Profeſſorem Villanouienſem, Cl^{um} LESKE, Profeſſorem hiſtoriae naturalis et oeconomiae Lipſienſem; et Cl^{um} SUCKOW Conſiliarium Camerae et Profeſſorem oeconomiae Ienenſem.

Calendis Septembris Anni MDCCLXXXIV. Cl. D. IOANNES GOTTLOB HAASIUS, Facultatis medicae Lipſienſis Aſſeſſor, adiit profeſſionem anatomiae et chirurgiae ordinariam ſibi ab Electore Saxoniae demandatam oratione, qua Anatomen in ſui ſtudioſos non illiberalem eſſe demonſtrauit: quam indixit programmate, quod *myotomiae ſpecimen* ſiſtit, quo muſculi pharyngis velique palatini obſeruationibus quibusdam illuſtrati continentur.

CAROLUS GOTTLOB KÜHN M. D. ad audiendam orationem *de finibus phyſices ac medicae artis regundis*, qua Profeſſoris Medicinae munus d. XIV. Maii, MDCCLXXXV auſpicabatur, pauca de recentiorum phyſicorum circa aërem doctrina in re medica magnae vtilitatis praefatus eſt.

CHRISTIANUS GOTTHOLD ESCHENBACH M. D. demandatam ſibi ordinariam Chemiae profeſſionem adiit programmate, quo *de quibusdam auri calcibus et ſalibus mercurialibus* obſeruationes continentur et oratione, qua *recentioris chemiae faciem adumbrare anniſus eſt.*

De aquae natura aërea ſecundum recentiorum chemicorum experimenta diſputauit et ad audiendam orationem de recentiorum in phyſiologiam meritis, qua munus Profeſſoris medicinae d. XXIX Iun. MDCCLXXXV. auſpicatus eſt, inuitauit D. ERNESTUS BENIAMIN GOTTLIEB HEBENSTREIT, Soc.

 oecon.

oecon. Lipſ. Nat. curioſ. Hallenſis et muſei Pariſ. Sodalis.

Academia regia ſcientiarum Pariſina in conſeſſu die XI Maii MDCCLXXXV. habito, numerum ſociorum chemicorum auxit doctore medicinae atque chemico claro, DE FOURCROY.

Facultas regia Pariſina medica in conuentu, d. 8 Novbr. 1784, elegit Clum SALLIN Doctorem regium ſui ordinis decanum.

Cl. ELSNER *Rechiomonti* factus eſt Profeſſor medicinae.

Mortui ſunt:

Lutetiae Pariſiorum d. IX. Febr. MDCCLXXXV. IO. BAPT. GUIL. FERRAND, Collegii Chirurgici Pariſini Socius, Chirurgus ſuperior noſocomii a Deo dicti, die III Iul. 1763 in collegium chirurgicum receptus, dein ipſius Praepoſitus et Profeſſor conſtitutus. De ſenſibilitate corporis diatriben in opere periodico, *Mercure de France* dicto, ſcripſit, atque SWIETENII commentariorum Tomum VI et VII. cum Clo SUE iuniore, iunctis viribus in Gallicam linguam traduxit.

Lipſiae, die X Iun. anni MDCCLXXXV. PAUL CHRIST. FRID. WERNER, vir iuuenis florente aetate, nuper demum proſectoris anatomici munere ornatus, atque iam diligentibus obſervationibus de taenia, atque de vaſis lymphaticis clarus.

Londini, d. II. Iun. ei. anni IAC. NEILSON, Phyſicus meritiſſimus anno aetatis octuageſimo.

Pariſiis, d. VI. Aug. MDCCLXXXV. Cl. QUATREMERE D'ISJONVAL, Academiae Regiae ſcientiarum Sodalis.

Pecro-

Petropoli, Cl. BRINKMANN, Profeſſor olim Duſſeldorpienſis, atque, dum moreretur, Archiater Ducis magni.

Cl. IO. ANT. SCOPOLI nouum opus botanico-zoologicum editurus eſt, cui titulus erit: *Deliciae florae et faunae inſubricae*. Vt methodus, qua plantae et animalia deſcribentur, perſpiciatur: deſcriptiones plantae et inſecti nobiscum communicauit, quam exempli loco hic ſubiungimus.

GALEGA PULCHELLA.

GALEGA *ſuffruticoſa; foliis* 3-5-*iugis*, *pinnulis deciduis*, *coſtae perſiſtenti inarticulatis*, *oblongis*, *villoſis*.

CAULIS villoſulus, fuſco-rubens, exigua a radice diſtantia ramos proferens alternos, denuo ramoſos, ſubangulatos, ſtriatos, villoſos, totam plantam depreſſuros, niſi fulcro ſuſtentaretur. Caulis, quem coram habeo, tripedalis eſt, et calamo ſcriptorio vix craſſior, rami vero longiores linea geometrica paulo craſſiores ſunt.

FOLIA pinnata cum impare: pinnulis aequalibus, oblongis, vtrinque villoſis, plerisque acuminatis: acumine in nonnullis elongato. Eorum pagina inferior neruulis crebris, parallelis, obliquis lineata. Pinnularum petioli leuiſſimi, villoſi, teretes, viridi lutei, coſtae communi inarticulati. In hac planta folia ima pinnulas deponunt, coſta vero communis perſiſtit, vna cum ea parte petioli, quae articulo ſubiacet. *Stipulae* binae ſetaceae.

PEDUNCULI ex ſummis foliorum alis ſolitarii, biflori, rarius triflori, villoſi, rubelli, calyce brevio-

viores. *Bracteae* binae, ſetaceae, rectae, acuminatae, ad baſim ſinguli pedicelli.

CALYX ſublabiatus, $\frac{2}{3}$ villoſus, flauedine aliqua tinctus, perſiſtens.

COROLLA papilionacea, purpurea, in qua

Vexillum rotundatum, emarginatum, ad cuius baſim macula alba, ouata, albo-radiata. Poſterior huius petali ſuperficies villoſa eſt, praeſertim prope baſim. *Unguis* eius breviſſimus, luteo-vireſcens.

Alae horizontales, adpoſitae, ouales, convexae, calyce duplo certe longiores; vnguibus breuibus, canaliculatis.

Carina ſubouata, acuminata, infra medium in duas partes diuiſa.

Vagina ſtaminifera biualuis: valuula latiore enneandra, tenuiore monandra.

STAMINA alterna longiora.

Antherae luteae.

GERMEN albo villo caneſcens.

STYLUS teres.

Stigma rotundatum.

FRUCTUS ſiccus, pedicellatus, ſtylo perſiſtente terminatus, conſtans vnico inuolucro, in duas valuas demum dehiſcente. Huius longitudo vncialis eſt, quandoque et paullo maior; craſſities raro duas lineas ſuperat.

SEMINA ouata, obtuſa, fuſca, membranula obtecta.

OBSERVATIONES. Cotyledones oblongae, patulae, villoſae. Floruit 21. Iulii, fructus vero maturos protulit 5. Septembris. Pollen antherarum conſtat particulis ouatis, albidis.

Ad *GALEGAE* genus refero, licet nullae fere in fructu occurrant ſtriae obliquae, ſeminibus interpoſitae. A *GALEGA* tincto-*ria*

ria differt foliis vtrinque villoſis, non omnibus emarginatis, et fructu minime pendulo. Neque ad *GALEGAM ſenticoſam* referri poteſt, vt patet conferenti deſcriptionem huius Plantae in *Fl. Zeilan.* a LINNEO datam.

ORDO naturalis *Leguminoſarum.* *Affinitas* proxima cum *Trigonella.*

CULTURA. Seritur in terra fertiliore circa finem M. Martii, in qua germinat poſt vigeſimam a ſatione diem. Poſt duas hebdomadas transplantandae, et per aliquot dies in vmbra reponendae plantulae. Radix quandoque annua eſt, at ſaepius perſiſtit, et ſequenti anno per totam hyemem floret in Tepidario, gradu caloris *Therm. Fahr.* 10 15. vsque ad finem Aprilis. Hyeme pauca indiget aqua, nec multam aeſtivo tempore poſcit. Planta haec ſeminibus facile propagatur, et ex Indiis orientalibus ad nos allatam audio.

In Tabula partes floris et fructus ſeorſim delineatae exhibentur.

ICHNEUMON SEDUCTOR.

ICHNEUMON *niger; abdomine petiolato, pedibus maxima parte luteis, alis anticis apice obſcurioribus.*

Inſectum hoc argillam colligit, eaque caminis noſtris, aut clauſtris feneſtrarum inaedificat nidum variae figurae. In hoc cavitates ſunt fere cylindricae, ſaepius parallelae, quarum quaelibet continet folliculum fuſcum, cylindricum, tenuem, lucidum, papyraceae texturae. In ſingulo folliculo latet larua; capite inflexo, nec totum eiusdem internum ſpatium occupans. Ex hiſce camerumerum-

merulis quaedam tela alba araneacea obtectae videntur, aliae vero hoc operculo carent. Inveniuntur etiam in vna aliaue cauitate ſpolia araneae alicuius, quam inſecta haec occidere ſolent, vt intra eius viſcera ouum deponant, quibus puppa nutritur, donec conſuetam ſubeat metamorphoſim.

Ex eodem nido ſequentia Inſecta prodierunt.

1) *SPHEX* (LINN) *nigra; capite et thorace villoſo; abdomine ouato, petiolato; petiolo luteo, recto, longitudine abdominis.*

Totius Inſecti longitudo eſt linearum 9.

Caput nigris pilis hirſutum, antennae nigrae, 10. articulatae. Labium ſuperius emarginatum. Palpi longiores 4-articulati, minores vero articulis tribus.

Thorax hirſutus, vt caput, antice ſulco transverſo in duas quaſi regiones diuiſus.

Abdomen ouatum, glabrum, thorace, brevius, ſupra conuexum, ſubtus planiusculum, conſtans ſegmentis 6: primo longiore, petiolum amplexante, et in ſingulo latere obſoleto ſinu excauato.

Petiolus abdominis teres, tenuis, vnico conſtat articulo.

Pedes antici femoribus ſeminigris, alibi toti lutei.

Medii ſimiliter colorati.

Poſtici longiores; femoribus ſeminigris; tibiis apice nigris.

Omnium tibiae apicibus biſpinoſis.

Tarſum articulis 4, eo minoribus, quo magis diſtant a tibia.

Alae anticae apex obſcurior, coſta vna cum venis fuſca.

Eſt

Eſt *SPHEX Spirifex* LINN. breuiter a VALLISNERIO, *Oper. II. Tab.* 3. et ab Ill. REAUMURIO *Inſect.* VIII. p. 276. 277. deſcripta, addita icone ad *Tab.* 28. f. 5. annulo abdominali, qui in meo ſpecimine non adeſt.

Haec colligit etiam cementum, quod communiter adhibetur pro aedificiis. An haec operaria?

2) *SPHEX* (LINN.) *nigra; abdomine lineari, petiolato; faſciis binis luteis.*

Totius Inſecti longit. lin. 7.

Corpus nigrum, absque pilis, denſe et minutiſſime punctulatum.

Caput fronte lutea, lineaque pariter lutea inter oculum ſingulum et ei proximam antennam; ore luteo.

Thorax ſcutello luteo puncto notato, aliudque ſimile punctum ad baſim alae anticae ſingulae.

Abdomen tenue, breuiter petiolatum, extrorſum incraſſatum.

Pedes femoribus ſeminigris; tibiis apice nigris, alibi luteis.

Alae hyalinae, apice obſcuriores.

3) *SPHEX* (LINN.) *nigra; abdominis apice, faſcia, apiceque petioli luteis.*

Inſecti longit. lin. $7\frac{1}{2}$.

Corpus glabrum.

Caput fronte lineisque binis flauis. Antennarum articuli 26. Labium ſuperius obtuſum. Palpi vt in prioribus.

Thorax macula lutea trigona ſupra ſcutellum, cuius margo poſticus lineola lutea in medio ſignatus eſt. Punctum luteum ad baſim ſingulae alae anticae.

Abdo-

Abdomen nigrum, faſcia flaua; apice petioli abdominisque luteo.

Pedes antici et medii toti lutei.

Poſtici femoribus ſemirufis; Tibiis apice nigris.

Spinae binae ad apicem tibiae mediae et poſticae.

Ex Larua folliculi a) prodiit probabiliter *Sphex Spirifex*, cum valde ſimilem huius inſecti folliculum et laruam pinxerit ill. REAUMUR *Inſect.* Tab. 28. f. 8. 9. 10.; ex quo ſequeretur, *Ichneumonem* prodiiſſe ex larua folliculi b). Tertii Inſecti laruam et folliculum non quaeſiui, ne metamorphoſes deſtruerentur.

Cum vero probabile non ſit, tria diuerſae ſpeciei, imo et diuerſi generis inſecta ex eodem nido prodire, cum foedus hoc in Inſectis hiſce nondum fuerit obſeruatum, ita ſuſpicari omnino licet, tria haec Inſecta ad vnam eandemque ſpeciem pertinere, adeoque *Spheges* Linneanas eſſe eiusdem ſpeciei mares, *Ichneumones* vero EIUSDEM foeminas eſſe appellandas, quibus tertium indiuiduum a Natura additum ſit, operariis illis analogum, quae in Apum et Formicarum Rebuspublicis occurrunt. Coniecturae huic robur addunt obſeruationes Cl. GEOFFROY, qui in nonnullis Ichneumonum ſpeciebus vidit mares alatos, foeminas autem apteras, et de Ichneumonibus agens, ait, Ichneumonum foeminas aculeos habere, mares vero non item.

Hinc hiſtoria horum Inſectorum de nouo inchoanda, ſpecies ſpuriae a legitimis ſeparandae, et genera genuina ſtabilienda ex attentis ſingulorum metamorphoſibus, ſine quibus nihil certi in Hymenopteris ſtatui poteſt.

Tabu-

Tabula exhibet 1) nidum cum cauitatibus a a a a a) pupas continentibus, quarum aliquae b b b tela obtectae ſunt, et ſpolia araneae in alia d) 2) pupam albam b) et luteam c), cum ſuis folliculis; 3) tria Inſecta A. B. C. in naturali magnitudine, ac duplici ſitu, nempe antico, et laterali; 4) cuiusque inſecti caput, cum inſtrumentis cibariis 2. 3. 4. Denique omnia haec microſcopio aucta, vt quodlibet, vna cum ſuis articulis, et partium naturali figura conſpici queat.

XXVII.

Index librorum phyſico-medicorum, qui anno 1781 prodierunt.

Allgemeines Verzeichniß neuer Bücher mit kurzen Anmerkungen. Sechſter Band. Leipzig. 8.

Phyſicaliſch oekonomiſche Bibliothek. Eilfter Band. Götting. 8.

Schriften der Berliniſchen Geſellſchaft naturforſchender Freunde. Zwoter Band. Berlin. 8.

Commentationes Soc. Reg. ſcientiarum Gottingenſis per a. 1780. Vol. III. Gott. 4maj. c. f.

Bemerkungen der kurpfälziſchen phyſikaliſch-oekonomiſchen Geſellſchaft vom Iahre 1779. *Lautern.* 8.

Rheiniſche Beiträge. 1*ſter und* 2*ter Band. Mannheim.* 8.

Der patriotiſchen Geſellſchaft in Schleſien neue oekonomiſche Nachrichten, auf das Iahr 1780 *u.* 1781. *Erſter und* 2*ter Band. Breslau.* 4.

Der Naturforſcher 15*tes und* 16*tes Stück. Halle* 8.

Nouveaux mémoires de l'Academie royale des ſciences et des belles lettres. Année 1779 Berlin. 4. av. fig.

Phyſicaliſche und mediciniſche Abhandlungen der königlichen Akademie der Wiſſenſchaften zu Berlin.

Aus dem Latein und Franzöſ. von I. L. C. MÜMLER, *d. A. D. Erſter und zweiter Band. Gotha. m. K.* 8. (Laudabili opera Cl. MÜMLER exorditur ex pretioſa collectione actorum academiae ea deligere et ſeparatim in linguam Germanicam verſa edere, quae medicorum et phyſicorum interſunt.)

Philoſophical Tranſactions etc. Vol. LXX. Part. I. II et Vol. LXXI. Part. I. London 4. (*Vol. LXX. epitome tradita eſt comm. noſtr. Vol. XXVI. p.* 563.)

Hiſtoire et mém. de l'acad. roy. des Sciences année 1778. etc. à Paris. 4to (*vid. comm. noſtr. Vol XXI. p.* 401.)

Abhandlungen der königl. Pariſ. Akademie der Chirurgie. a. d. Franz. von D. G. H. KÖNIGSDÖRFER. *5ter Band. Altenburg.* 8.

Iournal de Phyſique. Année 1781. à Paris. 4.

Verhandelingen uitgegeeven door de hollandſche Maatſchappye der Weetenſchappen te Haarlem. XX Deels 1. St. Haarlem. 8.

Verhandelingen van het Bataaſſch Genootſchap der proefonder vindelyke Wysbegeerte te Rotterdam. Vyfde Deel. Rotterdam: 4. Zesde Deel. Ibid. 4.

Verhandelingen van het bataviaaſch Genootſchap der Konſten en Weetenſchappen. 1. Deel. Rotterd. Amſterd. 8.

Nye Samling af det Kongelige Danſke Videnſkabers Selſkabs Scrifter. Kopenhaven. 1ſte Delar. 4.

Kongl. Vetenſkap. Academiens nya Handlingar. T. II. for 1781. Stokholm. 8. (*vid. c. n. Vol. XXVI. p.* 195.)

Der königl. Schwed. Akademie Abhandlungen aus der Naturlehre u. ſ. w. auf das Iahr 1774. *überſ. von A. G.*

A. G. KAESTNER, *der Ueberſetzung* 36 *Band. Leipzig.* 8.

Acta Academiae Scientiar. Imp. Petrop. pro anno 1778. Pars poſterior. Petropoli. 8.

Neue nord. Beyträge zur phyſ. und geogr. Erd- und Völkerbeſchr. Naturgeſch. und Oekonomie. St. Petersburg. 1*ter Th.* 8.

Abhandlungen zur Naturgeſchichte, Chemie, Anatomie, Medicin und Phyſik aus den Schriften des Inſtituts der Künſte und Wiſſenſchaften zu Bologna herausgegeben von N. G. LESKE *mit* I. *K. Brandenburg.* 1 *Band.* 8.

Ungriſches Magazin, oder Beyträge zur vaterländiſchen Geſchichte, Erdbeſchreibung und Naturwiſſenſch. Erſtes Stück. Preßburg. 8.

Leipziger Magazin zur Naturkunde, Mathematik und Oekonomie. 1*ſter Band, Leipzig.* 8. (vid. comm. noſtr. Vol. XXV. p. 313.)

Select Diſſertations from the Amoenitates Academicae, a Supplement to Mr. Stillingfleet's Tracts relating to Natural Hiſtory. Translated by the Rev. F. I. BRAND. Vol. I. London. 8.

Neuer Schauplatz der Natur nach den richtigſten Beobachtungen und Verſuchen, in alphabetiſcher Ordnung. Zehnter und letzter Band. Leipzig. 8.

Dictionnaire des Merveilles de la Nature par M. A. I. S. D. à Paris. 2 Voll. 8.

Iournal of Capt. COOK's laſt Voyage to the Pacifick Ocean, on Diſcovery. Performed in the Years 1776 — 79. Illuſtrated with Cuts, and a Chart, ſchewing the Tracts of the Ships employed in this expedition. Faithfully narrated from the original Manuſcript. London. 8.

Voyage hiſtorique et litteraire dans la Suiſſe occidentale. à Neufchâtel. Tom. I et II. 8.

Obſervations made during a Tour in 1778. through Parts of England Schotland and Wales. In a Series of Lettres. 4.

Tabellen und Fragen über die Natur-Geſchichte Berlin. 8.

Hiſtory of quadrupeds. Vol. 1. 2. London. 4. (Editor eſt Cl. PENNANT.)

Ausführliche Geſchiche der Hunde von ihrer Natur, verſchiednen Arten Erziehung, Abrichtung, Krankheiten und mannigfaltigen pharmaceut. Gebrauch. Leipzig. 8.

Eſſays on Hunting: Containing a philoſophical Enquiry into the Nature and Properties of the ſcent: Obſervations on the different Kinds of Hounds, with the manner of training them. Alſo directions for the Choice of a Hunter; the Qualifications requiſite for a Hunthman; and other general Rules to be obſerved in every contingency incident to the Chace. With an Introduction, deſcribing the method of Hare hunting practiſed by the Greecks. 8vo.

Hiſtoire naturelle generale et particuliere avec la deſcription du Çabinet du Roi. T. XXIII. à Paris. 4.

Hiſtoire naturelle des oiſeaux. T. VIII. (*idem, cum priori, liber, titulo mutato.*)

A diſcourſe on the Emigration of Birds, etc. London. 8.

Hiſtoire des inſectes nuiſibles à l'homme, aux beſtiaux, à l'agriculture et au jardinage. Paris. 12.

Notions elémentaires de botanique avec l'explication d'une carte compoſée pour ſervir aux cours publics de l'academie de Dijon. à Dijon. in 8.

Reliquiae Houſtounianae ſeu plantarum in America meridionali a GULIELMO HOUSTOUN, M.D. R. S.S.

col-

colleſtarum icones, etc. Londini. 4. (*vid. comm. noſtr. Vol. XXV. p.* 310.)

Collection precieuſe et enluminée des fleurs les plus belles et les plus curieuſes, qui ſe cultivent tant dans les Iardins de la Chine, que dans ceux de l'Europe. Cah. 18. à Paris. fol.

Tafereel van Natuur en Konſt. Agtiende Deel. Te Amſterdam. 8.

Grundriß einer Mineralogie. Braunſchweig. Fol. (Auctor eſt Ill. A VELTHEIM.)

Oryctographia Carniolica *oder phyſikal. Erdbeſchreibung des Herzogthums Krain, Iſtrien und zum Theil der benachbarten Länder. Leipzig. 2ter Theil.*

Eſſai ſur la Minéralogie des Monts Pyrénées; ſuivi d'un Catalogue des Plantes obſervées dans cette Chaîne des montagnes: Ouvrage enrichi de beaucoup de Planches et de Cartes. à Paris. 4.

Conſiderations ſur les montagnes volcaniques, mémoire lu dans une ſéance de l'Académie Electorale de Mannheim avec une table et une charte, qui concernent les montagnes. à Mannheim. 4.

Der verkannte Werth des ſächſ. Bergbaues und deſſelben gute Sache. Leipz. 8.

Kurzer Lehrbegriff der Landwirthſchaft und Haushaltungskunſt. Wißbaden. 8.

Hausmutterkalender über die jeden Monat vorfallenden vornehmſten Geſchäfte der Hausmutter. Von dem Verfaſſer der Hausmutter. Leipzig. 8.

Letters and Papers on Agriculture, Planting, etc. London. 8.

Reflexions ſur l'état actuel de l'agriculture. à Paris. 12.

Sur les Bleds germés, par le Comité de l'Ecole gratuite de Boulangerie, imprimé et publié par ordre du Gouvernement. à Paris. 8.

Abhandlung vom Tabacke, worin deſſen Anbau, Mengen, Anfeuchten, Packen und Zubereitungen — gelehrt werden, von einem erfahrenen Tabakshändler. Aus dem Holländ. Leipzig. 8.

Grundriß der Forſtwiſſenſchaft zum Gebrauche dirigigirender Förſt- und Kameralbedienten, auch Privatgutsbeſitzern. Mannheim. 8. *mit* 1 *K.* (Auctor eſt Cl. de Pfeiffer.)

Kurzgefaſter Unterricht in der Baumzucht und der Kenntniß verſchiedener Krankheiten der Bäume, und der dagegen anwendbaren Mittel, wie auch von Raupen, Ameiſen etc. zum Nutzen des Landmanns. Göttingen. 8.

Almanach oder Taſchenbuch für Scheidekünſtler und Apotheker auf das Iahr 1781. *Weimar.* 12.

Pharmacopoea pauperum in vſum inſtituti clinici Hamburgenſis edita, a ſocietate medica. Hamburgi. 8.

The new Britiſh Diſpenſatory the Preparations and Compoſitions of the new London and Edinburgh Pharmacopoeias etc. Lond. 12.

Nouvelle conſtruction d'alembic pour faire toute ſorte de diſtillation en grand, avec plus d'economie dans l'opération et le plus d'avantage dans le reſultat. Edition ſeconde. Partie deuxieme. à Paris. 4.

Das Iohanniskraut, chemiſch-mediciniſch abgehandelt, von Anthropo-Mago-Botanophilo. Leipzig. 8.

An Eſſay on Culinary Poiſons. London. 8.

Medici-

Mediciniſches Wochenblatt für Aerzte, Wundärzte und Apotheker. 2ter Iahrgang vom Iahre 1781. *Frankfurt am Mayn.* 8.

A Diſſertation upon the Nervous Syſtem, to ſhew its Influence upon the Soul. London. 8.

Ordonnance du Roi, portant reglement général concernant les Hôpitaux militaires. du 2 Mai. 1781. Metz. 8.

A Letter to the King, on the Subiect of a new propoſed Inſtitution in the medical Department. London. 4.

The Phyſician's Vade Mecum, or a conciſe Syſtem of the Practice of Phyſic. Extracted from the Writings of the moſt eminent Phyſicians. London. 12.

Handbuch für Leute die keine Aerzte ſind zur Beförderung nützlicher Kenntniſſe. 3ter und letzter Theil. Riga. 8.

Medicinae Praxeos ſyſtema, ex Academiae Edinburgenae diſputationibus inauguralibus praecipue depromtum, et ſecundum naturae ordinem digeſtum. Curante C. WEBSTER, M. D. Tomus 3. Edinb. et Lond. 8.

Guide ou manuel dans le traitement des maladies les plus graves et les plus frequentes. à Paris. 8.

Raports of the Humane Society for the Recovery of Perſons apparently drowned: for the Years 1779 and 1780. London. 8.

Obſervations on the Diſeaſes wich appeared in the army on St. Lucia in 1778 - 1779, to which are prefixed remarks calculated to aſſiſt in aſcertaining the cauſes and in explaining the treatments of thoſe Diſeaſes: with an appendix containing a ſhort addreſs to military Gentlemen on

the means of preſerving Health in the Weſtindies. London. 8.

A Medical and Philoſophical Eſſay on the Theory of the Gout; to which are ſubjoined ſome practical Obſervations on the Effects of Negative Electricity. London. 8.

Short ſtrictures on the method of Treatment recommended by Dr. DAWSON in the Acute Rheumatiſm. Lond. 12.

De l'allaitement et de la premiere education des Enfans, par l'auteur de l'eleve de la nature. à Geneve. 12.

Nouvelle méthode d'extraire la Pierre de la Veſſie urinaire par deſſus le Pubis ſans le ſécours d'aucun fluide dans la Veſſie. Paris. 8.

Hints on Diſeaſes that are not cured: addreſſed to the Faculty only. London. 4.

Stolpertus, of de jonge Arzt, by het Krankbed. Uit het Hoogduitſch vertaald. 's Gravenhage. 8.

The complete Foreing Gardener etc. etc. By JOHN ABERCROMBIE — London. 12.

Das Leben I. C. Dippels beſchrieben von I. CHR. G. ACKERMANN. *Leipzig.* 8.

Inſtruction ſur les Bois de marine, contenant des détails relatifs à la Phyſique et à l'analyſe du chêne et en ce qui concerne l'économie et l'amélioration du bois en général, per M. TELLES D'ACOSTA. Paris 12.

yſtematic Elements of the Theory and Practice of Surgery. By IOHN AITKIN. London. (*vid. comm. noſtr. V. XXV. p.* 418.)

I. ANDRE *über den veneriſchen Tripper. Leipzig.* 8. (vid. c. n. Vol. XXV. p. 228.)

Account

Account of an Elaſtic Trochar, conſtructed on a new Principle of Tapping the Hydrocele. By I. ANDREE. London 8. (*vid. comm. noſtr. Vol. XXVI. p.* 313).

Compendio d'un corſo di lezionj fiſico-experimentali, del ſign. GEORGIO ATWOOD. — tradotto del Ingleſe, ed aumentato d'una diſſertatione ſul calcolo del errore probabile nelle eſperienze ed oſſervazioni, del P. GREGORII FONTANA Pavia. 8.

C. G. ATZE's *Naturlehre für Frauenzimmer. Breſslau und Leipz.* 8.

Abhandl. von dem Wachsthume der Früchte aus dem Bau der Pflanzen hergeleitet. Aus dem Latein. überſ. von JOHANN *Grafen* VON AUERSPERG. *Augsburg.* 8.

Mémoire ſur la réforme des Thermométres par M. L. A. B. Paris. 8.

E. G. BALDINGER programma: Hiſtoria Mercurii et Mercurialium. Pars I-V. Götting. 4. (vid. comm. noſtr. Vol. XXVI. p. 597.)

BALDINGERS *neues Mag. für Aerzte. 3ter B.* 1-4. *St. Leipzig.* 8. (vid. comm. noſtr. Vol. XXV. p. 474).

Principi di Fiſica particulare di GIROLAMO BARBARIGO. Padova. 8.

The Genera Inſectorum of LINNEUS exemplified by various ſpecimens of Engliſh Inſects drawn for Nature by IAMES BARBUT. London. 4.

Miſcellanies by the honourable DAINES BARRINGTON. London. 4.

Eſſai d'une nouvelle mechanique des mouvemens progreſſifs del'homme et des animaux. Par M. DE BARTHÉZ. à Paris. 4.

L' art des accouchemens par Mr. BAUDELOQUE. avec fig. Voll. 2. Paris. 8.

B. BAUMER diſſ. de conſenſu partium corp. hum. eiusque cauſſis. Gieſſ. 4.

Recherches chymiques ſur l'etain faites et publiées par ordre du gouvernement; Par Mm. BAYEN et CHARLARD. à Paris. 8.

Obſeruations Medical and Political on the Small Pox and Inoculation, etc. By W. BLACK. M. D. London. 8.

BLUMENBACH de generis humani varietate natiua. Götting. 8. edit. 2da. (vid. c. n. V. XXIII. p. 14.)

BLUMENBACH *über den Bildungstrieb und das Zeugungsgeſchäft. Gött.* 8.

BÖHMERI de fonticulis eorumque effectibus. Halae. 4.

BOEHMERI, diſſ. inaug. Spermatologiae vegetabilis Pars IV. de ſeminum ad ſementem praeparatione reſp. I. G. TIEMANN. Viteb. 4.

Eiusd. ſpermatologiae vegetabilis Pars V. de ſeminum ſatione; reſp, C. A. BESSER. ibid. 4.

Lettres ſur la Sicile et ſur l'isle de Malthe par M. le C. DE BORCH, 2 Vol. à Turin. 8. (vid. c. n. Vol. XXVII. p. 482.)

Gemeinnützige Naturgeſchichte des Thierreichs, ausgefertigt von D. G. H. BOROWSKI. *2ter Band. Berlin und Stralſund.* 8.

Diſſertatione ſopra una cieca nata guarita, in cui trattaſi di una rara ſpecie di Cataratta connata: di GIOVANNI BORTOLAZZI. Verona. 8. (vid. c. n. Vol. XXV. p. 408.)

E. G. BOSE Progr. Gibboſae ex rhachitide exemplum. Lipſ. 4.

Eiusd. Progr. de gibboſorum ex rhachitide moleſtiis. Lipſ. 4.

Deſcription des Alpes pennines et rhetiennes par M. T. BOURRIT. Tome I. II. A Genève. 8. (vid. c. n. dec. III. ſupp. 3. p. 540.)

Diction-

Dictionnaire raiſonné de phyſique par Mr. BRISSON. T. I. II. Paris. 4.

A. BRUCKMANS *Beobachtung über die Verwandſchaften des Magnets a. d. lat. üb. und mit einigen Anmerkungen vermehrt von M.* C. G. ESCHENBACH. *Leipzig.* 8.

De l'influence des affections de l'ame dans les maladies nerueuſes des femmes avec le traitement qui convient à ces maladies. Par M. DE BEAUCHENE. à Montpell. et à Paris. 8.

Beiträge zur Oekonomie, Technologie, Polizey- und Cameralwiſſenſchaften von IOH. BECKMAN. *5ter Theil. Göttingen.* 8.

Beyträge zur Geſchichte der Erfindungen, von IOH. BECKMANN, *2tes Stück. Leipzig.* 8.

Anleitung f. d. Landwirthe zur Verbeſſ. d. Viehzucht von I. C. BERGEN. *Berlin und Stralſund.* 8.

Conſiderazioni intorno alle malattie dette volgarmente putride del Dottore FRANCESCO VACCA BERLINGHIERI. Lucca. 8.

A. G. BERTRAM diſſ. de ſpaſmo ab exinanitione coniecturae. Halae. 8.

I. C. BESSON diſſ. de extrauaſatione ac commotione cerebri. Erfurt. 4.

IOH. LUD. BIANCONI — *Sendſchreiben über den A.* CORNEL. CELSUS *an den Abbt* HIERONYMUS TIRABOSCHI, *aus dem Ital. überſ. von L * *. Nebſt einer Zuſchrift von D.* CARL CHR. KRAUSE. *Leipzig.* 8.

C. BICKERS *praktiſche Arzneimittellehre nebſt ausgeſuchten Verbindungen und Formeln von Arzneyen. Aus dem Lateiniſchen überſetzt. Frankf. und Leipz.* 8.

D. R. BIEDERMANN diſſ. inaug. de fraudibus et erroribus quibusdam pharmacopoeorum et quomodo cognoſci queant. Göttingae. 4.

C. BIS-

C. BISSET's *Verſuche und Bemerkungen in der Arzney - und Wundarzneykunde. Aus dem Engliſchen überſetzt von* I. W. MÖLLER. *Breslau.* 8.

S. I. BRUGMANS lithologia Groningiana. Groning. 8.

D. I. W. CHR. BRÜHL diſſ. inaug. de pabulo vitae ceu de materia, cui cum animalia, tum vegetabilia vitam debent ac nutritionem. Marburg. 4.

M. T. BRÜNNICH *Mineralogie, aus dem Däniſchen überſetzt mit Zuſätzen des Verfaſſers und einer Anzeige der bisher bekannten ruſſiſchen Mineralien vermehrt. St. Petersburg und Leipzig.* 8.

Obſeruationes circa Radicis Gei vrbani ſ. Caroyphyllatae vires in febribus, praecipue intermittentibus aliisque morbis, inſtitutae a R. BUCHHAVE — Haun. 8. (vid. c. n. Vol. hui. p. 113.)

Etrennes du Printems aux habitans des campagnes et aux herboriſtes par M. BUC'HOZ. à Paris. fol.

Anleitung zum Aderlaſſen für ungeübte und angehende Wundärzte von D. I. I. H. BÜCKING. *M. K. Stendal.* 8. (vid. c. n. V. XXV. p. 706.)

BUFFONS *Naturgeſchichte der Vögel. 5ter Band. Leipzig.* 4. *m. K.*

Epochen der Natur, überſetzt aus dem Franzöſiſchen des Hrn. Gr. V. BÜFFON. I. 2. *Band. Petersburg.* 8.

Nouvelles obſeruations et récherches analytiques ſur la Magnéſie du Sel d'Epſom, ſuivies de reflexions ſur l'union chimique des corps. Par P. BUFINI. Geneve. 8.

Eſſai ſur l'art de cultiver la canne et d'en extraire le ſucre. Par M. D. C — X. de la ſociété royale de Londres. Paris. 8.

Eſſai

Eſſai ſur les principes de la Greffe et ſur les moyens de la faciliter et de la perfectionner par M. CABANIS. Paris. 12.

Ratio occurrendi morbis à mineralium abuſu produci ſolitis, auct. THEODORICO-PETRO CAELS Amſtelod. et Bruxellis. 12.

Eſſai ſur la génération de l'homme, par M. CALME. Amſterd. et Paris. 8.

Abhandlungen des Hippokrates, C. CELSUS *und* PAULUS VON AEGINA, *über die Fiſteln und Vorfälle des Afters, überſetzt und mit Anmerkungen und Beobachtungen erläutert von* P. CAMPER. *Aus dem Holländ. Vermehrte Ausgabe. Leipzig.* 8.

F. L. CANCRINUS *erſte Gründe der Berg- und Salzwerkskunde, achter Theil, welcher die Scheide- oder Aufbereitungskunſt der Mineral. enthält; mit* 21 *Kupfertaf. Frankf. am M.* 8.

I. PH. V. CAROSI'S *Reiſen durch verſchiedene polniſche Provinzen mineral. und andern Inhalts.* 1. *Th. Leipzig.* 8.

Nouveaux principes de Phyſique, ornés de planches, dédiés au prince royal de Pruſſe; par M. CARRA. 2 Voll. Paris. 8.

Traité des propriétés, vſages et effets de la Douceamere dans le traitement de pluſieurs maladies et ſur-tout des maladies dartreuſes, par M. CARRERE. Paris. 8.

SIMON MAYER CASSEL Diſſ. de febribus intermittentibus. Gieſſ. 4.

Leſſico farmaceutico-chimico contenente li remedi piu uſati d'oggidi, opera di GIUSEPPE CASSIVUCH. Venezia fol. (Multa obſoleta, et invtilia remedia continet, nonnulla tamen inſunt, quibus obſeruatis melius faciliusque pharmaca parari poſſunt.)

A Trea-

A Treatiſe on the Nature and Properties of Air and other permanently elaſtic Fluids, to which is prefixed an Introduction to Chemiſtry. By T. CAVALLO. London. 4.

Mémoires ſur l'électricité médicale, Hiſtoire du traitement de vingt malades traités et la plupart guéris par l'électricité, par M. MAZARD DE CAZELLES. à Paris. 8.

Eſſai ſur l'electricité naturelle. Par M. LE COMTE DE LA CEPEDE. 2 voll. Paris. 8.

Meteorographie, ou art d'obſerver d'une maniére commode et utile les phénoménes de l'atmoſphere, contenant la deſcription de deux *Barométrographes ou Barométres*, qui tiennent note par des traces ſenſibles de leurs variations, et des tems, precis ou elles arrivent; avec l'idée de pluſieurs autres inſtrumens météorographiques, quelques remarques ſur les tentatives faites en ce genre et celle que l'on propoſe, etc. on y a joint deux planches en taille-douce. Par. M. CHANGEUX. à Paris. 4.

Syſtème de la Nature ſur le Virus écrouelleux, ou Médécine Empirique par le Docteur CHAPPOT. Tome premier. à Toulouſe. 8.

Recherches chimiques ſur l'etain, faites et publiées par ordre du Gouvernement, ou réponſe à cette queſtion: peut on ſans aucun danger emphloyer les vaiſſeaux d'etain dans l'uſage économique? par Mr. BAYEN et CHARLARD, etc. à Paris. 8vo.

Diſcours philoſophiques ſur les trois principes, animal, végétal et minéral, ou la clef du ſanctuaire philoſophipue, par SABINE STUART DE CHEVALLIER etc. II Vol. à Paris. 12.

Reliqua proxime.

Con-

Contenta in hac parte.

I. *Magazin für die gerichtliche Arzneikunde 2ten Bandes 2 — 4tes Stück.*
Neues Magazin für die gerichtliche Arzneikunſt 1ſtes und 2tes Stück. p. 387
II. Scriptorum latinorum de aneuryſmatibus collectio edidit THOM. LAUTH. 398
III. CHRIST. FRIDR. DANIEL *Entwurf einer Bibliothek der Staatsarzneikunde.* 405
IV. IO. GOTTF. ESSICH *Auswahl diätetiſcher Mittel.* 415
V. EIUSD. *Anweiſung zu einem langen und geſunden Leben.* 422
VI. LUD. DURETI interpretationes in HIPPOCRATIS Coacas praenotiones, editio noua. 435
VII. Eſſai ſur les moyens de perfectionner les études de medecine par Mr. TISSOT. 426
VIII. Trattato delle acque minerali di NICOL. ANDRIA. 442
IX. A chemical analyſis of Wolfram by D. DE LUYART. translated by CHARL. CULLEN. 451
X. The London Medical Iournal Vol. VI. 471
XI. THEOD. HOOGEEVEN tractatus de foetus humani morbis. 474
XII. Prodrome d'un ouvrage ſur le ſyſteme des vaiſſeaux lymphatiſques par PAUL MASCAGNI. 476
XIII. ED. SANDIFORT exercitationes academicae Liber 2dus. 279
XIV. TORB. BERGMAN commentationes e quarto novorum Regiae ſcient. Soc. Vpſ. actorum tomo excerptae. 480
XV. Lettres ſur la Sicile et ſur l'iſle de Malthe (par C. DE BORCH). 482
XVI. Riſultati di ſperienze ſui vaſi ſanguigui e ſul ſangue (di BALS. CARMINATI). 489
XVII. Diſcorſo de vantaggi della educazione filoſofica nello ſtudio della chimica. Auctore MOSCATI. 491
XVIII. Recherches analytiques ſur la nature de l'air inflammable (par M. SENNEBIER). 493
XIX. Voyage mineralogique et phyſique de Bruxelles à Lauſanne (par M. le Comte RAZOUMOWSKY.) 494

XX. *Kleine phyſikaliſch chemiſche Abhandl. von* IOH. FRIEDR. WESTRUMB. 487
XXI. Chemicae commentationes academiae Electoralis Moguntinae ſcientiarum, quae Erfurti eſt. 501
XXII. Methode de traiter les morſures des animaux enragées et de la vipére etc. par M. ENAUX, et M. CHAUSSIER. 519
XXIII. *Ueber Medicinal Verfaſſung von* E. G. BALDINGER. 524
XXIV. C. PLINII naturalis hiſtoria ex editione I. G. F. FRANZII. Vol. VI. 527
XXV. *Bedenklichkeiten über die izige Lage der Heilkunſt von* D. METZLER. ib.
XXVI. Noua phyſico medica. 530
XXVII. Index librorum phyſico medicorum, anno MDCCLXXXI editorum. 545

COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.



VOLVMINIS XXVII. PARS IV.

LIPSIAE, MDCCLXXXVI.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
Londini apud Pr. Elmsly, Edinburgi apud Elph. Balfour, Lugd. Bat. ap. Fratres Luchtmann, Pariſiis apud Barroi ſenior. Venetiis apud Io. Bapt. Paſquali, Milano apud Ioſ. Galeazzi, Auguſtae Taurinor. apud Laurent. Giraud, Holmiae apud Ioſ. Molini, Holmiae apud M. Swederum.

I.

Kongl. Vetenſkaps Academiens Nya Handlingar Tom. V. 1784. Stockholm, tryckte hos Ioh. Georg Lange 1784. pag. 336. in 8v. tabb. aen. 8.

i. e.

Noua Acta Ac. Reg. Scient. Suec. Tom. V. anni 1784.

Trimeſtre primum.

DAN. MELANDERHIELM, de tempeſtate aeſtatis 1783. Conſtanter ventorum cauſſas, ſolis et lunae attractiones calculo ſubiecit Dom. D'ALEMBERT, in *Reflexions ſur la cauſe générale des Vents* ſcripto ab Ac. R. Sc. Pruſſ. 1746. praemio ornato. Ad variabiles pertinent calor ſolis, vapores varii generis. Illarum effectus magis praeualet in regionibus polo vicinis, vbi minor eſt vis conſtantium. Aeſtas breuis et calida 1783 efficiebatur inprimis a vaporibus, qui, tellure in Sicilia et Calabria concuſſa, ex cryptis ſubterraneis erumpebant, et atmoſphaerae miſcebantur. Haec vlterius perſequitur Cl. Auctor et ex ſimilibus vaporibus explicat illum aëris obfuſcati ſtatum quem *Hoehenrauch* appellant. p. 3.

II. Editur ſcriptum Comitis SVEN CRONSTEDT, iam vita functi, anno 1770, 1771. Agit de *fiſſuris glaciei* in lacu *Målar*, longe excurrentis, dum glacies cum fragore ad plura milliaria audiendo rumpitur, et terra late circum circa tremit. *Vråkar* appellant. p. 19.

III. ZACH. NORDMARK docet reperire *indices variationis curuaturae*. p. 28.

 IV. AND.

p. 34. IV. AND. IO. HAGSTRÖM, de *opii vſu in lue venerea.* Experimentis, tum in noſocomio inſtitutis, tum in propria praxi, comperit, opium nihil prodeſſe, vbi mercurius ante fruſtra erat adhibitus, hoc autem auxilium ferente, rectius iudicat, ab opio abſtineri. Magnis etiam doſibus, quas iam commendant medicorum aliqui, datum, vitae et valetudini aegrorum minari.

p. 40. V. ARVID FAXE deſcribit *Gaſtrodyniam cum vomitu amurcae ſic dictae atrabiliariae, vt et ſanguinis.* Materia nigra et vomitu, et per anum excreta, omnino ſimilis vernici nigro Sinenſi, viſcida, erat *bilis atra*, quae cum in pancreate eſſet coacervata, eo in loco dolorem excitauit et vomitum. Euacuata illa, aegro priſtina ſanitas rediit.

p. 47. VI. IO. OTTO HAGSTRÖM per aliquod tempus ſeruauit *Teſtudinem puſillam* LINN. S. N. ed. XII. p. 333. et quaedam de eius oeconomia refert. Veſcebatur floribus violae odoratae, item trifolii montani. Ingruente frigore, iam menſe Septembri, coepit minus appetere nutrimentum, poſt ſine omni cibo ſubſtitit inde a 1. Nov. 1782. ad 1. Mart. 83, quod ab aëre frigidiore in loco, vbi commorabatur, deducit: Nam hyeme 1784 inde a fine Ianuarii effecit, vt locus ille caleret gradibus 15, tunc iam Februario menſe coepit veſci floribus trif. montani, aeſtate praecedente decerptis et in vmbra ſiccatis.

p. 52. VII. CAR. RINMAN edit *experimenta* cum *Zeolitho* inſtituta, plura et curioſius inſtituta, quam vt hic excerpi queant. Calcareae terrae poſt ſiliceam maximas partes in componendo Zeolitho tribuit, praeterea illi inſunt magneſia, argilla, ferrum calcinatum, tandem aqua acido aëreo impraegnata.

p. 70. VIII. C. P. THUNBERG recenſet *mineralia et gemmas*, quae in inſula *Ceylon* vidit. Quem lapidem

dem Europaei Turmalinum vocamus, electrica virtute celebrem, illi non idem nomen tribuunt inſulani, ſed Turmalinos nominant lapides nihil electrici habentes, colore et perſpicuitate varios.

IX. B. N. BERKENMEIR de *propagatione hirudinum*. Hirudinem feminam praegnantem ſeruauit, ea edidit aceruos ouorum minutiſſimorum, quae vel microſcopio ſpectata non maior a ſemine maiorani apparebant; his tribus ſeptimanis incubuit, ita magnitudine creuerunt, vt lente ſpectata braſſicae ſemino aequare viderentur, prodierunt proles ſingulae ex ſingulis ouulis, perpetuo ventri matris adhaerentes circiter duobus menſibus, deinde matri mortem intulerunt, ſibi ipſi viuentes. p. 81.

Trimeſtre ſecundum.

I. IO. GUST. EDELFELT edit obſeruationes miſcellas *minerologicas* ad montes Iemtlandiae pertinentes, inprimis de natura et ſitu ſtratorum. Incipiunt illae a libellationibus cataractarum, quas olim *Stenius* inſtituit. Lacus quidam in illis montibus, quem magnum appellant, *Storſiö*, vltra ſuperficiem maris (*die Oſtſee*) eleuatur vlnis 640, diſtat a mari milliaribus Suecicis 24. p. 89.

II. Vbi optime operationes ſint inſtituendae ad *montium illorum Iemtlandiae altitudinem ſupra mare* inueſtigandam, inquirit NIC. MARELIUS. p. 103.

III. CAR. WILH. SCHEELE *de acido Citri cryſtalliſando.* Succo mali citrei ebullienti iniicit cretam in puluerem redactam. Eam acido citri ſaturatam, *calcem citratam* aqua calida eluit, donec infuſa aqua, colore omnino orba, rurſus abeat. Calci citratae ita lotae adfundit acidum vitrioli aqua dilutum, quae ebulliunt, refrigerantur, filtrantur, gypſum, quod in filtro reſtat, aqua frigida eluitur, vt acidum adhaerens ſeparetur, acidum, quod trans- p. 105.

iit filtrum, ad conſiſtentiam ſyrupi tenuis euaporatur, rurſus ad ſeparandum gypſum filtratur, an adhuc contineat calcem citratam, acido vitrioli examinatur, et hoc caſu liberatur eodem acido a calce cryſtalliſationem impeditura, acidum rurſus filtratur, ſuper orbe ex porcellana facto leni calore euaporatur, aut ad conſiſtentiam ſyrupi tenuis redactum in loco ſubfrigido reponitur, vbi in cryſtallos coit, ſiccas, humidum ex aëre non attrahentes, ita variis vſibus aptas.

p. 109. IV. T. BERGMAN *Obſeruationes mineralogicae.* Suſpicatus erat, cum *terra grauis* non niſi acido vitrioli vnita noſceretur, vbi nomen *ſpati grauis* nanciſcitur, repertum iri, acido aëreo, calci, et aliis terris iunctam. Id experientia confirmauit, reperit enim 1783 D. WITHERING prope Leadhile Scotiae terram grauem, quae cum mero acido aëreo in maſſam duram coierat. Eius ſpecimina cum adhuc exſpectet, aliud quod Dom. SCHWEDIAUER BLAK Edinburgi tradiderat, accepit; in illo centenarii partes calcis 92 ſunt, terrae grauis 8. Porro cryſtalliſationem examinat, Freibergae repertam, et *Stangenſpat* appellatam. Totam reperit conſtare terra graui acido vitrioli ſaturata. LESKIUS Lipſia miſerat mineram Altenbergenſem, ex duabus maſſis ſingulari modo coagmentatam, altera alba, opaca, altera fuſca, lamellis maioribus conſtante, nitente. Prioris, quam *Schoerlum album* nominant Saxones, centum partes continent 52 argillae, 46 ſilicis, 2 aquae, vt ſingularem ſpeciem argillae conſtituat. Altera habet 40 partes ſilicis, 5 magneſiae ab acido aëreo liberae, 9 calcis magneſii martialis, vt ſit varietas micae (*glimmer*). Zeolithorum duae iam varietates innotuerunt, ad chalybem ſcintillas edentes, quas ad id genus pertinere cum analyſis chemica doceat, non licet mineralogo duri-

tiem

tiem ad ſpecificos characteres referre, multo minus ad genericos, porro, cum hae varietates minus ſilicis contineant, alia, ſcintillas non edente, non pendet durities a ſilicis copia. Alia etiam examinat, vt terram, cui nomen *Loam*, cui in Anglia plantae in hybernaculis adſeruandae immittuntur; aliam *Wad* prope *Derbyſhire* in Anglia repeхiundam, quae immiſſo in fouea, in fruſto huius terrae excauata, oleo linei inflammatur. Ei multum ſimilitudinis eſſe reperit cum magneſio (*Braunſtein*), quod credit, ſi eodem modo tractetur, flammam editurum.

V. BEN. REINH. GEIER *terras quaſdam* et *lapides ante tubum ferruminatorium* examinauit, *flatu excitato ope aëris dephlogiſticati*, quem *igneum* appellat. Primo agit de variis mediis aërem illum ſatis magna copia obtinendi. Optimos reperit alembicos, ex ferre fuſo (*takjärn*) qui, ſatis craſſi, plures operationes pertulerunt. Tali alembico quartariorum (*quartier*) quinque ſpatium continenti, immiſſae 20 aut 24 ſemunciae nitri, praebent 1300 ad 1500 digitos cubicos aëris dephlogiſticati. Aucto calore ſub finem operationis, expelluntur 400 ad 600 digiti cubici aëris, vehementer olentis acidum nitri, in quo ligneolum accenſum ardeat, vt in aëre atmoſphaerico. Hic quidem aër naſcitur nitri cum ferro detonatione inchoata, itaque ne cum priore dephlogiſticato miſceatur huic frequenti examine cauendum eſt. Equidem non puriſſimus eſt aër dephlogiſticatus in vaſis metallicis obtentus, ſed tamen, ſi inquinamentum quod diximus ſatis arceatur, aeque vehementer agit ad fuſionem terrarum et metallorum, ac is, qui obtentus erat ex nitro in retortis vitreis fuſo. Flatui excitando preſſionem aquae Noſter adhibuit. E terris et lapidibus 30, quos examinauit, vnum alterumue ſal-

p. 122.

 tim

tim ſpeciminis loco adferamus. Adamantes exigui, politi in illas figuras, quas a *tabula* et a *roſa* nominant, circiter ponderis $\frac{1}{4}$ carati, lente calefacti, vehementiſſimae deinde flammae expoſiti, nitorem et facies politura datas perdiderunt, perpetuo minuebantur, poſt flatum 2 aut 3 minutorum, tam parvi, vt fluxus aëris illos a carbone auferret. Rubinus, vehementiſſimo calore, paulo minus perſpicuus euaſit, coloris maximam partem retinuit, in globulum vt pars fuſa coiret, effici non potuit, pars fuſa, acie alius rubini examinata, aliquanto mollior facta viſa eſt.

p. 134. VI. PET. ION. BERGIUS obſeruata in *epidemia* variolarum edit. Confirmat, quae ab aliis iam tradita ſunt, vt: frigide habendos aegros. Ad domum paruulis ſuſcipiendis deſtinatam infans variolis laborans in corbe, paucis centonibus tectus, hieme frigido ad portam ponebatur. Receptus frigore per-
p. 140. ſtrictus, paulatim calefiebat. Variolae frigore ita ſubſederant, vt vix amplius apparerent, iam vero calore rurſus attollebantur, et morbum infans feliciter ſuperauit. Vnde colligit BERGIUS, neque vehementiſſimo frigore effici, vt variolae omnino intra cutem recedant. In locis, vbi aegri ex variolis decumbunt, ne contagium alio deferatur, nec ipſe conſidet, nec pileum aut ſimilia in ſellas reponit, manus, poſtquam tetigit varioloſos, lauat, inprimis portis allini contagium credit ab iis, qui aegris miniſtrant.
p. 151. Veras variolas, eundem hominem bis adoriri nunquam vidit, neque ei, cui recte inſertae fuerunt variolae, rurſus iis laboraſſe. Durauit epidemia, inde ab exitu Auguſti 1783 ad initium Maii 1784, quo tempore, *Holmiae* hoc morbo obierunt homines 1043. Vnde colligit, quanti reipublicae interſit, inſitis variolis, hoc malum praecaueri.

VII. GLAU-

VII. CLAUDIUS ALSTRÖMER deſcribit *inſtrumentum*, *fundo maris examinando.* Coeperunt Sueci, halecibus minoribus, quos *Sill* appellant, vti ad eliquandam pinguedinem, quae adhiberi poſſit loco eius, quae ex cetis eliquatur (*Trahn*). Obiectum, quod poſt cocturam quiſquiliarum in mare fertur, et fundum maris altiorem reddere cum nauigationis impedimento, et ipſis illis piſcibus nauſeam excitare, qua efficiatur, vt loca illa derelinquant. Itaque cogitatum eſt de methodo fundum maris iis in locis examinandi. Id ſatis ſimile eſt terebrae ſic dictae metallicae. Qualis repertus ſit fundus maris non refertur, id ſaltim narratur, pertigiſſe inſtrumentum ad 10 pedes infra fundum maris, ſupra quem aquae ſuperficies attollebatur pedibus 21, vt longitudo inſtrumenti fuerit pedum 31. p. 155.

VIII. NIC. LANDERBEK formulas vſui aptiſſimas exhibet *variationi curuedinis et radii curuaturae* inueniendis. p. 158.

IX. ANDR. SPARRMAN deſcribit *Lacertam americanam*: cui nomen *Sputator;* habitat in ligno, et adeo aedibus ligneis inſulae St. *Euſtachii* nemini nocens, niſi irritetur, tunc inimicum conſpuit ſucco nigro, puſtulas in locis corporis, in quae incidit, excitante, quae vero facile ſanantur ſpiritu vini camphorato, et illo liquore, quem *Rum* appellant. Longitudo eſt 2 digitorum a naſo ad anum, cauda $2\frac{1}{4}$ digiti. Eſt: cauda tereti mediocri, ſubtus ſerie ſcutorum longitudinaliter inſtructa, corpore cinereo ſupra faſciis albis, colore hepatico antice poſticeque marginatis, notato. p. 164.

Trimeſtre tertium.

I. ANDR. SPARRMANN alteram *lacertam* americanam deſcribit, *bimaculatam* (v. Trim. II. art. 9.) p. 169.

Vtraque Praepoſitus ACRELIVS ditauit collectionem Perill. DE GEER. Defuncto poſſeſſore, a vidua Academiae R. S. traditum. Eſt: cauda carinata, denticulata, corpore duplo longiore, digitis palmarum, plantarumque, lobatis. Et huius, et prioris, icones exhibentur.

p. 172. II. D. MELANDERHIELM de *integratione aequationis alicuius differentialis.*

p. 180. III. DAN. WILH. SCHEELE *de partibus conſtitutiuis terrae Rhabarbari.* Eam vt obtineret, radici in puluerem non valde tenuem comminutae, calidam infudit, quae mucilaginoſum extraheret, et filamenta diſſolueret. Subſidit terra, ſpecifice grauior particulis Rhabarbari, tunc eluitur, donec omnino alba fiat. Ita ex libra Rhabarbari Indiae orientalis, $4\frac{1}{4}$ ſemuncias terrae ſiccatae, intra digitos arenam referentis obtinuit. Eius partes conſtitutiuas re-
p. 184. perit: calcem, acido acetoſellae ſaturatam. Vitriolicum eſſe acidum, quod *Modelius* aſſeruerat, omnino negat. Acidum acetoſellae cum difficulter ab alcali ſeparetur, methodum id perficiendi docet, reperit vero, acidum, quod ars ex ſaccharo ope acidi nitri obtinet, a natura paratum haberi in Acetoſella.

p. 187. IV. CLAUD. ALSTRŌMER de *ellychniis, quae non fument.* Cum varia de illis in diariis Gallorum legantur, ipſe tentamine inſtituto reperit ellychnium lampadi inſerendum, latum eſſe debere, taeniolae ad modum, parum habere craſſitudinis, et parum ex lampade prominere, ita aëre liberius accedente ad latam vtriusque ellychnii ſuperficiem, ita auget vehementiam ignis, vt materiam, quae ad ellychnia vulgaria in fumum abit, omnino comburat.

p. 193. V. BENED. REINH. GEHER deſcribit et delineat *machinam*, cuius ope *aër dephlogiſticatus flatu*

diri-

dirigi poſſit in flammam, per tubum ferruminatorium. Vtitur preſſione aquae.

VI. ANDR. IO. LEXELL exhibet *integrationem aequationis alicuius differentialis*. p. 197.

VII. IO. L. ODHELIUS de *cataracta venerea et eius operatione*. Duos caſus huc pertinentes enarrat, ex quibus colligit, inflammationes, quae ſolent operationem cataractae ſequi, poſſe ſynizeſin pupillae producere, qua viſus tollatur, id vero eo magis metuendum eſſe ab humoribus veneno venereo contaminatis. Igitur *coecis, qui lue venerea laborarunt, pupillam vtrinque ſcindendam eſſe*. Porro, feminae, de qua altera eius relatio agit, exemplo docet, non neceſſario viſus defectum ſequi, magna quantitate humoris vitrei perdita, id quod ſolari eum poteſt, cui copioſus effluxus eius humoris ex improuiſo accidit, non vero ſuadet conſulto efficiendum eſſe, vt eius multum exeat. p. 204. p. 208.

VIII. BENED BIÖRNLUND *decocti corticis pruni* vſum eſſe non contemnendum docet, in *levioribus morbis venereis*, vbi curatio eius ſolius ope poteſt abſolui. In noſocomio, vbi publicis impenſis aegri curantur, ad accelerandam curationem mercurius adhibitus eſt. p. 209.

IX. IO. GADOLIN de *corporum calore abſoluto*. Poſito, calorem in corporibus, qui vnitis illis aut ſeparatis, aut qualitate illorum vtcunque mutata, vel abſorbetur vel liberatur, vnice determinari per ſpecificum corporum calorem, eiusque mutationem docet, quomodo datis maſſis plurium corporum, quae vniuntur, ſpecificis illorum caloribus, item temperaturis, quas thermometro applicato oſtendunt, porro datis mixti calore ſpecifico item temperaturo, abſoluta caloris quantitas reperiatur. Eſt vero opus, vt ſpecifici calores quam exactiſſime ſciantur, in quibus ſi leniter erratum ſit, multum p. 218. p. 221.

tum abſolutus calor variatur. Ex experimentis cum niue et aqua inſtitutis colligit, poſito niuis calore ſpecifico = 0, 9; gradum thermometri Suecici, qui reſpondet calori abſoluto = 0; eſſe 800
p. 223 infra punctum congelationis. Inſtituit etiam experimenta cum ſalis ſolutionibus, item mixturis aquae et acidi vitrioli, quibus omnibus, numerum illum, quem diximus, vero ſatis propinquum eſſe confirmatur. Repeti autem et variari experimenta optat.

p. 236. X. ANDR. SPARRMAN deſcribit *murem pumilionem* ex Africa meridionali. Ab aliis omnibus diſtinguunt eum lineae quatuor dorſales longitudinales nigrae. Icon exhibetur.

p. 238. XI. CLAUD. BIERKANDER de *ſaccharo abietis.* Eum prima vice reperit 9 Iulii 1784. Productum aphidum eſſe, obſeruatione didicit. Dum fluidum eſt, a formicis aufertur, mox vero dureſcit.

p. 240. XII. SAM. ÖDMAN de *furore heroum borealium* antiquorum, quos *Berſerkar* vocant. Narratur, eos maximis periculis, igne et ferro nihil territos, in hoſtium multitudinem vtcunque magnam irruiſſe. Poſtquam ceſſauit furor, debiliores vulgari homine fuiſſe. Omnino ſimilia eſſe docet haec iis, quae narrantur de orientalibus ab opio furentibus, *Ramuk* appellatis. Sed cum nulla veriſimilitudine dici poſſit, nouiſſe boreales opium aut eius ſuccedaneum, quod ex papauere noſtrate paratur, alia inebriantia examinat, nullum vero reperit, quod melius huc quadret, *Agarico muſcario,* quo genere boreales ſe inebriant, vires etiam ad aliquod tempus ſolito maiores ſibi comparare narrantur. Huic hypotheſi optime convenire cum iis, quae de heroibus illis tradantur, collatis hiſtoricis argumentis confirmat.

Tri-

Trimeſtre quartum.

I. HENR. NICANDER continuat theoriam *machinae ſpiralis.* p. 249.

II. GUYTON DE MORVEAU, Aduoc. Gen. Parlamenti, et Cancellarius Academiae Diuionenſis, *tentamen, menſtruum naturale Quarzi, inueſtigandi.* Cum quae Cl. ACHARD de cryſtallis ope aquae acido aëreo ſaturatae producendis edidit, aliis non ſucceſſerint, illi quidem relinquendum eſt, vt ipſe rem in maiore luce collocet. Neque credit Cl. DE MORVEAU Cl°. ACHARD, menſtruum, ex quo gemmae coierint, ipſo cryſtalliſationis momento omnino abiiſſe; id enim et aduerſari legibus ſolutionis, et exemplis corporum refelli, quae partem menſtrui ſui contineant, etſi ab illo non amplius ſoluantur. Ita ſpatho calcareo plurimum aquae in eſt, etſi ab aqua non ſoluatur. Quod materia aliqua a menſtruo certo non ſoluatur, inde naſci poteſt, quod debitae rationi inter menſtruum et id, quod ſolui debet, locus non ſit. Sic mixtum ex auro et argento non ſoluitur in acido nitri, etſi quaeuis eius particula metallum contineat, in acido illo ſolubile. Certiorem iudicat noſter alteram partem theoriae Cl. ACHARD. Iam enim certum eſſe, quod cryſtallus et quarzus ex fluido coierint. Id vero eſſe aquam acido aëreo foetam, cum iis in locis, vbi cryſtalli reperiantur, aliud fluidum cogitari non poſſit. Eam theoriam ſequutus, aquam pluuiam puram filtratam, aquae calcis item ex pluuia praeparatae mixtam, acido aëreo ſaturauit, illa lagenas impleuit, quibus fruſtula cryſtalli indidit, vni ſola, alteri cum terra aluminis, ſubere obturauit, veſica obligauit, inuerſas in loco, vbi per 9 menſes et aliquot dies quieſcerent, repoſuit. In his quidem, deinde apertis, nihil vidit, quod multum praeſentem quaeſtionem p. 272.

illu-

illuſtraret. Tertiae vero lagenae, etiam aqua calcis mephitica plenae, indidit nouem fruſtula cryſtalli montanae, et fruſtum ferri longum digitos 5, latum craſſum $3\frac{1}{2}$ lin. lima in quatuor planis lateralibus politum. Aperta lagena, aqua euaporationi expoſita, reſidua manſerunt grana duo terrae martialis, a ferro ab aqua adroſo; eam terram magnes non attraxit, adhaeſit tamen angulis ſuperinducti, non efferueſcebat cum acido nitri, et parum ab illo ſolvebatur. Cryſtalli, quae $27\frac{1}{4}$ grana ponderauerant, iam ponderabant 27, etſi terra martiali adhaerente tectae, ceterum nihil politurae, quod notari poſſet, perdiderant. Fruſtum ferri rubigine obductum erat, a quo lauabatur, certe illud ducendo per aquam puram deſtillatam, deinde ſiccabatur in aëre libero. Aliquot dies poſt, microſcopio, quod parum augeret, examinatum ad marginem vnius laterum, exhibuit punctum ſplendens, vitro ſimile, velut tubere quodam circumdatum, et eius ope ferro adhaerens, tuber illud iuxta marginem extenſum, conſtabat terra martiali. Figura huius cryſtalli, ob exiguitatem, ſatis certo deſcribi non poteſt, repetitis vero obſeruationibus, et auctori et aliis, viſa eſt includi planis regularibus in pyramidem coeuntibus. Aliis etiam ferri locis adiacent puncta cryſtallina, minus ſplendentia, quorum figuras nec quidem microſcopium fortius, diſtinctas exhibet. Ad hoc experimentum repetendum Cl. DE MORVEAU Chemicos inuitat.

p. 283. III. BEN. REINH. GEIJER [*quomodo metalla ſe habeant* ante tubum ferruminatorium,] *flatu aëre dephlogiſticato excitato.* Inſtituit experimenta ERICUS SWARZ, Collegii regii metallici notarius vicarius, ab illis perficiendis et augendis morte praematura impeditus. Itaque *Geijer* pauca edit, quibus ipſe adfuit: v. c. Argentum puriſſimum (16 *lö-thig*)

thig) ſuper carbone funditur, fumat, volatile redditur. Orbis nitens cupreus, in vicinia flammae, ſed tamen ad diſtantiam plurium digitorum, tenui lamella argentea obducitur. Scoriae nullae obſervantur. Ferreum filum circiter $\frac{1}{10}$ digiti decimalis in diametro, celerrime funditur defluentibus ſcoriis, vt tempore paucorum ſecundorum, filum pedis longitudine, ſucceſſiue flammae immitti poſſit.

IV. CAR. PET. THUNBERG narrat de variis *Lo-* p. 286.
xiae ſpeciebus *ad Caput B. Spei* reperiundis. Sunt illae L. Aſtrild, ſulphurata, capenſis, orix, quod gregibus copioſiſſimis agros infeſtet, maxime nocua; *Caffra* nondum deſcripta, cuius hi eduntur characteres: *L. caffra*, atra, remigibus fuſcis, humeris ſanguineis; Roſtrum conico-gibbum, cinereo-fuſcum, acutum. Remiges cinereo-fuſcae, marginibus albis. Tectrices albae, humeri ſanguinei. Pedes griſei. Corpus totum, exceptis remigibus, atrum, magnitudine L. pyrrhulae, ſed paulo longius. Cauda corpore longior, hinc auem volantem impedit nunquam celeriter volat; flante vento, directe volatum ſuum non proſequitur, ſed viam obliquam deſcribit; dum pluit, interdum manibus capi poteſt.

V. IONAS DRYANDER edit animaduerſiones p. 289.
in genus plantarum, cui *Albuca* nomen eſt; additis nouis *tribus ſpeciebus*. Cum LINNEUS, in ſexta editione Gen. Pl. primum Albucam ab Ornithogalo ſeparaeret, deſcriptionem ſaltim ex duabus ſpeciebus confecit, aut forte ex *A. maiore*. Itaque character eius genericus non quadrat in omnes ſex ſpecies iam notas. Hinc nouum characterem genericum edit Cl. Auctor; vbi character eſſentialis eſt: *Cor.* infera 6 petala, petalis exterioribus patulis, interioribus conniuentibus. *Stylus* triqueter. Iam habitum generis deſcribit. Species habet * *ſtami-*

nibus

*nibus tribus ſterilibus ; ** ſt. omn. fertilibus.* Huc refert ſex *Albucae* ſpecies, item ad ſubdiuiſionem ſecundam, Alb. *abyſſinicam*, cuius figuram IACQUIN edidit in iconibus plantarum, etſi dubitet, an ex Abyſſinia ſit.

p. 299. VI. IOSEPH. CŎLEST. MUTIS Bot. et Aſtron. Reg. Exped. Bot. Americ. Praef. nouum plantae genus americanum deſcribit, cui nomen eſt *Pera arborea.* Planta dioecia eſt. Icon exhibetur. Creſcit arbor in regione Mariquita, latit. bor. 5 Gr. 20. Min. Stamina plura habet, piſtilla diſtincta quatuor, petalum vnicum ſemigloboſo concauum dependens.

p. 301. VII. *Falconis Haliaeti* Suecis *Fiſkljus* hiſtoriam illuſtrat LAUR. OEDMAN. *Falcones* cum BRISSONIO ab *Aquilis* ſeparandos eſſe, ita vt aquilis roſtrum ad radicem rectilineum ſit, ſaltim ad apicem curuetur, *Falconibus* ſtatim ad ceram curuari incipiat. Ita niſi diſtinguantur roſtra aquilarum et falconum, non ſeiungi poſſe *Aquilam Leucorypham* a *Falcone Haliaeto* LINN. BRISSONII *Haliaetum* veroſimilius eſſe Leucorypham, cum ad aquilas pertineat. LINNEUM Haliaeti pedem *ſubpalmatum* dixiſſe, non quod ipſe hoc crediderit, cum Com. BUFFON iam id redarguiſſet, ſed vt indicaret, aui hoc ab antiquis tributum eſſe, etſi falſo. Propria experientia edoctus narrat, non humi habitare Haliaetum, inter arundines, ſed in arboribus, inprimis pinubus. Oua nunquam plura tribus reperit, aliter etiam comparata, quam ab auctoribus deſcribuntur, quibus obfuiſſe videtur confuſio cum alia aue, propter roſtrorum differentiam accuratius non obſeruatam. Multa alia habet, de oeconomia rapacis auis et nocuae.

p. 309. VIII. ZACHARIAS Z. PLANTIN methodum tradit *conſtruendi et computandi corpus cuneiforme* certae *carbonum* quantitatis capax.

IX.

IX. ARVID FAXE refert *de ruſtico, ſenſibus* p. 315
omnibus internis et externis orbato, poſt XII annos ſubito reſtituto. Nomen viri *Oluf Oluffſon.* Iunio 1771 in febrem incidit, doloribus, ardore vehementiori et capitis doloribus eum infeſtantem, cuius ſub initium ceſſauit ſtatim facultas loquendi, mox deficientibus etiam ſenſibus internis et externis. Menſe elapſo ceſſarunt ardor et febris, ſed corpus adeo erat extenuatum, vt vix appareret aliquid carnis muſculoſae, ſed ſpeciem exhiberet ſceleti cute obducti. Dorſo immotus incumbebat, manibus ſupra pectus poſitis, pedibus extenſis, oculis plerumque clauſis. Ita vſque in aeſtatem 1782 decubuit, non alio nutrimento vſus, quam pauxillo lactis, quod ipſi infundebatur, interdum cochleari vini aut ſpiritus frumenti, item fruſtulo tabaci, quod manducaret. Nunquam poſtulauit nutrimentum, interdum 4 aut octo diebus nihil lactis accepit. A decubitu diuturno vulnera nulla ipſi nata ſunt, quoniam nihil fere ipſi erat carnis aut pinguedinis. Frater, *Andreas Oluffſon*, ſummam aegri curam habuit. Aeſtate anni 1782 balnea adhibita ſunt, herbis inditis, quae non nominantur. Quo ſaepius repetito, ſenſatio et vires paulatim redire viſae, intellectus autem operationes nullae apparuerunt, triſtis viſu fuit, et horrens homines. Lecto ſurgere iam potuit, ſed id non fecit, niſi a nemine conſpectus. Paulatim eum frater extra domum duxit, alios cibos praeter lac praebuit, etſi ſemper lac maxime amaret, caput aqua ex fonte aliquantum a domo diſtante lauit. Ita viſum, auditum, ſenſationem recuperauit, ceterum maxime debilis loqui non poterat, parum intelligendo valebat, conſuetudine tamen edoctus ipſe ad fontem ibat, ex quo caput lauaret. Mane, diei VIII Aug. 1783, cum aquam ex fonte hauſiſſet, et in loco

domus conſueto eſſet, vbi commorabantur frater, ſorores duae, et alii ex familia, vt ad templum accederent veſtimenta induentes, dum caput lauaret, toto corpore et artubus contremuit, tenui voce pronuncians: *Domine Deus! quam mira res? Vbi fui tam longo tempore?* Eodem momento ex vena in ſincipite circiter 6 guttae ſanguinis profluxerant, eadem quantitas ſanguinis exiit ex margine externo naris dextri, item ex menti medio. Simul loqui potuit, quae vellet, intellectus vires recuperauit, omnes in domo et extra domum nominauit, quos ante morbum nouerat, miratus aetate adeo prouectos videri; alios non nouit, etſi, durante morbo, quotidie ante oculos habuiſſet. Morbum pro ſomnio habuit, neſcius, quantum durauerit. Vt vero eorum, quae ante morbum acciderant, ſatis bene reminiſcebatur, nihil eorum ſciebat, quae durante morbo contigerant. Cum ad coenandum cum familia accederet, preces recitare voluit, et id ſatis ordinate perfecit. Aliquot diebus poſt S. Synaxi vſus, quae ad dogmata religionis pertinent, bene ſe memoria tenere, et percipere, oſtendit. Vulnera, ex quibus ſanguis profluxerat, cicatricibus obducta ſunt. Cum primo loquelam receperat, tenui voce vſus eſt, iam maſcule pronunciat. Oculi aliquantum diſtorti ſunt, forte quod ſtrabo eſt. Ceterum iam optime valet, et peragit conſuetas operas. Aetatis iam agit annum 41. In omnia haec diligenter ſe inquiſiuiſſe, et confirmata accepiſſe a teſtibus fide dignis profitetur ſcriptor.

p. 319. X. CLAUD. BIERKANDER edit *Calendarium inſectorum* anni 1774. Qua die laruae primum viſae ſint, et in pupas abierint. Subiungit varia obſeruata. Phalaenae *pomonellae* larua hyemem peragit intra malorum vetuſtiorum corticem, vere pupa fit. Vnde intelligitur, cur malorum vetuſtiorum poma

fere

fere ſingula laruas contineant. Noua eſt Ph. *fraxinella*, quam aeque ac laruam deſcribit. Ph. *crataegellam* primum in monte *Kinne kulle* 1763, tertio die Iulii reperit Profeſſor *a* LINNE'.

XI. Ex *diario* Academiae huc transferri poteſt, ERICUM SUNDERBERG teſtamento Thaleros circiter octingentos praemium conſtituiſſe, illi tribuendum, qui remedium certum et tutum inuenerit, calculo renum aut veſicae, huic quidem abſque operatione, funditus tollendo. p. 330.

II.

Conſpectus medicinae theoreticae in vſum academicum, Auctore IACOBO GREGORY, M. D. Medic. theoretic. in acad. Edinburg. profeſſ. Colleg. Reg. medic. Edinburg. ſoc. ſociet. Reg. medic. Edimb. ſodal. honorar. et ſociet. philoſoph. Edinb. ſodal. eiusdemque a ſecretis. Editio altera auctior et emendatior. Vol. I. Edinburgi apud Guil. Creech; Londini, apud T. Cadell et P. Elmsly; et Lipſiae apud Gleditſch. 1782. in 8v. 403 pagg. in gr. 8v. Vol. II. ibid. eod. 650 pag.

Mos in magna Britannia idem, qui in Germania noſtra, inualuit, vt librorum medicinalium pars longe maxima vernacula lingua conſcribatur, vtque omnes medicinae diſciplinae in alma Edinenſi vernaculo ſermone doceantur. Monitus adeo a bibliopola Illuſtris quondam Auctor, *parum ex re ſua fore latinum librum ſcripſiſſe, paucos enim nunc exiſtere talium librorum aut lectores aut emtores*; a propoſito tamen ſuo non deſtitit, ſed inſtitutiones ſuas latino ſermone conſcripſit, in quibus

 phy-

phyſiologiam, pathologiam et therapiam generalem hoc ordine modoque hactenus nouo complexus eſt, vt expoſito ſano functionis aut actionis corporis humani cuiuscunque ſtatu, doctrinam de morbidis ac praeternaturalibus eiusdem actionis mutationibus ſtatim ſubiungeret, eoque modo doctrinis phyſiologicis aegri corporis animati ſtatus ſcientiam ſubnecteret, vtili ſane admodum, licet a ſueto ſtudia medica tractandi more alieno, etiam ab Illuſtri TISSOTO in libro nuper edito de medicinae ſtudio perfectiori reddendo, cuius cenſuram in commentariis noſtris dedimus *), admodum probato et aliis ad imitandum commendato.

Praeclara penitus ſunt, quae doctiſſimus quondam Vir de latini ſermonis praeſtantia in eruditorum libris ſcribendis profert, quae ipſe longa experientia vſuque rerum continuo vidit didicitque. Nondum ſe vidiſſe aſſerit praeclarus vir, effreno iſto ſtudio omnia vernaculo ſermone ſcribendi ſtudia aut breuiora, aut faciliora euaſiſſe, ſcientiamque medicinae hoc ſtudio aut hactenus aliquid profeciſſe, vnquamue eſſe aliquid profecturam, imo vereri ſe profitetur, ne tempus quandoque veniat, imo ingruat, quo, exſtincta latini ſermonis face, quae primam lucem praebuit, amiſſoque duce, qui per aſperum ſcientiarum iter homines feliciter duxit, in priſtinam relapſurae ſint caliginem. Non autem nouitatis ſtudio ductus in nouis opinionibus adſtruendis, defendendis occupatus eſt, ſed potius in his, quae quemlibet ſcire oportet, rite et hoc modo exponendis, vt omnia in praelectionibus vberius explicentur. Anatomicas res omnes ſedulo vitauit ab officio ſuo alienas. Pathologiam chirurgicam omiſit, nec non externorum medicamentorum

* Vid. Commentar. noſtror. Vol. hui. P. III. pag. 426.

rum theoriam ad chirurgicam diſciplinam pertinentem. Vſum tantum partium, et functiones viui corporis morbosque, qui ſingulas iſtas functiones impediant, et principia generalia de remediorum viribus atque effectibus in talibus morbis ſanandis docuit. Doctrinam de mentis humanae functionibus eiusque cum corpore nexu coniecturas quam leuiſſime tetigit.

Expoſitis tandem copioſiſſime theoreticorum erroribus innumeris in praefatione 70 paginarum, veraque via, quam in theoriis medicis ingredi oportet, ſtabilita, ipſum opus incipit, cuius prima pars phyſiologiam et pathologiam complectitur.

Primum caput *de functionibus viui corporis, de natura et cauſſis morborum, de viribus corpori inſitis, quae ſanitatem tuentur morbosque depellunt, et de natura, viribus, actione medicamentorum* agit. Pertractantur in eo generatim, et introductionis quaſi loco, functiones corporis vitales, naturales, animales, morborum definitiones, ſanitatis ſigna, ſymptomatum diuiſiones variae et medicamentorum actiones generatim.

Altero capite *de ſolida materie, ex qua corpora animalium fiunt, variisque eius dotibus tum chemicis tum mechanicis, de coniecturis circa eius fabricam, de tela reticulata et de adipis origine, natura, vſu* agitur. A ſolidis tractationem incipit, quum hae partes lentius mutentur, renouentur. — Cauſſa adhaeſionis elementorum vniuerſae compagis ſolidi animalis non aëri fixo aut elemento alii ſpeciatim tribuitur, verum veroſimilius Cl. viro eſt, ſingula elementa ſemet inuicem attrahere, nullum reliquis vinculo eſſe. Mephitici aëris exhalatio putredinis non cauſſa, ſed comes eſt. Notitia caeterum de ſolidi animalis dotibus chemicis ſemper imperfecta eſt, hoc tamen boni praeſtat, vt naturam et cauſ-

cauſſas quorundam morborum ſatis detegat medicosque ad idonea medicamenta perducat. — Tela cellulosa ſecundum HALLERUM pertractatur, ſed omiſſis pluribus ad eius phyſiologiam ſpectantibus, ſimulque mutationes eiusdem telae morbidae, inprimis praeternaturalis generatio telae celluloſae et morbidae viſcerum concretiones inde natae pertractantur. Vbicunque magna moles aut compreſſio periculo aut incommodo fuiſſet, nullus adeps in tela celluloſa colligitur, ſecernitur vero, vbi vis reſiſtens minor vt inter muſculos, in omento, caet. eſt. Adeps parum ab oleis vegatabilibus expreſſis differt, veroſimile autem eſt, oleum per digeſtionem, partim in ventriculo et inteſtinis, partim in pulmone, in gluten conuerti, et hoc iterum per ſecretionem in oleum conuerti; nulla enim adipis organa ſecernentia nota ſunt. Adipis copioſa ſecretio a temperamento corporis humani maxime pendet, nec homo vt bos ſaginari poteſt. (quod tamen fere negauerim; quies enim et copioſus victus nutriens plurimos obeſos reddit, morboſo ſaltim modo, eodem, vt in bobus.) Agitur tandem de vſu adipis.

p. 57. Cap. III. *de ſolido viuo, ſeu genere neruoſo eiusque dotibus, et fabrica et vſibus, et de coniecturis, quae circa eius naturam et actionem prolatae ſunt.* Muſculorum ex neruis origines dubiae admodum ſunt, quum in foetu, cerebro adhuc molli et fere fluido exiſtente, muſculi conſpiciantur inſigne roburiam adepti. Hinc muſculi ex diuerſa conſtituti ſint materia oportet ab ea, ex qua nerui fiunt. Tam arctus autem inter muſculos neruosque intercedit nexus, vt merito omnia ſolida viua pro partibus eiusdem generis habeantur, cui nomen genus neruoſum a medicis imponitur. — Senſuum et motuum explicationes variae ex neruis inſtar chorda-

rum

rum vibrantibus, ex neruoſo fluido, ex aethere per vniuerſum rerum naturam expanſo, enarrantur; ſed omnia haec Cl. vir pro commentis habet, ad inutilia, incomprehenſibilia, abſurda fortaſſe, ducentibus, ſatisque eſſe putat, ſi medici ad ſingulas res factas et veras de hoc argumento inueſtigandas ſemet grauiter accinxerint.

Cap. IV. *de ſenſu eiusque varietatibus et vſibus et voluptatibus et moleſtiis et vitiis.* In ſenſu duae res ad eum pertinentes exacte diſtinguendae ſunt, mutatio, quae in animi ſtatu efficitur, nullis verbis deſcribenda, ſimpliciſſima, rei externae, quae ſenſum excitat, diſſimillima, et perceptio, ſeu notitia qualitatis cuiusuis rei externae, quam ſenſus nobis repraeſentat. Fit autem ſenſus in homine ſano et vigile, quandocunque ſtatus partis cuiusuis generis neruoſi aliquantum mutatus fuerit, ſiue iſta mutatio ab externa cauſſa, ſiue ab interna facta fuerit. A priore cauſſa nati ſenſus ab impulſu dicuntur, a poſteriori, a conſcientia. Ab impulſu vehementiore dolor fit, ſine diſtincto ſenſu, ſtupor a vehementiſſimo impulſu. Attentio a voluntate quodam pendet modo; plerumque tamen ſenſibus nouis, iucundis, validis datur. Senſus externi omnes ad tactus ſenſum referendi ſunt, viſu excepto. Senſus caeterum omnes voluptates et vitia moleſtiasque ſuas habent, ex variis naturae legibus, quae copioſe exponuntur, explicandas.

Cap. V. *de tactu eiusque vitiis, et de dolore, anxietate et pruritu.* Toti generi neruoſo tactus communis eſt. Dubium et coniecturale eſt, papillas neruoſas in digitis influente ſanguine quodam modo in tactum erigi. Nimis acutus tactus praeter naturalem in modum, ſi vnquam, rariſſime obſeruatus eſt, rariſſime, niſi forte inter delirium depravatur. Simul de dolore, eiusque cauſſis, ſympto- p. 92.

matibus, iisque, quae dolorem intenſiſſimum ſequuntur, ſermo eſt.

Cap. VI. *de guſtu, eius vſibus, varietatibus et vitiis.* Perfecte, a cerebri et neruorum vitio guſtus raro deficit, obtuſus in his eſt, qui parum olfactus habent. Saepiſſime propter ſaliuae defectum deficit, hinc obtuſus in morbis compluribus.

Cap. VII. *de olfactu eiusque vſu, varietatibus et vitiis et de odorum natura eorumque effectibus in corpus humanum.* Deprauatus is olfactus, vbi odores percipiuntur, vbi nil odorati fuit, ex particulis odoratis explicatur, quae diu in naribus haeſerunt demumque eruperunt, nec non ex narium vitiis localibus.

Cap. VIII. *de auditu, ſonis, auditus vitiis, aurium tinnitu.* Partium auris internae actiones nondum ſatis notae ſunt, per dentes adeo, maxillam et petroſum os ſoni ad vltimam neruoſam aurem peruenire videntur.

Cap. IX. *de viſu eiusque varietatibus et vitiis.* Vſus variorum oculi humorum, praeter cryſtallinam lentem, is eſſe videtur, vt ab alieno colore, quem vnica et ſimplex lens dediſſet, propter radios lucis inaequaliter refractos, praecaueretur. Vtilitatem inſuper humor vitreus eam habet, vt globum oculi impleat, retinam diſtendat, vt concavam ſphaeram repraeſentet, quo plura eius puncta imagines rerum viſibilium diſtinctas et accuratas accipiant. Quod alter oculus alterius motum ſequatur, ex conſenſu inter binos oculos explicatur (nos ex acie oculorum amborum ad obiectum dirigenda explicuiſſemus, altero oculo captorum exemplo, in quibus captus oculus motum ſani non ſemper ſequitur.) Strabiſmi veroſimiles origines nonnunquam in retinarum vitio ſitae ſunt, ſi v. c. ſolita earum puncta, centra non conſentiunt. Euaſiſſe-

ſiſſemus omnes ſtrabones, ſi neruus opticus non oblique oculum adiiſſet, ſed centrum retinae occupaſſet. Agitur ſimul de vertigine, quoad origines et ſymptomata eius.

Cap. X. *de ſenſibus, qui dicuntur interni, memoria, imaginatione, iudicio eorumque varietatibus et vitiis.* Quum de his omnibus animi functionibus ne certa quidem hactenus coniectura fuerit prolata, morbos earum hactenus parum intellectos eſſe facile etiam perſpicitur. At habet haec functio ſuos morbos graues, attentione ſumma dignos, nimirum qui mentem vitient, inutilem reddant. Mente captis iudicium ſanum vtplurimum eſt a falſis principiis. Delirium (febrile praeſertim) in duo genera a Noſtro diuiditur, ferox iſtud, furioſo accedens, et mite, magis lethiferum, in tendinum ſubſultus vtplurimum deſinens. Locales cerebri adfectiones anatomica diſquiſitio in delirabundis ſaepe detexit, inprimis ſanguinis in cerebro congeſtiones, inflammationes, ſed ſubinde in deliriis genus nervoſum magis, quam ſanguinis motus, laborat (oblitus eſt omnino praeclarus vir delirii febribus gaſtricis ſuperuenientis ex ventriculi cum capite conſenſu nati). p. 148.

Cap. XI. *de motu muſculorum.* Contractionis muſculorum ratio diu fruſtra multumque quaeſita adhuc latet. Praeter reſiliendi vim muſculi aliam adhuc habent, tonicam, a diſtentione, quae ipſa ſtimulus eſt, natam, in his, qui plena vaſa habent, admodum conſpicuam, neruoſam, a neruo irritato pendentem, qui muſculum adit, animalem, a voluntate pendentem. Agitur ſimul de animi adfectibus eorumque in muſcularem motum, muſculorumque formam influxum, de naturali lege, qua ad alios imitandos ducimur, de inſtinctu hominum et animalium motus muſcularis cauſſa, appetitu va- p. 165.

 rio,

rio, propenſionibus, ſympathia neruoſa. — Conſenſus generalioris fontes tres ſunt. Cerebrum cum neruis omnibus, adeoque cum vniuerſo corpore, peculiarem conſenſum habet, ventriculus cum toto corpore conſenſum alit, cutisque nec non reticulata membrana vaſis neruisque probe inſtructa cum toto corpore in conſenſu eſt. Conſenſus etiam particulares plurimi ſunt, naturales alii, alii morboſi. Ad hos conſenſus inter renes et ventriculum, nares vel aſperam arteriam et ſeptum transverſum, caet. referendi. De omnibus conſenſibus monendum eſt, licet plurium explicatio nondum data ſit, eos a nexu pendere, quem omnes partes cum cerebro habent, idque certo adfectum modo vel ſtatum vniuerſi ſyſtematis neruoſi mutare, vel partes ſaltim quasdam, prae ceteris, in motus concitare. Conſenſus inter partes a ſe longe diſtantes alio, quam per neruos, modo explicandi admodum rari ſunt.

p. 197. Cap. XII. *de vitiis motus muſculorum, mobilitate nimia, torpore, paralyſi, ſpaſmo.* Mobilitas a vigore diligenter diſtinguenda. Mobilitas eſt, qua fibrae muſculares ad contractionem citantur, vigor contra vis eſt, qua contractio perficitur. Torpor mobilitas imminuta eſt. Debilitas eſt, ſi motus muſculorum iuſta vi non perficitur. Summa debilitas paralyſis eſt, muſculorum vi vel penitus, vel paene deleta.

p. 208. Cap. XIII. *de ſomno eiusque vſibus, cauſſis, varietatibus vitiis, defectu, exceſſu, eorumque noxis et de ratione et cauſſis ſomniorum.* Cauſſa ſomni adhuc latet. Male neruis fluido ſuo exhauſtis et repletis viciſſim tribuitur, nec melius a compreſſo cerebro oriri creditur. Docent omnia, quae ſomnum comitantur, ſigna, vniuerſi generis neruoſi

et

et inprimis cerebri ſtatum a ſomno multum mutari; qualis vero iſta mutatio fuerit, non docent.

Cap. XIV. *de ſanguinis circuitu.* In moribundis ventriculus cordis ſiniſter primum quieſcit, deinde auricula eiusdem lateris, nullo ſcilicet ſanguine, vel parum, per pulmones iam transmiſſo. Adſeritur, motum ſanguinis prope cor velociſſimum eſſe, multo lentiorem in minoribus et remotis ramis arteriarum, nulla peculiaris vis oſcillatoriae, quae minimis fibris arteriolisque tenaciſſime et efficaciſſime inhaeret, ratione habita.

Cap. XV. *de motus ſanguinis varietatibus et vitiis.* De pulſibus fuſe agitur, eorum varietatibus, exceſſibus, defectibus cauſſisque harum mutationum. Intermittens pulſus, qui quibusdam in ſano ſtatu communis eſt, et in aliis, dum vel leuiter aegreſcunt, obſeruatur, hyſtericis et ex hypochondriis laborantibus frequentiſſimus, ob praecordiorum anxietatem moleſtiſſimus, oriri videtur vel a vi neruoſa in cor aliaque organa circuitum promoventia inaequaliter influente, vel a fracta iam et exhauſta neruoſa vi et corde vix amplius ad contractionem valente, neque ſe deplente, donec plus ſolito diſtentum fuerit, vel denique a cordis vicinarumque partium localibus vitiis. — Agitur poſtea de motu ſanguinis nimis intenſo, languente, abnormi. Abnormis motus a ſtimulo quocunque, ſpaſmo, caet. inducitur. Cauſſa eſt caloris, tumoris, ruboris, inflammationis, ſanguinis profuſionum, corruptionis, ſuppurationis. Abnormes tales motus medici aut moderari, aut inducere didicerunt. — Palpitationis cordis natura ſpaſtica eſt, ſpaſmis totum genus neruoſum aut cor afficientibus. Tandem de ſyncope breuiter agitur.

Cap. XVI. *de ſanguinis natura et varietatibus et vitiis.* Cruſta, quam inflammatoriam vocant, pu- p. 260.

rum

rum gluten ſanguineum refert tardius ſolito coactum, quo fit, vt particulae rubrae colorantes ſanguinem quodam modo ſubſidant, nec ſanguinis denſitatem, vt diu creditum eſt, indicat, ſed tenuitatem, ſaltim minorem ad coagulationem procliuitatem. — Polypi ex ſolo glutine pendent ſanguineo in ſolidam maſſam coëunte. Agitur poſtea de plenitudine varia et ſanguinis inopia, ſanguine inprimis nimis tenui, aquoſo, quem tamen in ſanis natura, auctis ſtatim aquoſis euacuationibus, efficaciter praecauet, eodem modo, vt nimiam ſpiſſitudinem, praepeditis ſecretionibus et excretionibus aquoſis. — Humorum acrimonia lubricum fundamentum eſt, cui medici nimium ſuperſtruxerunt. Acria enim ingeſta digeſtione corriguntur, in ſanguinem delata obtunduntur, et aſſidue e corpore, tanquam noxia, excernuntur. Hoc modo ſalium et acredinum copia ingens corpus, valetudine parum vel non adfecta, libere tranſire poteſt. Continua viui hominis in putredinem procliuitas eſt, ob ſales animales in eo copioſe generatos, ſed hi ſales cum vrina educuntur. Haec autem in putridam conditionem procliuitas multum ſalis dabit, non tam facile educendi, dum, vt in nautis, ſales copioſe ingeruntur, et aquae diluentis, eluentis, potus parcus eſt. Huic autem corruptioni idoneum medicamentum ſuggeſſit natura, cibum recentem, vegetabilem, aëre fixo plenum, quo cibo deficiente putredo, acrimonia, generalis languor. Subinde putridum fermentum putredinem inducit, ſubinde partes, ab inflammatione, caet. cito putreſcunt. — Acida acrimonia ſanguini humano nunquam accidit, nec humorum vlli, quum primum ex eo ſecernitur. Nec alcalina acrimonia ſanguis infici videtur. Poſſunt quidem variae acrimoniae ſan-

gui-

guini ineſſe, ab acrium, aromatum, potus mera-
cioris vſu, ſed de his nihil certi notum eſt.

Cap. XVII. *de reſpiratione eiusque vſibus et va-* p. 284
rietatibus et vitiis, voce, loquela, nixu, ſuſpirio,
oſcitatione, riſu, fletu, ſingultu, dyſpnoea, tuſſi,
ſternutatione. Caloris animalis theoriae recentio-
res omnes compluribus adhuc difficultatibus obſtri-
ctae ſunt, ſed chemici veram iniiſſe viam videntur,
qua demum hoc naturae arcanum detegatur. De
globulis ſanguineis in pulmonibus figendis, tornan-
dis, de pabulo vitae ex aëre hauriendo nihil certi
adhuc conſtat. Suſpirium propter ſanguinem fit
per pulmonem male expeditum, ob debiliorem vi-
rium mouentium actionem: adfinis ipſi oſcitatio
eſt. — Singultus ſubita et ſonora ſepti transuerſi
conuulſio eſt, ventriculo ſimul aliquando conuulſo.

Cap. XVIII. *de concoctione alimentorum.* In fa- p. 319
me praeter inanitionis ſenſum contractio quaedam
fibrarum ventriculi ſubeſſe videtur. — Qui cibos
vegetabiles tantum praecipiunt, ipſa natura ſapien-
tiores videntur. Condimenta conſuetudo amare
docuit, nec tamen vſu ſuo carent.

Cap. XIX. *de vitiis concoctionis variisque orga-*
norum, quae concoctioni inſeruiunt, affectionibus mor-
boſis. Exponuntur appetitus deficientis, varii,
morboſi cauſſae. Inſolitarum rerum deſideria, ſi
iis modice indulgetur, ſaepe proſunt, raro nocent.
Poſtea ſitis deficientis, immoderatae deglutitionis
interceptae, digeſtionis difficilis, alui nimis tardae,
citae cauſſae effectusque exponuntur. Tractatur
ſimul de inteſtinorum laeuitate, difficultate, teneſ-
mo, motu inteſtinali inuerſo, nauſea, vomitu,
ileo, caet.

Cap. XX. *de ſecretione et excretione earumque* p. 358
varietatibus et vitiis. Secreti humores alii vſibus
variis in corpore inſeruiunt, alii excrementitii ſunt,
alii

alii nouo animali progenerando, alendo neceſſarii ſunt. Secretionis ratio aut explicatio hactenus nulla data eſt, nec fabrica organorum ſecernentium hactenus ſatis nota eſt, nec mathematicorum, chemicorum coniecturae multum veroſimilis habent. Formari videtur organon ſecernens ex arteriis et venis ſanguinem vehentibus, in cauum hiantibus, vel ductus ſibi continuos habentibus, qui humorem ſecretum, quo debent, deferant. Res factae viſaeque circa ſecretionum negotium enarrantur, ſpretis omnibus, et veroſimilibus quibusdam, hypotheſibus, poſteaque de humoribus ſecretis, vrina, cutanea exhalatione, ſudore, ſermo eſt, pertractatis ſimul generalioribus harum ſecretionum et excretionum praeternaturalibus adfectionibus.

In altero operis tomo phyſiologiae et pathologiae generalioris capita quaedam pertractantur, ſcilicet:

Cap. XXI. *de generandi facultate in vtroque ſexu, variisque eius et quae ei inſeruiunt organorum affectionibus morboſis* agitur. Exigua ſunt et imperfecta admodum, quae ratio in his rebus docuit, experimentum comprobauit. — In menſtrui fluxus ratione reddenda probabile eſt, foeminas prae viris ad ſanguinis plenitudinem procliues eſſe, nimiam ſanguinis copiam in earum arteriis accumulari, inprimis in laxioribus ramis vterinis, hos ramos diſtentos neruos in contractionem citare, qua per oſcula patefacta demum ſanguis exprimitur, profunditur. Interualli aequalis adeo ratio hactenus nulla reddita eſt; habent tamen ſua tempora pleraeque res, quibus incipiunt, abſoluuntur: nonnihil etiam conſuetudo facere videtur. In grauidis menſes non fluunt, quia pars vteri, vnde profluere ſolent,

ſolent a placenta occupatur (?) nec, dum infantem alit mulier, fluunt, quia ad aliam partem ſanguis diuertitur. Ad cupiditatem veneris in mulieribus menſes parum aut nihil faciunt. — Quae dicta hactenus aut dubie obſeruata viſaque circa generationis negotium ſunt, difficultates nullo modo ſuperandas vix expediunt, nec eſt, qui dixerit, variae partes ad vitam neceſſariae vnde veniant, quando, quo ordine perficiantur. Sed talis a vitae principiis ſubeſt fabrica, et magna et conſtans vis, quae diſtendat foetus compagem molliſſimam ideoque ad extenſionem aptiſſimam. Diſtendens vis actio cordis eſt, qua aorta euoluitur in ſimplicem primum tubum, poſtea in ramos extenſa. — Lis medicorum experimentis, non rationibus componenda, de foetus cum matre commercio aut per vaſa continua, aut per ſanguinem in cauernulas profuſum, ad vſum medicum parum pertinet. — Agitur poſtea de partu, puerperio, lactis generatione, menſibus ſolita aetate non prorumpentibus, interceptis, ſuppreſſis, deficientibus, fluore albo, ſterilitate, abortu, partu difficili, praeternaturali, vteri poſt partum affectionibus, caet.

Cap. XXII. *de corporis nutrimento, incremento, ſtatu, imminutione et morte morbisque, qui varias aetates comitari et affligere ſolent.* Multa philoſophi medicique de his excogitarunt ſanae rationi non adeo conſentanea. Veroſimile eſt, ſingulas corporis partes primo in longitudinem creſcere, quia vis diſtendens ſecundum axes vaſorum agit maxime, donec haec multum diſtenta et firmiora facta magis magisque indies renitantur, nec amplius diſtendi patiantur. — Vita demum ipſa, ob rigorem, citius ſeriusue mortis cauſa fit. Mortis autem praeternaturalis genera numeroſiſſima ſunt, plerumque tamen, forte ſemper, functionum vitalium aliqua, p. 50.

actio

actio nempe cerebri neruorumque aut ſanguinis circuitus aut reſpiratio, prius impeditur aut laeditur, quam vita penitus exſtinguatur. Proxima mortis cauſſa ſane eadem ſemper eſſe debet, nimirum quae conſiſtit in amiſſione ignoti iſtius generis neruoſi ſtatus, qui vitam, quatenus corporea eſt, efficere videtur. — Mortem proxime dolor, moleſtia nulla praecedit, ſenſu videlicet ſenſim detrito et ante mortem ſemper ablato. — Agitur denique de ſtatura diuerſarum gentium diuerſa, et de aetatum morbis eorumque originibus.

p. 97. Cap. XXIII. *de conſtitutionum varietatibus.* Conſtitutionum varietates temperamenta dicta ſunt, nec multum refert, quo vocabulo ad eas exprimendas vtamur, ſed errarunt medici, temperamentum ad certum quendam humorem referentes, pertractantur tamen morbi temperamentis ſueto more in ſcholis medicis ſtabilitis proprii.

Altera operis theoretici parte *de therapia*, quam generalem ſcholae vocant, agitur, et quidem:

Cap. XXIV. *de medendi ratione, de natura remediorum, de conſiliis medendi, ad ſanandos, aut mitigandos, aut praecauendos morbos.* Non ſatis eſt medico ſcire, quaedam remedia ad quosdam morbos prodeſſe, niſi ſimul intelligat, qua ratione id boni efficiant; in adminiſtrandis enim remediis memoria ſemper tenendum eſt, non nominis morbi, ſed generalis eius naturae rationem eſſe habendam, et ad morbi cauſſas, minutiſſimasque ſubinde res plurimum eſſe reſpiciendum. — Ordinanda ideo et nominanda remedia ſunt ex effectibus eorum conſtantibus maxime et ſimpliciſſimis, et quo melius perſpectae fuerint et intellectae medicamentorum facultates, eo ſimplicior fiet materia medica, eoque pauciora nomina ſeu remediorum genera medici

dici habebunt. Excuſſis licet praeclare medicorum noſtrorum temporum laboribus compluribus raris medicamentorum nominibus, quaedam tamen remediorum genera medicis adhuc in ore ſunt, quibus ſine omni damno medicina careret. Medicamenta porro ſingula, quae ſub generali titulo comprehenduntur, diſtingui poſſunt ſiue magnitudine effectus, et quaſi gradibus, ſiue viribus, praeter communem et generalem effectum ſibi adhuc propriis. — Agitur inſuper in hoc capite de iudicationibus curatiuis, palliatiuis, ex ſignis morborum deſumtis recte hauriendis, ex vniuerſo videlicet cauſſarum concurſu, et de iudicationibus ſanitati conſeruandae opportunis.

Cap. XXV. *de diaeta aegrotantium.* Multa peritia ſaepe opus eſt, vt ſciat medicus, qualia alimenta, et quo tempore ſingulis aegris ſint permittenda. In acutis morbis, ſi aegri cibum nullum appetunt, cibum praeſcribere abſurdum foret. Hinc acute decumbentibus cibus quam parciſſimus praecipiendus eſt et petentibus tantum concedendus. Tenuiſſimum alimentum et acutis morbis maxime conueniens poma atque olera praebent, validius paullo legumina et radices, quae farinam habent, inprimis ſolani tuberoſi radices, validiſſimum far, triticum inprimis atque oryza. Ex auenaceis furfuribus, quibus aqua adfuſa eſt, quae mora aliquot dierum ſubacidam fermentationem paſſa eſt, ruſtici Scoti coctione alimentum parant ſubacidum, febricitantibus admodum conueniens. — Radices eſculentae pleraeque febricitantibus dari poſſunt, ſed peculiaris commodi nihil habent. — Carnes caute et parce ſemper aegris dandae ſunt, inprimis febre vrgente et putredine imminente. Cibi omnes febricitantibus hac forma dandi, vt ventriculum quam minime onerent, et corpus quam minime excitent p. 133.

aut calefaciant, hic iura carnium ſolidis longe praeſtant. — Potus in acutis frigidus eſſe debet, nec potui de medicamentis aliquid admiſcendum, ob incommoda morbi, ſitim, ventriculi adfectiones, caet. inde aucta. Satis conuenit acuto morbo detentis Ruſſorum potus Quaas.

In omnibus diuturnis morbis oportet inprimis cibus natura et copia talis ſit, qualis et aptus ſit alendo et reficiendo corpori, et ſimul non nimis nutrimenti praebeat, et concoctu facilis ſit, et nulla morbi indicia augeat, nec quid mali inducat, ſed morboſae corporis conditioni, quantum fieri poſſit, auerſetur, et quaſi remedio ſit. — Quantitatem cibi taliter adfectis praeſcribere difficile et ingratum eſt, magis intereſt qualitatem determinare. Si librae duae boni panis fermentati cum lactis tribus libris ſano perfecte homini nutriendo ſufficiunt, dimidia aut tertia pars aegro, lecto affixo, debili ſufficit. — Nocet admodum praeceptum, quod conualeſcentibus ex morbis communiter datur, vt parum, ſed iterato edant; eo enim modo plus edunt, quam ſani adſueuerant, et digeſtionis vires infirmant. Caſeus his morbis adfectis nocet, nec non omne far, quod fermentationem paſſum non fuerit. Parum etiam accommodatae aegris radices ſolani tuberoſi et legumina ſunt. Eſculentae radices quo teneriores ſunt, eo magis conueniunt. Salutaria poma, niſi ventriculo admodum infirmo. Choccoladae potus aromatibus non remixtae aegris admodum conuenit et facile digeritur.

p. 181. Cap. XXVI. *de remediis adſtringentibus.* Adſtringentia ſunt, quae debilitatem et laxitatem corrigunt, partesque ſolidas ad priſtinam et ſanam firmitatem reducunt. Modus, quo talem effectum in corpore viuo producunt, parum cognitus hacte-

nus

nus eſt, conſtat tamen, materiam ſolidam corporis animalis iis firmiorem reddi, nec refert multum, qua ratione agant, dummodo effectus eorum certus ſit. Notabile eſt, plerasquae plantas, quibus radices amarae ſunt, cortices plus minus adſtringentes habere. Effectus ſimpliciſſimus remediorum adſtringentium eſt, partes ſolidas firmare, denſare, indurare, efficaciter in partibus, quibus proxime admouentur, minus in remotis partibus aut vniverſo corpore. Afficiuntur ab adſtringentibus fibrae muſculares, tela reticulata omniaque organa ex his praeparata, vaſa inprimis et ſolida viua. — Laeſiones demum functionum enarrantur, quibus adſtringentia ſubueniunt.

Cap. XXVII. *de remediis emollientibus.* Minor eorum copia et varietas, quam adſtringentium, eſt: omnia ad duo genera referuntur, oleoſa et mucoſa. Validiſſimum longe certiſſimumque horum remediorum eſt pura aqua, praeſertim calida, nec valde inferior ea calor cum humore coniunctus. p. 200.

Cap. XXVIII. *de remediis roborantibus.* Haec ſunt, quae partes ſolidas vitales, cerebrum, nervos, muſculos afficiunt, earumque deficientes vires excitant, nimias reprimunt. Genus neruoſum quatuor vitia euidentiſſima et frequentiſſima habet, defectum, exceſſum vigoris, defectum mobilitatis et ſenſus, et demum exceſſum ſenſus et mobilitatis. Roborantia proprie dicuntur, quae aduerſus debilitatem valent: tonicorum nomen improprium nimis eſt, hinc, ceu coniecturale et ambiguum vocabulum, vitandum. Diſtinguenda autem roborantia ab adſtringentibus diligenter ſunt; vires enim muſculis deficiunt et magna aliquando debilitas vrget, quum nulla inſolita carnium mollities adeſt, neque ideo adſtringentibus medicinis opus eſt: imo debilitas cum rigore coniuncta locum ha-

bere poteſt. Non omnia praeterea roborantia adſtringendi vim habent, adſtringentesque maxime medicinae vim roborantem exiguam habent. Quaedam autem ex medicamentis vere adſtringentibus inſignem vim roborantem in fibris muſculoſis, vel forte in vniuerſo ſyſtemate neruoſo poſſident, corticis Peruuiani, ferri, caet. exemplo. Plantae amarae omnes vim roborantem poſſidere putantur, et hoc conſilio multum, ſaepe nimis vſurpantur; nocent enim large aſſumtae, nec veneni ſuſpicione penitus carent. Efficaciſſima roborantia vina rubra, adſtringentia ſunt. Robur demum corpori conciliant idonea corporis exercitatio, frigus, apta diaeta, animi affectus nonnulli. Animi affectus excitantes omnes vim plane roborantem poſſident, et quidam eorum paralyſi affectis et valde infirmis vim inſolitam dederunt, ita vt ipſa natura idoneum corpori humano vigorem et robur per varia, quibus illud fungitur, officia, det conſeruetque.

p. 257. Cap. XXIX. *de remediis infirmantibus*, quae vires fibrarum muſcularium minuunt. *Atonica*, vitando ob ancipitem ſenſum nomine, vocantur. Neceſſaria ſunt haec remedia potiſſimum ad contractionem nimis validam fibrarum muſculoſarum inuiti motus, cordis ſcilicet et arteriarum. Pro cauſſarum diuerſitate autem, quae talem ſtatum inducunt, infirmantia ſunt aut relaxantia, aut narcotica, efficaciſſimae autem inanitiones, praeſertim copioſae, ſunt. Inſigne etiam ſubinde remedium infirmans diaeta tenuis, parca, frigus eſt. Infirmatur etiam corpus exercitationibus corporis intenſis, animi affectibus deprimentibus, qui vero, ob ancipitem effectum, raro remedii inſtar adhibentur.

Cap. XXX. *de remediis ſtimulantibus*, quae vel ſenſum in partibus ſentientibus, vel motum in partibus muſcu-

muſculoſis excitant. Pleraque vtrumque effectum praeſtant; ſenſus enim vehemens plerumque ſtimulantem vim habet. Ratio horum remediorum admodum obſcura eſt; naturae enim diuerſiſſimae medicamenta eosdem perfecte effectus, ſaltim ſimillimos habent. Maxima autem explicationis difficultas in eo conſiſtit, quod magnitudo effectus talium remediorum minime reſpondeat magnitudini cauſſae, ita vt effectus remedii in progreſſu ſaepe in contrarium deſinat. Turbatur inſuper aut impeditur actio medicamenti à genere neruoſo varie in eodem ſubiecto ſubinde diſpoſito. Notandum autem eſt, in ſtimulantibus dari res quasdam, quae corpori tum ſano integroque, tum parti admotae ſeparatae, muſculo v. g. contractionem aliquam ſtatim excitant, alias autem, quae ſenſum ſopiunt motumque reprimunt, haud raro tamen motus ſimul nouos et ſatis viuidos excitant. Aliae res ancipitis naturae ſunt, ſtimulantes et ſedantes. Stimulantem autem vim habent omnia acria, ſales medii, acidi, alcalini, plantae acres, aromaticae, aquae deſtillatae plantarum aromaticarum, olea aromatica, balſama, reſinae, gummi reſinae, amarae plantae omnes, ſpiritus ſtillatitii fermentati, cantharides, fluidum electricum, calor, frigus, corporis exercitatio.

Cap. XXXI. *de remediis ſedantibus*, quae ſenſum obtundunt motumque reprimunt. Explicatu difficillimum iterum eſt, quo pacto multa talium remediorum corpus ita afficiant, praeſertim quum alia et quidem ſimillima medicamenta, vel eadem forte, alio tempore et aliter adhibita corpori plane ſtimulo ſint. Motus autem nimius quum a cauſſis variis admodum pendeat, intelligitur quoque, varia admodum ſedantia medicamenta eſſe, ſubindeque in relaxantibus, adſtringentibus, exaeſtuantibus, opia-

 tis,

tis, demulcentibus, antiſepticis vim vere ſedantem latere. Medicamenta autem, quae prima et ſimpliciſſima ſua in corpus actione ſenſum motusque iam praeſentes reprimunt, ad duas claſſes referuntur, narcotica ſcilicet et refrigerantia. — Excutiuntur opii, hyoſcyami, cicutae, ſolani effectus vtiles, infauſti. — De refrigerantibus non dubitandum eſt, quin, aliorum inſtar ſedantium, genus neruoſum primum afficiant, ſed ſenſus vix multum obtundunt, aut ſoporem inducunt, omnia vero multo minus efficacia exiſtunt, quam auctores medici crediderunt. Acida, inprimis mineralia, fructus ſubacidi, ſemina frigida ſic dicta, ſales neutri quidam, odorifera cuiuscunque generis, moſchus, zibethum, petroleum, ambra, aſa foetida, caet. praecipua ſunt. Remedia nulla qualitate ſenſibili externa praedita quod ſaepe effectus inſignes ediderint ad ſpaſmos varios ſopiendos, cinnabaris, lichen cinereus terreſtris, flores zinci, viſcus quernum, caet. ratio haec forte eſt, quod multi morbi ſpaſmorum generis ſua ſponte ſaepe deſinunt, poſt longa demum interualla, aut forte nunquam redituri, ita vt a natura praeſtita medicamento medici adſcripſerint. Cum aliis praeterea haec medicamenta ſimul adhibita ſunt, et ſatis quidem efficacibus, multa demum in animos aegrorum valuerunt, corpore intacto, multos certe aegros fides ſanauit. Sedantibus etiam adnumeranda ſunt frigus, calor, animi adfectus, illud regimen, quo ab omni ſtimulo cauetur, antiphlogiſticum, ab omni irritatione maxime alienum, ſitim exſtinguens, alui liberae negotium medicinis blandiſſimis promouens, vrinam citans, putredini reſiſtens. — Agitur demum copioſe de narcoticis adhibendis, eorum contra indicationibus, noxis in morbis, inprimis in doloribus et irritationibus variis.

Cap.

Cap. XXXII. *de remediis, quae corrigunt varia humorum vitia, ſpiſſantibus, attenuantibus, demulceutibus, antacidis, antalcalinis, antiſepticis.* Exploſae ſunt Galenicorum, chymicorum, mathematicorum de variis acrimoniis quidem merito doctrinae, non ideo tamen concludendum eſt, humorum vitia aut prorſus nulla exiſtere, aut adeo rara atque leuia eſſe, vt remediis non egeant. — Verum ſanguinis vitium morboſa eius tenuitas quum conſtituat, opus eſt remediis, quae iuſtam craſſitiem humoribus noſtris conciliare poſſint, ſpiſſantibus. Talia ſunt omnes cibi boni et laudabilis ſucci, glutinoſa, gummoſa, mucilaginoſa omnia, (ſed improprie admodum, imo nocent, corpore debilitato, ſolidisque relaxatis, quam diſpoſitionem augent, adſtringentia, coagulantia. — Attenuantium ad contrarium humorum ſtatum magnus ſaepe vſus fuit, diluentia, inprimis potus aquoſi, mira ſubinde praeſtiterunt, attenuantia alia, alcalina, ſapones, humorum tenuitatem morboſam induxerunt, aucta putredine, ad quam humores ſua natura proni admodum ſunt. Attenuans vis, quae in ſalibus neutris quibusdam haeret, explicatu difficilis eſt, a vi ſeptica certe vix pendens. Videntur hi ſales per ſolum ſuum ſtimulum in morbis a ſpiſſitudine profuiſſe. p. 364.

Vtcunque futiles medicorum de variis acrimoniis opiniones ſint, demulcentia tamen vtiliſſima in compluribus morbis ſunt: negari enim non poteſt, humores corporis, natura ſua aliquantum acres maiorem interdum atque nociuam adipiſci acrimoniam, mucum a partibus abradi, aut vitiari. Tali in caſu oleoſa, mucoſa medicamenta maxime conveniunt.

Acida acrimonia rariſſime ſanguini accidit, inteſtinali tamen tubo ſatis frequens. Terrae abſorben-

bentes, oſſa animalium calcinata vim ſpecialem et certam habent omnem acorem abſorbendi, corrigendi. Sales alcalini minus commode adhibentur, ob ſtimulum, quem inducunt, terrae vero abſorbentes, vtpote ſatis mites, vſui magis accommodatae: nec nocere poſſunt, ob aluum ab iis ſolutam. Sapo hoc incommodum habet, vt, dum acidum corrigit, oleum craſſum, rancidum, in ventriculo relinquat. Multum ad acidum corrigendum valent tonum ventriculi inſtaurantia, adſtringentia, vitrioli acidum adeo dilutius acorem ventriculi efficaciter debellauit. — Antalcalina remedia egregios quotidie effectus edunt, licet nulla talis acrimonia proſtet, ſed putredini reſiſtunt. Quoad antiſeptica obſeruandum eſt, maximum ſaepe morboſae putredinis ſubſidium in idonea diaeta eſſe poſitum, et certe potus et cibi, qui quotidie magna copia, ſine incommodo ſumuntur, magis proſunt, quam medicamenta validiſſima licet, quae ob eandem cauſſam parca tantum quantitate ingeri poſſunt. Fruges et omnia oleracea putredini maxime reſiſtunt, diſtinctioque medicorum inter herbas alcaleſcentes et aceſcentes nulla hodie eſt, neque in alcali abeunt alcaleſcentes herbae, dum fermentationi ſubiiciuntur. Opium putredinem gangraenae digitorum pedum in ſenibus ſanare videtur, dum irritationem tollit et dolorem cum hoc morbo coniunctum aufert.

p. 402. Cap. XXXIII. *de remediis euacuantibus.* Obſeruarunt rudes etiam in medicina viri, morbos graues ſubinde natura, ſponte euacuatione inſigni oborta, ſanatos eſſe, hinc euacuantia a talibus hominibus ad eundem effectum frequenter adhibita, nec ſine ſucceſſu ſubinde; plures enim morbi a ſola humorum abundantia pendent. Proſunt etiam admodum, dum vicinae partes euacuantur, parte quadam

dam affecta, aut ipſa parte affecta euacuata, nec non ad impedimenta remouenda, quae actioni organi cuiusdam ſecernentis obſtent et ſecretionem per id nimis parcam reddant. Ipſae autem inanitiones omnes vires vitales minuunt, corpus infirmant, ſique contrarium aliquando effectum habent, id aliis eorum viribus tribuendum eſt. Hinc his remediis, pernicioſis ſubinde, non temere ludendum eſt, inprimis in ſanis, quibus remedia, vbi nulla neceſſaria ſunt, adhibere periculum eſt. Non facile euacuationes permittunt corporis procliuitas ad putredinem, debilitas, mobilitas, ſtrumoſa conſtitutio; ſtrumoſi enim omnes conſtitutionem euacuationibus contrariam, debilem et flaccidam habent.

Cap. XXXIV. *de remediis vomitoriis.* Notan- p. 428. tandum in his eſt, omnem potum, vtcunque blandum et mitem et gratum, ad ciendum vomitum nonnihil valere. Ipecacuanha efficaciſſimum, tutiſſimum vomitorium eſt, nec aliud incommodum habere ſolet, ſi plus eius ſumtum fuerit, quam quod vomitionem citiorem, ſed non grauiorem reddat. Scillae vires dubiae admodum ſunt, nec fieri cum aegrorum commodo poteſt, vt narcotica, nicotiana, digitalis in emeticorum vſum adhibeantur. Praeter ſubitaneam et efficacem inanitionem emetica hunc effectum habent, vt ſecretionem et fluxionem humorum ventriculi et partium vicinarum promoueant, obſtructa expediant, ſanguinis per abdomen motum promoueant eiusque viſcera ſtimulent. Magnopere in omnibus fere febribus, praeſertim primis diebus, proſunt, conſenſuali irritatione ſalutari inducta, eliminatis ſordibus, febrili materie, inducto alio motu, ſed non in omnibus febribus, nec vbique. Vim adeo antiſpaſmodicam vomitio habet, vitanda tamen, nec

 tuta

tuta ſatis vitioſum pectus habentibus, aut admodum debilibus.

P. 459. Cap. XXXV. *de remediis catharticis.* Adhibenda tantum ſunt, dum iis opus eſt, nec per conſuetudinem. Rara etiam neceſſitas eſt, his, qui ex acutis conualeſcunt, purgantia dare. Agitur ſimul de lotionum, ſuppoſitoriorum ad aluum citandam vſu.

Cap. XXXVI. *de remediis diureticis*, quorum effectus licet praeſentanei ſaepe, vtplurimum tamen adeo incerti ſunt, vt nemo medicorum certo polliceri poſſit, ſe vrinam cuique aegro certe moturum. Multum tenuis humoris et omnis ſal, qui in corpore continetur, omnisque acrimonia per vrinam propellitur, hinc potus tenues omnes, ſales acres, ſtimulantes, acriaque alia diuretica. Oleum adeo abdomini illitum vrinam potenter pellit.

P. 493. Cap. XXXVII. *de remediis diaphoreticis et ſudoriferis.* Valde dubium adhuc eſt, an vlla exiſtant medicamenta cutim peculiari ſua vi ſtimulantia vaſaque cutanea ad actionem validiorem concitantia. Hinc et omnia medicamenta ad hunc finem adhiberi ſolita directam vim non habent, ſed diluentia, ſedantia, ſtimulantia, caet. ſunt.

P. 518. Cap. XXXVIII. *de remediis errhinis et ſialagogis et expectorantibus.* Errhina fere omnia ſternutationem mouent, praeter emollientia, quae mucum ſine ſternutatione ducunt. Obtuſus oculorum, narium, ex errhinis ſenſus narcoticae vi, quam haec medicamenta poſſident, tribuendus eſt. — In ſialagogis mercurialia potentiſſima ſunt, in iisque, ſales et calces mercuriales cutaneam euacuationem magis accelerant, crudi autem mercurii cum ſeuo praeparationes ſaliuam. — Expectorantia omnia vel admodum exiguas, vel admodum incertas vires habent: nondum enim vllum conſtitit medicamentum,

tum, quod certas ad expectorationem promouendam vires haberet. Duo genera maxime ex iis eminent, ſtimulantia et demulcentia, ſeu incraſſantia.

Cap. XXXIX. *de remediis emmenagogis.* Quae ſanguinem ad vterum peculiari vi ducere videntur medicamenta non dantur, videre attamen medici, varia etiam obſtructi menſtrui curſus cauſſa praeſente, in herbis quibusdam peculiarem ad hunc fluxum vim latere, in rubiae tinctorum radice v. g. caet. quamuis dolendum ſit, eam in compluribus aegris fruſtra eſſe tentatam. A duabus autem cauſſis generalioribus menſes potiſſimum deficiunt, vel a defectu vis, quae ſanguinem per vterina vaſa pellere debuiſſet, vel ab impedimento aliquo praeter naturam, quod nec vires ſanguinem pellentes naturales, nec maiores ſuperare queant. Aegre hinc medicamenta ad menſtruum fluxum dari ſolita in pulchrum et concinnum ordinem reduci poſſunt, quum pro cauſſarum varietate admodum varient. Memorantur tamen corporis motus, aura electrica, animi affectus excitantes, medicamenta ſtimulantia, ferrum, balneum frigidum, cathartica, diuretica acriora.

Cap. XL. *de ſanguinis detractione.* Diſtinguitur diligenter inter generalem ſanguinis detractionem, quae inciſa magna vena perficitur, et ſpecialem, localem, ſanguiſugarum, cucurbitularum ope. Haec fere ſemper tuto adhibetur et aliquoties repetitur, illa non aeque. Effectus ſanguinis modica quantitate e venis detracti ſemper ſunt imminutio copiae humorum circulantium, relaxatio corporis, virium, ſanguinis motus temperatio. Exponuntur poſtea noxae ſanguinis miſſionis variae, innumerae, regulaque datur, ſaepius neceſſariam eſſe ſanguinis miſſionem in pyrexiis, rarius p. 563.

in

in neuroſibus, rariſſime in cachexiis. — Ad animi vſque deliquium ſanguinis detractio rariſſime tentanda eſt, imo in his, qui ex ſanguine miſſo animo facile linqui ſolent, ſtudioſe vitanda. Locus in inflammationibus ſanguinis detrahendi affectae parti quam proximus eſſe debet, nondum autem conſtat, num ex arteria ſanguinis miſſio magis proficua ſit. Inſuper alia incommoda arteriae inciſio habet; eamque ob cauſſam nulla arteria incidi debet, praeter temporalem aliquem forte ramum, in grauiore quodam forte capitis, aurium, oculorum morbo. Veroſimile etiam eſt egregie eſſe profuturum, arteriam partis inflammatae, vel ramulos etiam aliquos maiores cum ea communicantes, ſi facultas eſſet, incidere.

p. 591. Cap. XLI. *de remediis epiſpaſticis.* Tractatur de veſicatoriis, fonticulis, ſetaceis, rubefacientibus medicinis. —

Cap. XLII. *de remediis anthelminticis.* Signa vermium copioſe exponuntur, notaturque, diligenter cauendum eſſe ab errore, quo, vbicunque vermes deprehenduntur, nihil vlterius reſpicitur, nihil quaeritur. Medicamenta, quae per aſperitatem ſuam vermes laedunt, ſunt puluis corallinae craſſior, ſtannum limatum, ſpicula arboris Iamaicenſis, quae dolichos pruriens vocatur, nuper laudata. Venena vermibus ſunt filicis radix, cortex Geofreae Iamaicenſis, radix Spigeliae Marylandicae, ſantonici ſemen, deſtillati ſpiritus. Pellunt inſuper vermes foetida, purgantia, caet.

p. 622. Cap. XLIII. *de remediis lithontripticis.* In calculo pellendo medici parum ab omni tempore felices fuere. Plurima remedia admodum iactata aut inutilia, aut noxia fuere. Tandem anus quaedam medicamentum ſuum pro pretio ſatis honeſto ſenatui Britanno vendidit, medicis minus cauto forte,

te, ſed incorrupto teſtimonio ſuo confirmantibus, hanc medicinam calculos in veſica reuera comminuiſſe et calculoſos aliquot a ſuo morbo penitus liberaſſe. Princeps in medicamenti farragine calx viua cum ſapone fuit, poſtea ad calcis aquam medici tranſierunt. Alcali poſtea cauſticum, a medico, arcani inſtar, admodum iactatum adhibitum frequenter, ſed ſine plurimo fructu, eſt. Cauſticum alcali certe naturam ſuam non retinet, dum ad locum adfectum per ſanguinem peruenit; hinc omnes eius effectus a ſtimulo, quo vrinam pellit, explicandi ſunt. Idem ſtimulus efficit, vt vuae vrſi herba calculoſos potenter ſubleuet.

Vt aliquam lector libri ideam habeat, partem argumenti, inprimis nouiter ab auctore dicta, aut non vbiuis obuia excerpſimus. Nec eſt, quod negemus, praeclarum ex plurima parte laborem eſſe, quam in theoretica medicina Auctor inſumſit. Attamen multa etiam in libro deſideranda ſunt, ob anatomen in phyſiologicis penitus praetermiſſam, ſine qua functionum complurium corporis humani ſani iuſta cognitio locum habere nequit, ob omnia, quae functionibus explicandis vllo modo ſubueniunt, ſtudioſe omiſſa, in primis quae hypotheſes redolent. Quamuis enim ſatis per ſe laudabile ſit factis tantum rebus inhaerere, certisque et firma experientia confirmatis, expedit tamen tironi in medicina noſſe, quaenam ad eruenda ea, quae ſenſibus noſtris ſe ſubducunt, medici et philoſophi cogitauerint et ceu probabilia maxime ſtabiliuerint. Deſiderium certe in libro eſt, auctorem de irritabilitate tot annorum experimentis ſtabilita, de generationis negotio, in quo explanando illuſtrandoque ſummam operam praeclari et ſagaciſſimi viri dedere, parum aut nihil dixiſſe, quae vllo modo ad explicationem conferant, in ſecretionum negotio

de

de hypotheſibus vanis forte, ingenioſis attamen nihil addidiſſe, verbo vniuerſam phyſiologiam, ceu empiricam mere diſciplinam, ſtudio rationis admodum parco habito, pertractaſſe.

Ad pathologiam quod attinet, licet non negemus, ad functionum a ſtatu ſano aberrationes melius et perfectius cognoſcendas multum conferre, ſi, ſtatu ſano functionis cuiusdam pertractato, morbidus eiusdem functionis ſtatus exponatur, generalia tamen de morbis admodum parca in ſuo ſyſtemate praeclarus auctor comprehendit, cauſſarum theoriam, medicis adeo neceſſariam, paene omnem omiſit, nec multa, quae ad ipſorum morborum origines valent, addidit, adeo vt omnia paene, aut ſaltim plurima, pro pathologia generali ab ipſo habita, ſolam tantum pathologiae generalioris partem, ſymptomatologiam ſpectent.

In therapia generali medicamentis plus operam dedit, quam hactenus factum eſt, nec dici facile poteſt, quantopere hanc diſciplinam ornauerit, dum veras factasque tantum res exponeret, coniecturalia omnia omitteret, ita vt vix ſint, quae in hac parte, quae de medicamentis agit, reprehendi poſſint. Sed quae priores therapiae generalioris et difficiliores partes conſtituunt ſcientiae de generalioribus medicamentorum viribus, de medicamentis adhibendis penitus omiſſa ſunt, nec in his, quae ad iudicationes faciunt, omnia ſcitu vtilia neceſſariaque expoſita ſunt.

III.

Medécine domeſtique, ou traité complet des moyens de ſe conſerver en ſanté de guerir et de prévenir les maladies par le regime et les remèdes ſimples: Ouvrage utile aux perſon-

ſonnes de tout etat, et mis à la portée de tout le monde, par GUIL. BUCHAN, M. D. du college Royal des médecins d'Edimbourgh. Traduit de l'Anglois par I. D. DUPLANIL, D. M. de la Faculté de Montpellier et medecin ordinaire de S. A. R. Monſeigneur le Comte d'Artois. Nouvelle edition, d'apres la ſeconde, qui a paru à Paris depuis peu, revue, corrigée et conſiderablement augmentée ſur la ſixieme edition de Londres. A Geneve, chez Pellet, 1781 in 12mo maj. Tome I. Introduct. 92. pag. text. 467 pag. Tome II. pag. 60. et 468. Tome III. pag. 576. Tome IV. pag. 502. Tome V. pag. 596. Tome VI. pag. 48. et 336. Tome VII. pag. 408.

i. e.

Medicina domeſtica, ſiue de conſeruanda bona valetudine et morbis regimine et medicinis comparatu facilibus praecauendis, tractatus locupletiſſimus, Auctore GVIL. BVCHAN, verſa in Gallicum ſermonem a I. D. DUPLANIL.

In immenſum paene dilatatum auctumque opus doctiſſimum vtiliſſimumque Cl[i] BUCHAN eſt a Gallo Franco traductore, qui ſolam generis humani vtilitatem in libro hoc edendo amplificandoque ſe reſpexiſſe adſerit. Sed nimis fuſe res ſuas geſſit editor, adiecto indice, qui tomum ſextum ſeptimumque penitus fere occupat, argumentisque capitum et articulorum tam prolixis, vt quartam paene totius operis partem efficiant.

In

Inſuper primae operis parti, quae de bona valetudine conſeruanda agit, additae ſunt ab editore definitiones omnium paene terminorum, quos *technicos* vocant, nec non anatomicae viſcerum omnium partiumque corporis humani, quae in vniverſo opere memorantur, deſcriptiones; deſcriptae etiam ſunt ab eodem principes oeconomiae animalis functiones, ſanguinis circulatio, reſpiratio, ciborum digeſtio, excretiones, caet. Notae etiam copioſiſſimae ab eodem textui ſubditae ſunt, marginibusque argumenta addita, tandemque, vt magis libri moles increſceret, ad finem tractationis cuiuscunque addita ab editore breuiter, vt ipſe quidem dicit, ſed ſatis omnino fuſe, repetita ſunt.

Alteri tomo operis Cl^{mi} BUCHAN, in quo morborum debitis medicamentis auertendorum et curandorum ratio exponitur, additae ab editore ſunt definitiones copioſiſſimae eorum, quae in libro memorantur, nec non plantarum omnium medicamentorumque tam ſimplicium, quam compoſitorum, quae in libro aut commendantur, aut memorantur, deſcriptiones fuſiſſimae nec admodum vbique bonae.

Eidem tomo aliam etiam tractationem editor adnectit, de ſymptomatibus morbis generalioribus internis propriis, qui certam ſedem non habentes, nec euidenti quodam modo cauſſas, ex quibus nati ſunt, indicantes, incerta nomina habent. In eadem tractatione ſymptomata etiam tradita ſunt, quae alios morbos praecedunt, ſedem quidem certam habentes, quam autem non ſtatim, ſed in decurſu ſuo demum produnt.

Vbi tandem auctor in textu vllo modo defecerat, aut in ſymptomatibus exponendis, aut in ſede morbi tradenda, exponenda, illuſtranda, aut denique in cauſſis exponendis, ſymptomatibus ex iis deducen-

ducendis aut in vera medendi methodo praecipienda, ea omnia editor in notis copioſiſſimis ſuggeſſit, plures morbos, quos Auctor ſilentio praeterierat, deſcripſit, addendis partim textui ſubiectis, partim in capitis noui ordine digeſtis. Adiectae etiam ab editore meditationes de remediis prophylacticis ſunt.

Vt verbo rem comprehendamus, vera ex omni parte ſunt, quae editor de additis a ſe dicit praef. pag. 26. nullam eſſe in vniuerſo opere paginam, cui non quaedam acceſſerint, multisque in locis plurima acceſſiſſe. Multa etiam in ordine operis ab editore mutata, translata alium in locum, diſtincta melius curatiusque ſunt. Articulis argumenti epigraphe addita eſt.

Vt autem per ſingulos tomos transeamus, auctoris praefationi et introductioni ab editore nihil, capiti vero primo quaedam acceſſerunt. Moriuntur in Gallia puerorum, qui aetatis ſuae nonum annum nondum ſuperarunt, partes $\frac{2}{3}$. ſed rationes, quae ad hoc credendum editorem induxerunt, non expoſitae ſunt. — Eas tantum matres a puerorum ſuorum lactatione prohibendas editor putat, quae aut phthiſin pulmonalem confirmatam habent, aut lacte penitus carent. Morbi alii lactationem non prohibent. Omni certe opera in eo reſpiciendum eſt, ne parentes in magnis vrbibus, in quibus mala luxuries omnes infecit, pueros ſuos conductitiis nutricibus tradant, ſummamque indignationem mouent ea, quae Noſter in notis ad pag. 7. de Pariſinorum et Lugdunenſium in his rebus more profert.

Plura addita etiam ſunt ad amictum puerorum, nec non ad victum eorum pertinentia. Omnes ii vehementer taxantur, qui lactis loco alia alimenta pueris praecipiunt, vituperandus adeo editori Ger- p. 43.

manorum mos videtur, qui, dum pueri lacte materno carent, conducti lactis loco eos vaccino lacte cum pane ſimilagineo nutriunt. — Coloſtri ad primas vias purgandas laudes copioſe recenſentur, peſſimusque iſte mos, quo ablactati pueri aliis, quibuscum primos aetatis annos tranſigant, traduntur, iure taxatur.

p. 81. Frigidi balnei vſus is eſſe debet, vt pueri ei ſenſim adſueſcant, iis videlicet partibus in frigidam immiſſis, quas frigidus aër iam durauerat. Non autem a balneorum frigidorum bonitate ad aëris frigidi, inprimis ventis agitati, ſalutares effectus concluſio valet. Febris autem, aſthmata, conuulſiones et cuiuscunque generis morbi in Gallia pueros eam ob cauſſam occupant, quod per totam ſuam puerilem aetatem opulentiorum praeſertim filii in conclauibus dormitoriisque nimis anguſti aërem propriis ſordibus corruptum continentibus detineantur.

Taxatur etiam admodum puerorum in cunis agitatio nimia. Vidit editor puerum, a nimia ob denegatas cunas, quibus adſueuerat, eiulatione in lethiferum maraſmum incidiſſe.

p. 103. Multum etiam locupletata additamentis de artificum opificumque morbis tractatio eſt. Qui calori admodum intenſo expoſiti ſunt, ſudores copioſos a frigida epota experiuntur, aeſtum ſudoris expertem a ſpirituoſis epotis.

p. 184. Caput III. de alimentis admodum etiam ab editore dilatatum eſt. Potus copioſus cuiuscunque generis eam potiſſimum ob cauſſam nocet, quod humores gaſtricos nimis diluat. Si calidus inſuper eſt, mucum inteſtinorum, viſcerum, deſtruit, neruos externis iniuriis obnoxios reddit. Copioſiſſimus caeterum eſt in vini natura, qualitatibus, commodis, noxis, mangoniſationibus, praeparationibus,

caet.

caet. exponendis. Additi etiam modi ſunt vini acetum, cereuiſiam, panem, caet. praeparandi. Caffea damnatur ob irritantem fortiter et ſtimulantem ſuam vim. Tamen non tam vehementer nocet, quam thea epota, quum tanta doſi non ſumatur, et farinam facilem et nutrientem contineat. Lacte remixta colicas ſtomachi et inteſtinorum horrendas quibusdam inducit.

Caput IV. de aëre. Templa Gallica aërem purum vtplurimum et maxime ſalutarem habent, ob aërem externum vbique peruium. Corruptus tamen admodum aër in templis eſt, ad quae aditus non quotidie patet. Simul ea, quae in Gallia ad mortuorum ſepulcra a templis et monaſteriis demouenda acta ſunt, enarrantur. p. 234.

Cap. VI. meridianus ſomnus pueris ad quartum vſque aetatis annum, ſenibus, literatis, ex hypochondriis laborantibus, melancholicis, phlegmatico et pituitoſo temperamento praeditis, conualeſcentibus, alia aduerſa valetudine leuiori adfectis, ad phthiſin pulmonalem pronis, caet. praecipitur. — Veſtimenta ex panno laneo confecta cuivis anni tempori conueniunt, aeſtum nec intendentia, nec moderantia nimis. — Pectoris inflammatio cuiuscunque generis noſtris temporibus ob ſpirituum ardentium copioſiſſimum vſum longe frequentior, quam priſcis temporibus, eſt. p. 269.

Cap. IX. de contagiis morboſis arcendis acceſſere de nociuo aegris frequentiorum viſitationum more, de peſte arcenda, praecauenda, de noſocomiorum iuſto regimine, de morbis in noſocomiis publicis ob malam adminiſtrationem, munditiem neglectam, caet. periculoſis magis atque mortiferis, de noſocomiis rite inſtruendis, adminiſtrandis. p. 316

Cap. X. de animi pathematum noxis. Vidit noſter mulierem, quae partum recenter enixa fue-

rat, in lethiferum maraſmum incidiſſe a vano vlceris vterini metu ipſi incuſſo. In eundem morbum lethalem alia febre lenta neruoſa laborans incidit ex hydropis pectoris vano metu. Hinc caute mortis aut morborum praeſagia formanda ſunt.

p. 378. Cap. XI. Multum intereſt, vt lege tempus praecipiatur, ne aedium recenter conſtructarum habitatio nimis praecipitetur. —

Alteri tomo ſymptomata, quibus morbi interni diſtinguuntur, praefixa ſunt. Sed non ſemper in his ſymptomatibus deſcribendis ſumma diligentia adhibita eſt. Paraphrenitis v. g. febris peracuta dicitur cum dolore in regione diaphragmatis, ſub quocunque corporis motu aucto, nec facile perſpici poteſt, quid vera aut falſa auctori pectoris fluxio ſit. Putridae et petechiali febri ſigna eadem adſcribuntur, nec ſummus vbique et laudabilis ordo in febribus praeſertim obſeruatus eſt. Phrenitis encephali inflammationi tribuitur. Venenorum etiam datorum ſumtorumue ſigna, ſed imperfecte exponuntur.

Notata ad ipſum BUCHANI textum modos continent, quibus morborum indoles ex aegris ſciſcitando erui poſſit, de ſymptomatibus febri propriis aut non propriis, de cutaneorum exanthematum differentiis, de febribus petechialibus malignis a mere petechialibus diſtinguendis, de medicamentorum ſimplicium ad febres vtilitate, de venaeſectione in febribus acutis caute adhibenda, de ſudore non arte in febribus educendo, de alimentis conualeſcentibus opportunis.

p. 46. Laudani liquidi Sydenhami guttae XXV. in febrium intermittentium aeſtu datae calorem mitigare, ſudorem accelerare dicuntur. Ipecacuanhae radicis, ad vomitum intermittentibus febribus laborantibus concitandum, doſis parca eſſe debet. Cortex

tex Peruuianus ſpem medentium in intermittentibus ſaepius, ob parcas nimis, quibus exhibetur, doſes fallit. Salicis cortex in corticis Peruuiani ſuccedaneis maxime laudatur.

Continuarum febrium nomina varia ex variis eorum ſymptomatibus maxime eminentibus ſatis bene deducta ſunt. Ita etiam noxae ex ſanguinis miſſionibus nimiis in febribus, infrequenti alias Gallis more, ſatis bene expoſitae ſunt.

Pulmonalis phthiſis infrequens olim in Gallia p. 136. morbus fuit, hodie frequentior, ob ſedentarios labores copioſiores, exceſſus in diaeta frequentiſſimos, caffeae abuſum, et thoraces mulierculis crebros. Multum etiam ad hunc morbum producendum confert mala, incongrua, neglecta educatio, peruerſum infantum regimen, caet. Cuprum etiam, cum quo plures artifices occupantur, ad hunc morbum producendum plurimum confert, in his, qui horologia, inſtrumenta mathematica, caet. conficiunt.

Miliaris febris in Galliae meridionalibus parti- p. 217. bus admodum rara eſt, in ſeptentrionalibus vero regionibus ex longo iam tempore epidemico modo ſaeuiit.

Copioſus etiam in additamentis editor fuit ad capita de variolis, de variolarum inſitione, de morbillis, rubeolis, ſcarlatina febre et inflammationibus internis. Sed haec omnia auctorem non admodum illuſtrant.

Catarrhum cerebri eum editor eſſe putat, qui III. p. 6. ſedem in ſinubus frontalibus et maxillaribus habet, eumque facile depelli poſſe dicit, quod quidem non negamus, ſi recens eſt, inueteratus vero difficulter depellitur et graues morbos inducit. — Vomitus tuſſis ſtomachicae conſtans ſymptoma perhibetur. — In difficulter dentientium tuſſi gingi-

vas incidere, vt dentes prodire poſſint, expedit. — Caeterum in tertio tomo tuſſes variae, conuulſiua tuſſis, inteſtinorum inflammatio, colici doloris variae ſpecies, cholera morbus, vomitus, alui profluuium, vrinae nimia profuſio, ſuppreſſio, calculus, haemorrhagiae cuiuscunque generis, dyſenteria, lienteria, capitis, aurium, oculorum, ventriculi dolores, verminoſorum morbi, regius morbus, hydrops, arthritis, rheumatiſmus, ſcorbutus, ſcrofulae, ſcabies, herpetes aliique cutanei morbi, aſthma, apoplexia, alui tarditas, appetitus defectio, digeſtionis difficultas, cardialgia, ſoda, pertractantur, hoc modo, vt editor, qui in prioribus tomis ſua in notationibus ſubiecerat, in hoc et ſequenti tomo ſua ab auctore dictis immiſcuerit, leuiori tantum notula diſtincta.

IV. Neruorum morbi quarti tomi argumentum maxime ſunt, agiturque in eo de medicinis ad neruorum morbos generatim praeſcribendis, de melancholia, inſania et noſtalgia, paralyſi, hemiplegia, epilepſia, chorea Sancti Viti, ſingultu, ſpaſmis particularibus, incubo, ſyncope, aſphyxia, flatibus, animi deiectione, hyſterica affectione, hypochondriaco morbo.

Senſuum externorum morbi in eodem tomo pertractantur, oculorum videlicet, amauroſis, cataracta, myopia, presbyopia, ſtrabiſmus, oculorum maculae, ſanguinis in oculorum tunicis profuſiones, lippitudo, peregrina corpora, oculos afficientia. In aurium morbis ſurditas, in odoratus morbis ſternutatio, ozaena, narium polypus. Tandem guſtus tactusque morbi exponuntur.

Tranſitus poſtea ad obſtructiones externas, infarctus, ſcirrhum et cancrum eſt, ab iisque ad venena varia eorumque antidota, caninam rabiem,

caet.

caet. Finis tomo imponitur copioſa admodum morborum venereorum pertractatione.

Quinto tomo foeminei ſexus morbi pertractantur. Generaliori tractatione, ſed ſuccincta, praemiſſa, de menſtruo fluxu, menſtruo ſanguine primum prorumpente, de menſtrui fluxus ſuppreſſione, pallido mulierum colore, pica, malacia, menſtruorum profluuio immoderato, vteri haemorrhagia, polypis vterinis, vaginae vterinae, fluore albo et menſtruo fluxu naturalem in modum ceſſante agitur. Ab his ad grauiditatem tranſitus eſt eiusque ſigna, quae ad quartum vſque menſem incerta perhibentur. Grauiditatis incommodis maxime cardialgia, ſoda, nauſea, vomitus, capitis, dentium dolores, tuſſis, vrinae ſuppreſſio aut incontinentia maxime adnumerantur. Grauidarum poſtea vitae ratio copioſe docetur, deinde de abortu, illius cauſſis, ſignis, regimine earum, quae ad abortum procliues ſunt, agitur. V.

De partu ſimplici et naturali, partu praeter naturam, difficili, laborioſo, vteri inflammatione, lochiorum ſuppreſſione, mammarum inflammatione, miliari puerperarum alba et rubra febre, febricula lactea, lacte in mammis coagulato, ſterilitate, vterino furore.

Puerorum omnes morbi parcas admodum medicinas requirunt, nec facile aliquid ferunt, praeter emetica leniora aut fortiora, purgantia leniora, mannam, magneſiam albam. Omnes verbo medicinae, quae pueris cum vſu quodam dantur, in alui purgatione conſiſtunt. — Solitum eſt meconio, vt intra XXIV horas a partu ſponte propellatur. Quod ſi non fit, coloſtrum infanti exhibendum eſt, aut aqua, in qua mel ſolutum ſit. Tarda nimis aluus regimine, non medicamentis citanda eſt. Anus ſi pertinaciter prolapſus eſt, admiſſo maſtyches fumo p. 131.

 rece-

recedit. Poſtea de aphthis agitur, ſed non de aphtharum eo genere, quod KETELAER obſeruavit, ſed de facile cedentibus, de acido in primis viis congeſto, torminibus colicisque inde natis. Ad cutis excoriationes infantibus frequentes praeter munditiem, vegeto-mineralis Goulardi aqua, vitrioli albi cum aqua, aut fullonum terrae ſolutio laudantur. Naribus a muco pertinaciter obſtructis album vitriolum, elaterium, caet. ſubuenire editor perhibet, dum lenioribus medicinis malum cedere recuſat. Ad cruſtam lacteam violae tricoloris virtutes ſpecificas editor ſaepius expertus eſt, lenis ex omni parte medicamenti, nec vlli noxii. Pertractantur inſuper tinea capitis, noxae corporis a frigore contractae, membranacea angina, difficilis dentium prouentus, rachitis, conuulſiones, hydrocephalus, capitis hydrops, abdominis in pueris inflatio et venereus morbus eos occupans.

Vltimis capitibus de auxiliis chirurgicis leuiori manu ferendis, de venaeſectione inſtituenda, cura tumoribus inflammatoriis externis, abſceſſibus, panaritio, gangraenae, vulneribus, ambuſtionibus, contuſionibus, vlceribus, fiſtulis, fiſtula lacrymali, luxationibus, fracturis, herniis gerenda agitur, tandemque de mortiferis ſymptomatibus a corporibus peregrinis, quae in oeſophagum aut laryngem pervenerunt, inductis, de aqua, vaporibus mephiticis, frigore ſuffocatis.

Indicem copioſiſſimum, at fuſum nimis, tomus ſextus ſeptimusque continent.

IV.

D. HENRICI FRIDERICI DELII, Conſiliar. intimi aulae Brandenb. medic. profeſſ. primar. — Aduer-

Aduerſaria argumenti phyſico - medici. Faſciculus quartus. Erlangae, apud Wolfgangum Waltherum 1785. 4to. 1 *Alph.*

Continentur in his aduerſariis opuſcula academica ſequentia, ab ipſo viro Illuſtri conſcripta et ſub eius praeſidio publice ventilata:

I. *Curae poſteriores circa acidum ſpathi.* Earum cenſuram breuem iam dedimus *).

II. *Breuis luſtratio medicamentorum antiphthiſicorum, cum aduerſariis nonnullis phyſico-chemicis a* SIGISMUND. GOTTLOB FRIEDER. HELMERSHAUSEN *defenſa Erlangae menſ. Aug.* 1783. Obſtant indiſcriminato medicamentorum phthiſi pulmonali contrariorum vſui ambiguus dubiusque ipſorum effectus, praecipue minus iuſta phthiſeos pulmonalis notio ac vulgare praeiudicium, quo omnis phthiſis a malo, vlceroſo pulmonum habitu pendere, eamque ob cauſſam ad pectoralia balſamica, vulneraria, calefacientia maxime confugiendum eſſe putatur. Phthiſeos a pulmonum exulceratione oriundae indicationes ſunt, vt vlcus purgetur, materia vlceroſa abſtergatur, irritationes, adfluxus humorum verſus pulmones, praecaueantur, tuſſis, febricula, virium lapſus mitigentur. Medicamenta ad hunc ſcopum facientia alphabetico ordine recenſentur, adiectis ſimul animaduerſionibus breuioribus, eorum qualitates, efficaciam, vſum concernentibus, hoc modo, vt primum ex vegetabili, poſtea ex animali, deinde ex minerali regno petita recenſeantur. Addita ſunt atmoſphaerica, diaetetica chirurgica, variaque in pauperum vſum euporiſta. In aduerſariis diſputationi adiectis ex tabulis meteorologicis Ill. Auctor probat, nebularum aeſtatis anni 1764 rationem minime eandem fuiſſe, quam ae-

Qq 5 ſtatis

* Vid. comm. noſtr. dec. III. Suppl. 3. p. 529.

ſtatis anni 1783. huius anni autem nebula ſicca admodum fuit. Recruduerunt inprimis tempeſtate oborta, nec vllum ſiniſtrum ediderunt effectum. — Lapidis Labradorienſis colores varii a luminis radiis varie in eum incidentibus deriuantur, metallica tamen indoles quaedam illi non denegatur, experimentis, moderata olim lapidis caritate, demonſtranda — Gelatinae vegetabiles mixtione et natura differunt. Decoctum herbae petroſelini in gelatinam abit acrem, radicum autem onagrae *Riv.* decoctio adſtringentem gelatinam dat. Hinc talia promiſcue adhibenda non ſunt. — Fruſta piſcis Salmonis noctu lucent, lux adeo in digitum propagata eſt, hoc fruſto affrictum. — Conuoluuli maioris radices cum aqua poſteaque cum vini ſpiritu infuſae poſteaque in cineres redactae nihil ſalis dederunt, vt itaque ſal alcalinus aquae et ſpiritus ope vna elotus eſſe videatur. — Efficacem forte tincturam antimonii impetrari putat Ill. Auctor, ſi ſulphureo alcalina ſeu media antimonialis maſſa per bonum liquorem anodynum extrahatur.

III. *Diſſertatio de capite mortuo viuificando, cum aduerſariis nonnullis pathologico-practicis, ab* ANTONIO ERNESTO FRICKHINGER *defenſa Erlangae, menſ. Nov.* 1783. Variae remanentiae conſiderantur, quae a peractis variis chemicis laboribus, et igne praecipue tractatis, poſt obtenta ea, quae deſiderabantur, reliqua ſunt. — Sal mirabile artificiale, parandi artificio minus recte inſtituto ſuſpectum eſſe docetur, praeſtare vero ſal mirabile naturale purius et ſalubrius, ſal aperitiuum Fridericianum. In aduerſariis adiectis docetur, mentem etiam ipſam inflammari poſſe, vt ſcilicet pathemate grauiori nec ſemper recta vtiliaque reſpiciente, phantaſia aucta corruptaque, partes menti ſubiectae in materialem inflammationem tranſeant.

Mul-

Multum ad talem ſtatum conferre putat Ill. vir fabulas Romanenſes fanaticas ſenſilitatem nimiam concitantes. — Morbus Gallicus exeunte ſaeculo XV. primum exortus non ſolummodo venereus fuiſſe videtur, ſed compoſitus e morbis variis caſtrenſibus et venereis, vnde tanta eaque contagioſa virulentia nata. — Ad ſerpiginem foemellarum maculasque hepaticas porcellana minus alba cum citri ſucco ſoluta, externe adhibita, ceu abſtergens innoxium, laudatur, quod terream ſalinam mediam indolem habet. Eadem ab aliis teſtaceis cum acido quodam vegetabili ſolutis praeſtari Ill. vir putat. — Orgasmi hypochondriacorum, hyſtericarum ab immoderato liquorum ſpirituoſorum vſu ſaepe oriuntur. — Tuſſi catarrhali ſedem ſaepe larynx praebet, aut aſperae arteriae quaedam pars. Hinc ad eam tantus incraſſantium, emollientium, lubricantium vſus. — Succus citri potusque citratus cardialgiam, ſodam, ventriculi adfectiones alias ſaepe inducit. — Faſciarum, quibus cephalalgia adfecti caput cum leuamine morbi circumducunt, effectus eſt, vt nouam partium reſiſtentiam inducant, eoque modo materiae ſtagnantis diſcuſſioni faueant. — Ad humores inflammatorios, praecipue cum exanthematibus, emplaſtrorum et fomentorum loco, folia recentia vitis viniferae, ariſtolochiae, lapathi, braſſicae, ſambuci, caet. laudantur. — Purpura non omnis a bile oritur, eademque petechiarum eſt ratio. Singularis potius ſaepe ſanguinis et ſeri acrimonia ſubeſt. — Hinc vtique purpura idiopathica datur, a ſanguine proueniens, a ſymptomatica, ex primis viis proueniente, diligenter diſtinguenda.

IV. *Propoſitionum et meditationum phyſico-medicarum ſylloge a* IOANNE NEFF *defenſa. Erlangae, menſ. April.* 1784. Carum admodum eſt experimen-

mentum, dum aër, magna admodum copia, inflammabilis ex ferri limatura aut Zinco cum vitrioli acido mixtis educitur. Sed minuitur pretium, dum ex reſidua materie ferri vitriolum, ex materie vero, ſi zincum fuerat adiectum, album vitriolum paratur. — Cryſtallos varias, nec easdem ſemper et vna eademque materie parit ignis, frigus, humiditas. Hinc ex cryſtallorum forma ad ſalis naturam concluſio non ſemper valet. — Phlegma poſt ſpiritus vini deſtillationem remanens oleum verum ſtillatitium largitur; ſaporis acris aromatici. Aquis ſoteriis plurimis praeter vitrioli acidum et ammoniacus ſal, nec non communis ſal admixtus eſt. Hinc tales aquas artificio parans iis etiam horum ſalium partem admiſcere debet. — *Siderum*, quod metallum ſtatuit nouum BERGMANNUS, ferri ſpeciem eſſe contendit Ill. Auctor; de platina vero nondum ſatis conſtare putat, vtrum auri ſpecies ſit, ferro, vel alio quodam corpore addito, vel non. — Auri ſolutio cum gallarum decoctione mixta purpureum, et demum atrum colorem inducit. — Primitiuus aquae ſtatus congelationis eius non eſt. — Terrae ingentes motus, quos Sicilia, Calabria, Islandia expertae ſunt, ab igne materiali eiusque pabulis ſubterraneis explicantur. — Oſſium varia forma fibroſa, lamelloſa, fiſtuloſa, ſpongioſa, petroſa, cum lapidum nonnullorum forma comparatur. — Regulare digeſtionis et adſumtorum excretionis tempus ex eo quodam modo determinari poteſt, quod deglutita ex improuiſo ſuo tempore per aluum excernantur. Annulum ex alcis vngula confectum puella circa meridiem deglutiuerat. Eum praeterlapſis exacte XXIV. horis depoſuit. — Gallinae aethiopes nigram cutem, albam carnem, oſſa, ſeu potius perioſtium nigra habent, forte ex perioſtio et cute continuis. — In pathologicis ſectionibus cauſſae morborum non in viſceribus ſolum, ſed in ner-

vis

vis etiam quaerendae ſunt, eorum originibus, distributionibus, plexibus, gangliis. — Decurſus morborum ipſaque malignitas adeo a vitae regimine ſaepe pendet. — Maculae cutaneae, aeſtiuae purpureae, petechias referentes, putridam indolem non habent et ſoli bono regimini cedunt. — Exacerbationum in morbis cauſſae forte ab horarum temperie varia, conſueta, ſingulari, nychthemerorum pendent. — Primarum viarum vitia, vt admodum varia in plurimis morbis obuia ſunt, et hinc cauere medicus debet, ne chorda ſemper eadem oberret. — Diaeta ad morbos curandos, mutata debito modo, admodum laudatur. Tutam et iucundam hanc curationem, minusque ſumtuoſam Noſter adpellat. — Crocus vernalis, diuerſo corollae colore gaudens, non reprobandus eſt, genere enim botanico vtraeque ſpecies conueniunt, ſtigmataque cum aqua et vini ſpiritu infuſa ſaturatam tincturam croceam exhibent. — Emetica praeter euacuatorium effectum, et alterantem, concutientem habent. Eundem effectum etiam ſali aperitiuo Fridericiano Noſter tribuit, cui forte *nimia* tribuit. — Diaeta debilium (horum inprimis, qui optimos ſuccos praematuro diſpendio amiſerunt) eodem modo inſtituenda eſt, vt diaeta ſenum. — Dephlogiſticatus aër ad ſanitatem conſervandam multum non facit, plurimi enim in aëre atmoſphaerico, dum nociuus non admodum ſit, ſenes decrepiti euadunt. Hinc *ſuperfluis* diaeteticis (ſubinde certe noxiis) hic aër adnumerandus, caeterum, ob proceſſum praeſertim, quo elicitur, non damnandus. — Vini potus in eſu piſcium damnandus eſt, magis garum veterum conuenit, quod ex aqua ſalſa, in qua piſces cocti ſunt, paratur, aceto et piperis granis additis. — Reſinae elaſticae loco viſcus aucuparium vlterioribus experimentis proban-

bandum, eligi poterit. — Oſſium raſura vitri contracti acie perfici poteſt. Lima clauorum pedum ſuperficiem duram, vngues male conformatas, dentium eminentiam tollit. Verrucae digitorum ligno arena madida obducto commode laeuigantur. — Odontalgia a dente carioſo laborantes, nec non ii, qui eundem morbum ab aëre ventoſo admiſſo contraxerunt, multum leuaminis experiuntur, ſi gingiuas ſimulque dentem dolentem digitis comprimunt. — Iure abrogati ſunt proceſſus inquiſitorii contra ſagas, tamen non abrogandi proceſſus contra veneficas, maleficas; artes enim magicae, ſaltim nonnullis occultae, tamen proſtare queunt, quibus et prodeſſe et fallere, admodum autem quoque nocere poſſunt. — Vt ſimulati morbi cognoſcantur, diaetam, medicamenta ſeueriora praeſcribere praeſtat. —

V. *Diſſertatio de diebus intercalaribus, cum adverſariis nonnullis phyſico-medicis a* C. CHR. BÖTTGERO *defenſa. Erlangae menſ. Iunio.* 1784. Dantur etiam in chronicis morbis, hydrope, paralyſi, calculo, ſcorbuto, ſcabie, tranquilliores ſtatus et exacerbationes, ſi motus ſpectemus, quorſum etiam omnes feminarum adfectiones pertinent. In criticis diebus ex ſeptenario et impari dierum numero computandis ab omni ſuperſtitione, et rigida adeo temporum et dierum computatione abſtinendum quidem eſſe Ill. Auctor putat, non friuole vero negandum, quae fida experientia et obſeruatio docet, praecipue in morbis ſibi relictis, nec quodam modo turbatis. Sufficit dari, velut in vniuerſa natura, ſic et in morbis, tempora diesque, cum quibus plerumque ſingularia phaenomena eueniunt, medico conſideranda. Dies intercalares a veteribus non ideo adſumti eſſe videntur, vt ſtadium ſeptenarium compleant, quum praecipue ſynonymon:

mon: *prouocatorii* ſuadere videatur, veteres alia de iis ſenſiſſe. Intermedii tamen veteribus inter dies indices et criticos, ſaltim non decretorii fuere, ſed multum abeſt, vt hos dies pro talibus habeamus, in quibus morbi induciae quaedam ſunt, quum in intercalaribus ſymptomata ſaepe peſſima incidant. Omnia autem, quae in febrium decurſu non rite et ex veterum mente eueniunt, inde explicari debent, quod morbi dies ſaepe non rite numerentur. — In primo et ſecundo acutarum ſeptenario dierum intercalarium ratio ſumma habenda eſt, adſtantibus videlicet aegrisque certum a medico ſalutis aut mortis praeſagium ex magnis ſymptomatibus, his diebus incidentibus, efflagitantibus, quod tamen ferri nequit. Superatis autem his ſeptenariis, tam anxiam conſiderationem hi dies non requirunt. Euacuationum in his diebus moderamen ſummum eſſe debet, nulla enim in iis criſis incidit. — Aduerſariorum opuſculo adiectorum argumentum, pro more Ill. Auctoris, varium eſt. Eductorum et productorum in chemicis termini confundi videntur, ſaltim id, quod e corpore impetratur, in eo non eodem modo latuit, quo chemiae ope in conſpectum producitur, ita vt mutatio ſemper fuerit praegreſſa, quae nec ſeparationis, nec eductionis ſolam ideam admittat. — Aër, qui e puluere pyrio producitur explosione durante, inflammabilis eſſe videtur (alia docuit INGENHOUSIUS.) — Dephlogiſticatus aër a chorda ſemper eadem obererantibus tantopere ad omnes morbos laudatus ad ſingulos caſus certe non conueniet. — Solis eclipſes ob aëris perfrigerium ab iis inductum morbos inducere poſſunt. Lunae eclipſes morbos pariunt ob aërem ab obſeruantibus nocturno tempore corpori improuide admiſſum. — Neceſſe eſt, vt linum et goſſypium diuerſas admodum

dum conſtitutiuas partes habeat. — Lac plantarum admodum varium eſt variosque effectus habet. Singularis energia ex ſaponacearum, ſalinarum partium miſcela emergit. — Praxis eorum, qui ſpecifica, heroica ſubinde, ad omnia adhibent, minime rationalis eſt, empiriſmo fauens. — Ex cerebri, cerebelli, neruorum, oſſium, medullae tremore ſymptomata forte multa oriuntur. — Pedum ingratus ardor omnem fatigationem ſequitur, ſed lentae etiam febris comes eſt. — Opium in India ex papauere etiam albo flore et ſemine capitibusque maioribus paratur. — Iuſcula e cancris iuſculis viperinis ſubſtituenda. — Medicamenta ſpirituoſa diluta aegris dare expedit, concentrata enim ſi cum aqua ſumantur, reſina in iis ſaepe contenta ob aquam admixtam praecipitatur.

VI. *Cogitationes nonnullae circa efficaciam medicamentorum phyſicam, vitalem et medicam, cum propoſitionibus quibusdam chemicis a* IACOBO FRIDERICO SCHALTENBRAND *defenſae menſe Octobri* 1784. Mechanicae vires ad medicamentorum explicationem nullo modo ſufficiunt, ſola hac forte vi tamen agit mercurius viuus. — Aduerſaria chemica adiecta docent, regulum antimonii martialem non ideo martialem dici ſolere, quoniam ferrum contineat, ſed quod ope ferri, cum quo ſulphurea antimonii pars facilius vnitur, paratus ſit. Sal mirabilis Glauberi natiuus ex antimonii regulo ferrato ferrum, quod in eo latuit, extraxit. — Si vllo modo transmutatio metallorum perfici poteſt, perficienda nullo modo ſtanni ope eſt, metalli quippe auro et argento ſpecifice leuioris. — Oleum calcis, quatenus ſolutio concentrata terrae calcareae in acido ſalis communis eſt, frequentius occurrit, ac forte putatur, ſaltim in dilutiori forma. — Offa Helmontii obtinetur, dum calcis oleo tartari per deli-

qui-

quium oleum adfunditur. — Pyrophorus ſulphurneogenitum eſſe videtur ab acido aluminis et inflammabili ortum. — Liquor vini probatorius plumbum in vino contentum non denigrat, niſi recens admodum ſit. Cauſſa nigredinis in volatili reſidere videtur. Forte ex antimonii ſulphureis partibus alius et conuenientior liquor vini probatorius parandus. — Cauſſa, quod corallia rubra a nullo menſtruo penitus ſoluantur, in eo ſita eſſe videtur, quod corallia, praeter terram calcaream, argillaceam etiam contineant. — Dubium adhuc eſt, vtrum ſal ammoniacus Aegyptius hoc modo paretur, vt ſali volatili vrinoſo vitrioli, aut aliud acidum addatur. — Lapides calcarei, ſi ad aedificia adhibentur, incendio erumpente in calcem viuam mutantur. — Efferueſcentia, quae oritur, ſi terrae argillaceae acidum minerale adiicitur, terrae calcareae in illa habitanti falſo adſcribitur. Argilla enim, ſola adfuſa aqua, tumeſcit, ſpumeſcit. —

Index rerum operi additus eſt admodum locuples; nec non catalogi operum, quae hactenus Illuſtris Auctor edidit, ſupplementum.

V.

IOHANNES GOTTLIEB WALTER de morbis peritonaei et apoplexia. Cum tabulis aeneis. Iuſſu academiae regiae ſcientiarum Berolinenſis. Berolini, literis G. I. Deckeri 1785. 92 pag. in 4to. cum quatuor tabulis aeneis ab I. B. G. Hopffer ad naturam delineatis, T. H. Meil ſculptis nitidiſſimis.

Eiusdem libri dimidia pars, diuiſa in media pagina, germanicam verſionem continet, quae titulum habet:

IOHANN GOTTLIEB WALTER *von den Krankheiten des Bauchfells und dem Schlagfluſs.* —

Noua vtiliſſimeque illuſtrata plurima liber Perilluſtris viri continet, medico practico aeque ac rebus anatomicis et phyſiologicis dedito vtiliſſima.

De peritonaei morbis primum ſermo eſt. Peritonaei membrana penitus ſimplex eſt, nec vt veteres et neoterici quidam putarunt, ex duabus conſtat lamellis. Nullos neruos habet, aſt ſtupendum vaſorum ſanguiferorum numerum. Conuenit cum pleura, eo excepto, quod plura vaſa ſanguinea habeat. Saccum refert, qui aſperam ſuperficiem externam habet, ob celluloſam telam, qua cum partibus aliis abdomen conſtituentibus jungitur, et in infantibus et hydropicis totus detrahi poteſt. Internam ſuperficiem et verum progreſſum et expanſionem peritonaei verbis definire vix licet. Viſcera abdominis omnia inueſtit, eorumque membranam exteriorem efficit, ſerpendo inter omnia viſcera partim ligamenta, partim ſaccos, omentum, meſenterium, conſtituit, adeo, vt, ſi humana arte peritonaeum cum omnibus ſuis proceſſibus atque duplicaturis in vnam latamque ſuperficiem expandere liceret, corporis humani ſuperficiem magnitudine aut referret, aut excederet.

Summa autem peritonaei ſecretio eſt, ob ſtu-
p. 5. pendum vaſorum numerum, quae omnia ſiue adipem craſſum, ſiue halitum ſubtiliſſimum partibus oleoſis remixtum ſecernunt. In naturali ſtatu halitum ſubtilem peritonaeum ſecernit viſcera lubrica humidaque ſeruantem, is vero halitus ſuccusue in praeternaturali ſtatu noxius admodum euadit. Si viſci-

viſcidior, quam in ſtatu naturali, fit, ſiue ſi vaſa peritonaei reuehentia partem tantum aquoſam atque tenuem admittunt, morbi magni oriuntur, viſcerum concretio, ſequioris ſexus ſterilitas, hydatidum generatio.

Tela celluloſa omnis quum ex viſcido tandem inſpiſſato ſucco oriatur, eadem tela ex viſcido et inſpiſſato peritonaei ſucco oriri poteſt, viſcera involuens, praeternaturalem in modum connectens, eorum functiones praepediens. Talis viſcerum concretio ſaepius obſeruatur.

Vt homo concipiatur, ouariorum et tubarum p. 8.
ſtatus perfecte naturalis eſſe debet. Inducitur hinc ſterilitas, ſi ouaria penitus deficiunt, qui caſus rariſſimus, forte nunquam hactenus obſeruatus eſt. Vidit Noſter, vnico exemplo, in foemina XXXI. annorum alterum ouarium perfecte deficiens. Foetum tamen haec mulier ediderat. — Si externa ouarii membrana e peritonaeo oriunda praeternaturalem in modum craſſa eſt, ouuli foecundationem impedit. Vidit ſaepius Noſter ouaria rugoſa, cicatricibus obducta. Tales foeminae infantes nunquam pepererunt ob craſſam nimis plicatamque ouariorum membranam. Hinc virgines veneri litantes rariſſime foetum concipiunt ob perpetuum verſus internas genitales partes ſanguinis adfluxum, earum irritationem et leuiorem inflammationem, membranarum ouarii craſſitiem praeternaturalem inducentem. Craſſiores forte etiam hae membranae factae ſunt, ſi foemina, vno alteroue foetu enixo, nunquam amplius foetum concipit.

Tubae ſterilitatem inducunt, ſi viſcida materies earum lumina claudit, ſi earum fimbriae telae celluloſae praeternaturalis ope cum ouariis vel alia vicina parte concreſcunt, ſi externa internaque earum apertura praecluditur, vnde hydrops tubarum

ſaepe pendet, caet. Tales mutationes tubarum aliasque in pluribus centenis cadaueribus Illuſtris vir vidit, inprimis in meretriculis, in quibus clauſae ſemper obſtructaeue tubae inuentae ſunt.

p. 14. Hydatidibus origines peritonaeum praebet. Vidit Noſter in foeminae cadauere, cuius abdomen horrendum in modum intumuerat, praeter plurimas aquas, ſteatoma XV. librarum in fundo vteri haerens totumque abdominale cauum replens. Adhaeſit inſuper in vtroque latere coeco inteſtino hydatis ingentis molis, altera quatuor, altera trium librarum, eaeque hydatides maximae fuere a Noſtro vnquam viſae. Oriuntur hae hydatides ex humore peritonaei telam celluloſam membranamque poſtea cauam formante. Vaſa harum hydatidum extremitates vaſorum exhalantium peritonaei prolongatae ſunt. Pleura cum pulmonibus connexa praeternaturalem in modum, iniectio anatomica vaſa nouiter nata a pulmonibus in pleuram tranſeuntia demonſtrat.

p. 17. Proprium peritonaei morbum hydrops aſcites conſtituit. Oritur, ſi vaſorum peritonaei exhalantium extremitates vltimae paullatim ita dilatantur, vt halitus loco, fluidum copioſum, craſſum, ſecernant. Fluidum, ineunte morbo, pellucidum, odoris expers eſt, tunc ſana adhuc abdominis viſcera plerumque ſunt. Dum vero ſanguis corrumpitur, vaſorum lumina ampliora euadunt, fluidum turbatur, odorem foetidum nauſeoſum ſpargit. Subinde tantopere inſpiſſatur, vt puris ſublutei formam induat. Hoc in caſu abdominis viſcera plerumque tumida, indurata ſunt. Haec in aliquot centenis cadaueribus Ill. vir obſeruauit. — Spes eſt fore, vt aeger reſtituatur, dum paracenteſi inſtituta, inodora, limpida aqua profluit. Si viſcida et graueolens eſt, viſcera abdominis corrupta ſunt.

Si in parte aliqua aquoſus tumor naſcitur, aquas etiam in peritonaei regione colligi indicat.

Thoracis cauum, membrana peritonaeo omni modo ſimili veſtitum eſt. Si vaſa huius membranae praeternaturali qualicunque modo dilatantur, pectoris hydrops naſcitur. In cadaueribus pectoris hydrope demortuorum vaſa pleurae dilatata inueniuntur, nec non fluidum, pus referens, pulmonibus et reliquis thoracis viſceribus adhaerens. In eo nec aetas nec ſexus diſcrimen facit. p. 22.

Ob lentam vaſorum dilatationem, pectoris et peritonaei hydrops nullam febrem comitem habent, aliter autem ſe res in puerperarum febre habet, in qua vaſorum peritonaei dilatatio ſubito naſcitur, vaſaque purulentam materiem, imo pus coctum ſecernunt. Hinc puerperarum febris Noſtro ea eſt, in qua, *praecipue poſt mortem*, plus vel minus per vaſa peritonaei ſecretum viſcidum vel tenue et foetidum fluidum in abdomine inuenitur, et hoc ſigno fatalis hic puerperarum morbus, ceu maxime diſtinctiuo, cognoſcitur. Vt autem huius morbi natura perfecte cognoſcatur, vterus quomodo ſtructus ſit, ſcire expedit. Demonſtrauit Ill. vir iam anno 1775. vterum ex vaſis ſanguiferis numeroſiſſimis telaque celluloſa valde elaſtica conſtare. Hanc opinionem plures impugnarunt, WRISBERGIUS inprimis et LODERUS. Diſcuſſis autem excuſſisque aduerſariorum argumentis, vberius docetur et prima figura adiecta illuſtratur, doloribus ad partum vrgentibus ſanguinem quidem per arterias vterinas fortiter pelli, ſed ſtatim in maiores venas tranſire, adeo vt nullum in ſtatu naturali ſanguinis externum profluuium ſubſequatur. Ex tam inſigniter libero arteriarum cum venis et arteriis maioribus commercio Noſter ſingularem plane caſum explicat mulieris Treptouianae, quae, editis ſecundinis, foe-

tum adhuc in vtero gerebat, obſtetricia arte educendum, nec ante aduentum Illuſtris viri, nec durante partu, duas ſanguinis vncias amiſerat. Obiit tamen puerpera, ob diaetae errores, ſeptimo poſt partum die.

p. 34. Copioſae hae ingentesque vterinae venae cauſſam puerperarum febris in vteri inflammatione poni non permittunt: facillimus enim ſanguinis in venas tranſitus eſt, indeque nulla arteriarum in ramos laterales preſſio ad inflammationem producendam omnino neceſſaria locum habere poteſt. In omnibus etiam muliercularum puerperarum febre demortuarum cadaueribus inflammationem vteri nunquam, *ceu cauſſam morbi*, detexit. Adfuit tantum vteri inflammatio lacerato ab obſtetrice vtero, ſed hac febre puerperarum demortuae non ſunt. — Inteſtinorum et omenti inflammatio in puerperarum febre etiam locum non habet. Copioſiſſimae obſeruationes experimentaque Auctorem noſtrum docuere, inteſtinorum inflammationem rariſſimam eſſe. Oritur autem inteſtinorum inflammatio, ſi interna inteſtinorum villoſa membrana inflammatur, qui caſus dyſentericis frequens eſt. In pluribus autem quam 5500 cadaueribus a ſe perluſtratis veram inflammationem inteſtinorum non amplius, quam quinquies, obſeruauit. Haec vera inflammatio ipſi eſt, quum inteſtina, praeprimis tenuia, paululum intumeſcunt, omnes inteſtinorum membranae craſſeſcunt, et inteſtina ſingularem adſpectum atque colorem praebent fereque anguillam aequant. Taliter adfecta inteſtina odorem ſpargunt, nullis verbis deſcribendum, omni modo teterrimum, ſpiritum praefocantem. Manus talia inteſtina tractantes hunc odorem tam pertinaciter retinent, vt vix intra XXIV. horas ope ſuaueolentium rerum deleri queat.

In puerperarum febre vniuerſalis dilatatio atque inflammatio vaſorum peritonaei omniumque eius proceſſuum locum habet, indeque ex peritonaeo pus coctum referens materies exſudat, quam pro lacte translato medici habuere. Hinc membrana inteſtinorum externa a peritonaeo nata materia foetida, viſcida, purulenta circumfuſa, eademque in vteri ſuperficie, ouariis, tubis, pelui, caet. materies. Haec crebriora cadauerum extiſpicia ſaepiusque repetita partim pretioſa experimenta Auctorem docuere. p. 36.

Tabula aenea huic tractationi adiecta prima ſiſtit vterum exſiccatum foeminae hora, poſt partum XXXVI. demortuae, cuius arteriae materia ceraea dura, rubra repletae ſunt. Anaſtomoſes inprimis frequentes diligenter notatae ſunt.

Altera vterum refert foeminae, XXIV hora poſt partum mortuae. Venae diligentius diſtinctae ſunt, vt earum decurſus et cum arteriis coniunctio melius perſpici queat.

Altera libri parte *de apoplexia* agitur. Vario, vt videtur, modo homo moritur, at ſi rem diligentius perſcrutamur, mortis modos tam varios non eſſe perſpicimus. Naturalis certe mortis modus longe ſimplicior eſt modis mortis violentioris. Omnes, qui ad ſenilem aetatem peruenerunt, aut apoplexia, aut remotiſſimarum partium gangraenoſa inflammatione moriuntur, et ex talibus decrepitis decem, nouem apoplexia, decimus vero inflammatione gangraenoſa moritur. p. 43.

Sed in iuuenili et firmata aetate plurimi apoplexia moriuntur. Omnes gibboſi, breue collum habentes, infantes rachitici, pingues homines, potatores, ſuſpenſi, frigore, vaporibus mephiticis ſuffocati, hydrope pectoris, pericardii, cordis vitiis laborantes, qui cor cum pericardio concretum,

 val-

valuulas cordis ſciſſas, induratas habent, in febre acuta mente capti et furioſi, epileptici, conuulſionibus epilepticis morientes, tandem omnes, qui literis operam dant, apoplexia necantur.

Hinc ſumma apoplexiae ad mortem concitandam vis. Hinc certum de apoplexia futura plerumque praeſagium. Hinc caſus, vbi apoplexia lethum adfert, vberius explicandi. —

p. 47. Si gibboſa foemina foetum concipit, quilibet ei aut certam mortem, aut difficillimum partum praenunciat. Sors gibboſarum foeminarum et virginum aetate grandium fere ſemper eadem eſt, ridentur, dum coelibem vitam agunt, grauidarum ſortem omnes dolent. Vniuerſale eſt praeiudicium, gibboſarum partum difficilem ſemper eſſe: ſed rem ita ſe non ſemper habere, docet ſpinae dorſalis in gibbis inſpectio, quae vel ab vno ad alterum latus, vel ab antica verſus poſteriorem faciem curuata eſt, ita vt arteriae aortae decurſus curuaturam hanc praeternaturalem ſequi debeat. Illae gibboſae foeminae, quarum ſpina dorſi vt S. latinum curuata eſt, feliciſſimae ſunt, ob cauitates thoracis et dorſi anguſtiores quidem, at tales tamen, vt grauiditatem et partum feliciter vtplurimum ſuperent. Non ſine periculo autem eſt gibboſarum ſtatus, quarum ſpina ab antica verſus poſteriorem faciem curuata eſt, ob anguſtam admodum thoracis et abdominis cauitatem, actionesque thoracis et abdominis cum moleſtia ſuccedentes.

Vterus grauidus abdomen vehementer vrget, pectoris ſpatium anguſtius reddit. Hinc omnes abdominis functiones nec conſuetae ſatis nec celeres ſunt, magna abdominis vaſa ſanguifera comprimuntur, ſanguis ad alias partes, inprimis ad caput propellitur, talisque foemina hoc modo ſenſim ad apoplexiam praeparatur. Pectus anguſtatur. —

Si

Si vero omnes gibboſos generatim contemplamur, omnes maximam lineamentorum faciei ſimilitudinem habent, ac ſi fratres ſororesque eſſent, eandemque, ex eadem progenie prognati, familiam conſtituerent. Ea tantum intercedit differentia, quod alii gibberoſi magis, alii minus macilenti ſint. Omnes anxie ſpirant, ob ſpinam curuatam.

Haec quotidie obſeruamus in his, quorum diaphragma verſus ſupernas partes non vrgetur. Vterus grauidus certe augebit malum, grauidamque gibbam indies in intenſius apoplexiae periculum deducet.

Caute hinc grauidae gibboſae tractandae ſunt. p. 52. Debili digeſtioni obuiam itur, ſi pauca admodum facileque digerenda nutrimenta ſumunt. Pernicioſa grauidis omnibus nimia alimentorum ingurgitatio eſt. — Difficillimi partus ex peluis foemineae mala conformatione naſcuntur. Sed talia peluis vitia gibbis adeo frequentia non ſunt, ita vt Noſter pluribus gibboſarum apoplexia exſtinctarum cadaveribus inciſis cuiuslibet peluim naturalem et conſuetae dimenſionis detexerit.

Obeſi homines apoplexiae periculum vitant, ſi p. 54. obeſitatem diminuunt. In maiori vitae diſcrimine potatores verſantur. Qui cereuiſiam potant, obeſum ventrem et pingue corpus habent, vini potatores obeſi raro ſunt, faciem rubicundam, oculos ardentes habent. Aequale in ambobus apoplexiae periculum eſt.

Suſpenſi, aquis ſubmerſi, frigore necati, mephiticis vaporibus ſuffocati homines omnes apoplectici moriuntur. Omne enim, quod cerebrum ita comprimit, vt omnes actiones, cordis motu et reſpiratione exceptis, tollantur, apoplexiam inducit: compreſſio autem cerebri oritur, cum ſanguis per venoſum ſyſtema non tanta celeritate a capite

ad cor reuehitur, quam per arterias ad cerebrum ducitur. In hoc caſu non opus eſt, vt ad pulmones reſpiciamus. Cauſſa vero apoplexiae vnica in pulmonibus ſita eſt, ſi ob motum ſanguinis per pulmones difficilem, ſanguinis per venas e cerebro deſcenſus praepeditur.

Lis de modo, quo ſubmerſi moriantur, nondum nec compoſita ſatis, nec explicata eſt. Omnis res eo redit, vt diligenter inueſtigetur, num in pulmonibus et ventriculo ſubmerſorum aqua vnquam ſit inuenta, et quomodo epiglottis ſe habeat. Docent viri celeberrimi, hominem viuum in aquam lapſum mortuumque in pulmonibus multum aquae ſpumantis habere, epiglottidem patere nec aſperam arteriam claudere, in ventriculo nihil aquae inueniri, ſanguifera vaſa hominis viui in aqua mortui nunquam ſanguine turgida eſſe, ſi vero homo iam antea mortuus in aquam proiicitur, tum in eiusmodi hominibus nunquam aqua ſpumeſcens reperitur, atque cerebri vaſa quam maxime turgida deprehenduntur. Altera opinio eſt, quod in pulmonibus hominis in aqua mortui inuenti talis aqua rubicunda nunquam inueniatur.

Occaſionem ipſe Ill. Auctor habuit magnam ſubmerſorum hominum copiam inueſtigandi, nunquam vero aquam in ventriculo ſpumantem nec aquam in pulmonibus vidit, epiglottis ſe in omnibus eodem modo, vt in caeteris hominibus, habuit, vaſa cerebri ſanguine turgida fuerunt.

Vt epiglottis aſperam arteriam perfecte claudat, ſemper vis premens quaedam adſit neceſſe eſt. Si haec deeſt, epiglottis ad linguam retrahitur, tanquam ad conſuetum ſuum fixum punctum; quia autem in ſubmerſis nec in ore, nec in cauitate narium quidquam inuenitur aquae, epiglottis in ſtatu quietis ab aſpera arteria diſtat. Nec poteſt aqua per

per aſperam arteriam in pulmones penetrare, quum epiglottis per aquam laryngi adprimatur et aquae tranſitus in pulmones denegetur.

In aquas autem delapſi iamque perituri in perpetuo ſtatu exſpirationis ſunt. Omnes, qui ſubito cadunt, eo in momento, quo lapſus finitur, anxie exſpirant, duranteque hac exſpiratione nihil in pulmones penetrare poteſt. Inſuper docet experientia, aquae guttam in aſperam arteriam delapſam intenſiſſimam tuſſim concitare, tuſſis autem continua ſubitaneaque exſpiratio eſt. Hinc et hanc ob cauſſam nulla in pulmonibus aqua ſuffocatorum aqua.

Suffocatorum pulmones Noſter cum aſpera ar- p. 60. teria ex thorace exſecuit, nec comprimendo pulmones aquae quicquam elicere potuit. Omnes autem pulmones hominum aqua ſubmerſorum tanquam maxima vi inflatos vidit, indeque facile intelligendum eſt, aërem cellulas, ex quibus totus componitur pulmo, dilaceraſſe earumque multas in vnam cauitatem permutaſſe. Si tales pulmones comprimuntur, ſtridens oritur fragor, et rubra parumque ſpumans pituita in bronchiis aſperae arteriae adparet.

Modus autem, quo ſubmerſi homines apoplexia necantur, is eſt: Homo in aquam delapſus primo in angore ſubito inſpirabit. Tunc permanentes exſpirationes ſequuntur, omnes muſculi totius corporis conuulſiue contrahuntur, eodemque etiam modo velum palatinum et rimam glottidis dilatantes, contrahentes. Eo modo impeditur, vt nihil aquae per nares ad epiglottidem tranſire poſſit. Glottidis conſtrictores arteriae aſperae aperturam claudunt, aquae penetrationem praepediunt. Nunc aër in pulmonum cellulis incluſus et per corporis calorem magis elaſticus redditus cellulas pulmonum dila-

dilacerat, eos diſtendit. Vidit Noſter pulmones hominum aqua ſubmerſorum caeterum ſanos, quorum cellulae per aërem ita ruptae erant, vt veſicae vrinariae bouinae ſimiles eſſent.

Pulmones tantopere dilatati impediunt ſanguinem per ſyſtema venoſum de cerebro reduci, arteriae et venae cerebri intumeſcunt, cerebrum nervosque comprimunt, apoplexiam inducunt.

Rubra in pulmonibus hominum aqua ſubmerſorum ſpuma ex violenta ſanguinis in pulmonibus circulatione oritur a ſciſſis lateralibus arteriae pulmonalis ramis et ſanguine pituita et aëre remixto. — In aquis ſubmerſi eodem perfecte modo pereunt, quam ii, quos angina iugulauerat, eademque in cadaueribus perfecte obſeruantur.

Si viuus homo in vndis periit, ſanguis illius poſt mortem liquidiſſimus eſt, et ex vena ſecta, aquae inſtar, copioſe profluit, interfecti autem et poſt mortem in aquas praecipitati ſanguis ſpiſſus eſt tardeque et minime copioſe ex ſecta vena profluit. Rationem certi huius omni modo phaenomeni Noſter in principio alcalino volatili ſue ſanguinis ſpiritu ponit, quem aquae in ſanguine praecluſerant, qui vero in auras adductus per plurima euehentia vaſa in his, qui in atmoſphaera moriuntur, auolat.

p. 65. Remedia, quibus ſubmerſis ſuccurritur, non deſcribuntur, monet interim Ill. vir, non ſolum ſuperuacuum, ſed etiam periculoſiſſimum et maxime noxium eſſe hominibus aqua ſubmerſis aërem inflare calidum, quum pulmones iam per ſe admodum aëre diſtenti ſint. Methodus, verbo, ſubmerſos tractandi Ill. viro non arridet. Efficacia et veris cauſſis accommodata remedia adhibenda ſunt.

Aër in pulmones hominum vera apoplexia interfectorum, frigore enecatorum, vaporibus mephiti-

phiticis obnubilatorum, nec non infantum difficili et diuturno partu prognatorum vtiliſſime inflatur. Sed in horum pulmonibus nullus aër continetur, ipſi pulmones ab omni actione quieſcunt, anguli vaſorum pulmonalium acutiores ſunt, ſanguis in pulmonibus quieſcit. In hoc caſu cerebrum a vi illud premente liberandum eſt, ſanguinis copia minuenda, aër in pulmones inflandus. Aër dephlogiſticatus loco atmoſphaerici in hunc finem electus maiores atque celeriores effectus producet pluresque in vitam reuocabit, quam ab aëre atmoſphaerico fieri ſolet.

Nocet autem in aqua ſubmerſis et ſuſpenſis hominibus aëris in pulmones inflatio. In his enim pulmones dilatati, ſanguifera vaſa diſtenta, compreſſa ſunt, et ſanguinem nec per cauitatem anteriorem cordis ad pulmones, nec per eos ad cauitatem poſteriorem cordis defluere ſinunt. — Aqua ſubmerſis etiam inflatio fumi tabaci per anum nocet. Aër enim elaſticus copioſe ingeſtus inteſtinalem tubum dilatat, premit, thoracis cauitatem, diaphragma ſurſum vrgendo, anguſtiorem reddit, et cordis motum non leuat, ſed impedit.

Omnibus autem infelicibus, ſiue aqua ſubmerſis, ſiue ſuſpenſis, ſiue gelu vaporibusue mephiticis necatis ſanguis ſuperfluus ex capite deducendus eſt ſtagnansque in motum concitandus. Venam eum in finem capitis ſecamus, quia hoc modo ſanguis facillime celerrimeque deduci putatur. Plurimi chirurgi venam pedis eum in finem ſecant, ſed magno errore. Non enim perinde adeo eſt, quaenam capitis vena ſecetur, nec minus erroneum, ſufficere vnam tantum venam capitis. Plerumque venae iugularis ſecundae inciſio ſuadetur, aut potius ramorum maiorum venae iugularis internae; quod conſilium licet bonum admodum ſit, alia tamen

men non negligi debent. Natura ipſa viam a nobis eligendam monſtrat. Incidenda eſt vena iugularis interna externaque in vtroque colli latere, vt per quatuor vulnera abundans ſanguis cerebro educatur. Licet autem nonnulli numerum venarum incidendarum admodum magnum putent, mens tamen Noſtri eſt, venarum ſecandarum numerum augeri adhuc debere. Venae enim iugulares a cerebro quum diſtent, canales ei propiores eligere adhuc placet. Hinc vena facialis interna in vtroque latere, nec non in amborum oculorum interno cantho frontalis et ſupraorbitaria vena incidendae ſunt. Nunc nullus amplius canalis adhuc clauſus Ill. viro notus eſt, omnia ad vitam reuocandam reſerata eſſe videntur. Situs talium infelicium non horizontalis eſſe debet, ſed thorax cum collo et capite in ſitum verticalem ponendus, et deinde cum aqua tepida, ſpongiae ope collum et facies a ſupernis partibus ad inferna confricanda tractandaque.

Motus cordis non incitandus eſt auxiliis arte excogitatis, niſi poſtquam vnciae aliquot ſanguinis e venis inciſis profluxerint. Tunc ad motum cordis reſpiciendum eſt. Optima remedia eum in finem ſunt ſpiritus volatiles ad nares admoti, dorſi et plantae pedis cum pectine ſetaceo frictio, clyſmata ex aceto cum aqua. Si talis homo vitam recuperat, *cephalalgia*, febre, corripitur.

p. 73. De *cephalalgia* plura proponuntur. Tertiam ſanguinis circulantis partem caput accipit. Si etiam dimidia huius pars externas capitis partes petit, ſexta tamen ſanguinis in corpore vniuerſo contenti pars ad cerebrum fertur. Retineri tam magna copia in cerebro non poteſt, hinc pars abundans quovis modo quam citiſſime per venas deducitur. Expedit venas cerebri in internas et externas diuidere.

In-

Internae ſunt, quae ſanguinem a cerebro in ſinus ducunt durae matris, externae, quae ſanguinem a ſinubus in cor reuehunt. Internarum cerebri venarum origines maximo ſtudio inueſtigauit Ill. vir, eo lubentius, quia anatomicorum ſcripta parum luminis hac in re dant. Vt autem hae venae exacte cognoſcantur, praeſtat eas, priusquam arteriae iniiciantur, fluido quodam peculiari colore infecto replere, poſteaque alia materie arterias. Si arteriae primum iniiciuntur, materies facillime in venas tranſit nullo tunc modo diſtinguendas.

Puncta rubra in cerebri medullari ſubſtantia cultro inciſa apparentia veras ſanguineas guttas referunt. Multa eaque feliciter inſtituta experimenta Ill. virum docuere, has guttas tantum venoſum ſanguinem exhibere. — Venarum cerebri internarum duo genera ſunt. Primum ex ſubſtantia medullari immediate oritur, humoremque ſuum in durae matris ſinus continuo profundit. Alterum easdem perfecte, vt prius, origines habet, ſed in progreſſu ſingularem componit illum plexum, quem choroideum adpellant, ex quo maiores venae naſcuntur in durae matris ſinus ſanguinem ferentes. Vnicus tantum communisque duobus ventriculis chorroideus plexus eſt.

In dura matre diligentius exploranda operam p. 78. omnem Ill. vir poſuit. Tres venarum ſpecies habet. Frequentiſſimae ex oſſium cranii interna ſubſtantia proueniunt. Alteram ſpeciem vena menyngea media conſtituit, tertiam venae durae matri propriae. Harum venarum omnium propagationes, ramos, diſtributiones tabula aenea adiecta prima et altera elegantiſſime exhibet.

Magna ſanguinis pars ex ſinubus durae matris per SANTORINI emiſſaria ad partes faciei externas fertur. Eorum inconſtantia tanta eſt, vt inueſtigari diffi-

difficillime poſſint. Optime in conſtantia et inconſtantia, maiora et minora diuiduntur.

Nunc ratio dolorum capitis, et quonam modo apoplexiam praecedant, facile intelligitur. Locus et ſedes dolorum in venis cerebri internis quaerenda eſt. Sinus enim in aequali ſtatu ſemper manent, venae e contra tenerrimae ſunt vnicam tenerrimamque membranam habent. Cumulatim per medullam cerebri, quae commune ſenſorium conſtituit, migrant, et nunc facile intelligitur doloris ab earum dilatatione origo, eo maior fortiorque pro dilatationis et compreſſionis ratione. — In externis cauſſis omnes capitis dolorem creant, quae ſanguinem fortiter commouent.

Haec ad veram apoplexiae theoriam ducunt. Primus apoplexiae modus is eſt, vt durae matris venae diu extenſae medullam tandem cerebralem neruorumque origines ita comprimant, vt fluidi neruei influxus intercipiatur. Secundus modus eſt, ſi venae cerebri extenſae iam dudum ſcinduntur, cerebrique haemorrhagia naſcitur. Talis ſciſſura in choroideo plexu plerumque, refertis ſanguine ventriculis, naſcitur.

Hinc in *tardam* et *ſubitaneam* apoplexia diuidenda. Tardae ſubiecti ſunt ſenes, ſtudiis dediti, potatores, obeſi, omnes aquam in pericardio, aut vitium in corde habentes. — In tarda apoplexia denatorum cerebro ſanguis ſemper extrauaſatus reperitur. — Subitanea apoplexia moriuntur aquis, vel alio modo ſuffocati, conuulſionibus epilepticis, furore demortui. In his venae cerebri vſque ad crepaturam diſtentae reperiuntur. Ex venis cum ſubſtantia medullari ſciſſis ſanguis profluit, in ipſis autem cerebri ventriculis nihil ſanguinis extrauaſati continetur.

Dome-

Domeſtica et cuiuis obuia apoplexiam auertentia ſunt ſtricta diaeta, hirudines et venaeſectio. Omnia, quae ſanguinem ad caput violenter ducunt, vitanda. Omnia, quae ſanguinem venas cerebri distendentem minuunt, contra apoplexiam muniunt, ſed perinde non eſt, quaenam vena incidatur. Praeferenda venae iugularis inciſio. Hirudines, ſi ad oculos applicentur, ſanguinem breuiſſime certiſſimeque ex ſinubus durae matris eliciunt. Hinc ſi medici et chirurgi venarum capitis maiorem cognitionem haberent, pluribus apoplexia auerteretur, pluribusque eadem cognitione curaretur, inprimis ſi emetica, ceu ſumme in hoc caſu noxia, vitarentur.

VI.

IOSEPHI IACOBI PLENK, *chirurgiae doctoris*, *chemiae atque botanices profeſſoris publici ordinarii in academia chirurgica militari*, *nec non directoris pharmacopoearum militarium atque chirurgi ſtatus militaris ſupremi*, toxicologia, ſiue doctrina de venenis et antidotis. Viennae, apud Rudolphum Graeffer 1785. in 8vo. 338 pag.

In academiae chirurgicae militaris vſum, vt praelectionibus inſeruiat, liber conſcriptus eſt, nec plurima continet a Cl. auctore cogitata obſeruataue, ſed excerpta potius plurima in aphoriſmos redacta et praelectionibus academicis aptata, quae toxicologorum primarii HIERONYMUS MERCURIALIS, ARDOYNUS, CONRADUS GESNERUS, FRICCIUS, LINDESTOLPE, MEAD, RHEDI, PROGIANI, WEPFERUS, NAVIER, FONTANA, KRAPF, CAEL-

SI, STOERCK, MURRAY, prae omnibus vero GMELINUS, de venenis obſeruarunt literisque prodiderunt. Sola autem venena hominibus deleteria recenſuit, omiſſis iis, quae animalibus lethifera ſunt.

Venenum Cl. viro eſt, quod perexigua doſi corpori humano ingeſtum, aut extus applicatum, vi quadam peculiari morbum grauem vel mortem adfert. Diſtinguitur autem venenum in medicamentoſum et ſemper deleterium, quarum claſſi venena morbida vehementiora, hydrophobicum, peſtilentiale, caet. accenſentur. — Reſpectu indolis principiorum conſtitutiuorum venena diuiduntur a Noſtro in *acria*, *narcotica*, et quidem in narcotico-acria, narcotico-halituoſa, narcotico-mechanica, reſpectu autem ſymptomatum venena habentur inflammatoria, draſtica, conuulſiua, paralyſin inducentia, narcotica, ſuffocatoria, exſiccantia ſepticaque.

p. 13. Diagnoſis autem veneni dati ſumtiue deſumitur ex ſymptomatibus inſolitis velociter incidentibus, ſaburra egeſta alii animali ad deuorandum data, cadaueris inſpectione, maxime autem ex notitia veneni botanica, chemicaue analyſi.

Primum ex animali regno venena pertractantur, venena ex colubris, ex inſectis, vermibus, amphibiis, piſcibus venenatis ex morbo animalis caeterum non venenati. Colubrorum venenatorum ſpecies XXVI. recenſentur. — Noſcuntur ſerpentes venenati, quod in ſuperiori mandibula, praeter dentes omnibus ſerpentibus communes, adhuc duobus longioribus pro lubitu ſerpentis exſerendis vel retrahendis dentibus, exiguo foramine pertuſis, gaudeant. Venenum ipſum autem eſt humor nulla acrimonia chemica praeditus, inodorus, pinguedinis recentis ſapore, quem ſub ipſum morſum in vulnus per dentes demittunt. Effectus veneni ſerpentum omnes ad ſubitaneam inflammationem, putre-

putredinem et ſpaſmos redeunt. Anticolubrina ſpecialia ad ſerpentum morſus ſpecifica ſunt *radix mungos*, quae in morſu Naiae et aliorum colubrorum Aſiaticorum profuit, *Senegae* radix, quae in crotalophoris et colubris Americanis, nec non in cherſea ſpecifica eſt, forſan et polygalae vulgaris et amarae radix, in ſimili caſu tentanda, *ſerpentariae Virginianae* radix, quae ad morſum crotali Boiconinga valet, *ariſtolochiae anguicidae* radix, cuius ſuccus ſerpentes adeo inebriat, vt impune tractari manibus queant, magna autem doſi datus eos ſub conuulſionibus necat, *lignum colubrinum*, *ophioxylum ſerpentinum*, *folia fraxini*, quae in morſibus colubri cherſeae et Beri ſpecifice laudantur, *vomicae nux*, quae ad naiae morſum laudatur, *alcali volatile*, *ſuccinatum*, quod ad morſum viperae gallicae, *radix gentianae luteae* et *mercurius gummoſus*, qui ad morſum viperae Italicae laudatur, *ſal culinare*, *oleum oliuarum*, *belladonnae folia*, *radices.* Quum autem antidota certis ſerpentum ſpeciebus accommodata tantum dentur, patet, auctorum circa ea diſſenſum hoc tantum componi poſſe modo, vt medicinae ſerpentum venenis contrariae ſecundum ſerpentum ſpecies diſtinguantur (quam tamen opinionem, nullis certis experimentis comprobatam, valde dubiam cenſemus).

Colubri ſecundum terras, quas incolunt, diviſi ſunt. Americani primum pertractantur, terra autem, quam incolunt, ſpeciatim, quod iure taxandum eſt, non deſignatur, ita vt de crotalo horrido v. g. tantum dicatur, quod in America, non autem notetur, vtrum in meridionali, an ſeptentrionali parte habitet.

Locum etiam in venenorum ex animalium claſſe habent aranea domeſtica, aranea tarantula, vbi tamen muſicae vis ad eius morſum denegatur, pulex penetrans, culex pipiens, apis mellifica. Vt au-

tem modum, quo Noſter ſua pertractat, lectores melius cognoſcere queant, capitulum de *aranea*
p. 46. *domeſtica* transſcribere placet.

„Aranea domeſtica L. *die Hausſpinne.*

Habitat in feneſtris domuum non diligenter purgatarum. Vis noxia Araneae punctura inflammationem cauſſare dicitur. Nondum vero experimentis fide dignis euictum, araneas cum cibo vel potu deglutitas venenata cauſſaſſe ſymptomata.

Antidota. Inflammatio ab araneae punctura ſpiritu ſalis ammoniaci aut eſſentia caſtorei illita ſanatur.

Virtus medicata. Plebs tela araneae ſanguinem e vulnere ſiſtere et fumo telae accenſae haemorrhoides dolentes diſſipare ſibi ſolet.“

Ranae bufonis vrina et ſuccus lacteſcens verrucarum dorſalium venenatus cenſetur. — Gymnoto etiam electrico inter venena animalia locus eſt, quum tamen, praeter electricitatem ab eo aliis communicatam, nil periculi inferat, quod fere etiam de raia torpedine valet. Oua etiam putrida, rancida pinguedo, putridae animalium carnes venenis adſcribuntur. (carnes boum, ſi ſub inſigni ſolis aeſtu corporis motum admodum vehementem experti ſunt, poſt eumque ſtatim mactantur, admodum venenatae imo, mortiferae ſunt, de his vero nulla habet Noſter) — Rabies canina non arcetur, dum vermiculus ſublingualis catulis exſcinditur. Mercurialibus medicinis ad hunc ex morſu morbum praecauendum ſumma, licet non certa ſemper, vis eſt. Dandus autem interne mercurius gummoſus Noſtri eſt, externe vero vulneris ambitus vnguento mercuriali deligari debet. Dedit ſummo cum ſucceſſu Cl. vir feminae a rabido cane demorſae per ſex ſeptimanas quinque e mercurio gummoſo pilulas vulneraque vnguento digeſtiuo cum Neapolitano mixto deligauit. Optime forſan

effica-

efficaciſſimeque aquae metus auertitur, ſi methodo mercuriali diaphoretica, diuretica, antiſpaſmodica, coniungitur. Hinc pilulae ex mercurio gummoſo, cantharidum puluere, belladonnae foliis, camphora et moſcho admodum proficuae ſunt. (Nos in XV. a rabidis canibus demorſis mercurialem curam vnguenti ope ſummo cum ſucceſſu inſtituimus. Poſtea, quum anagallidis herba admodum laudaretur, aegris anagallidem interne, mercurium externe, dedimus. Vſi ſumus etiam ſubinde cantharidibus, non neglecto tamen mercuriali vnguento, quod ſpem noſtram nunquam hactenus fefellit et omnes admorſos a canina rabie efficaciſſime praeſeruauit.) Virus varioloſum, morbilloſum, febris ſcarlatinae, ſcabiei, venereae luis, plicae Polonicae, cancri, leprae, peſtilentiae, morborum putridorum pertractantur. Putredinis antidotum acetum perhibetur.

Venena vegetabilia in narcotica acriaque diſtin- p. 80. guuntur, fungi venenati medium inter haec locum occupant. Peculiaris etiam venenorum vegetabilium glutinoſorum claſſis ſtatuitur. De hyoſcyamo nigro notandum eſt, quod folia ſiccata, ſi fumus eorum ex fiſtula, qua ad tabacum vtimur, hauritur, temulentiam ſummam ſtuporemque inducant. Paris quadrifolia adeo venenata non eſt, vt a quibusdam, ipſoque adeo auctore Noſtro perhibetur. Baccarum ad furunculos admodum dolentes externus vſus eximius eſt. Vim ſopientem et emollientem ſummam habent. — Lauroceraſi foliorum infuſio in obſtructione hepatis, et cataplaſma e foliis et farina in tumoribus ſcirrhoſis egregios effectus praeſtitiſſe dicitur. Lac, in quo lauroceraſi folia cocta ſunt, pro gargariſmate in angina pituitoſo-inflammatoria exhibitum prodeſt et mucum viſcidum copioſe educit. —

p. 114. *Hippomanis Mancinellae* ſola exhalatio innocua penitus eſt. Experimenti cauſſa ſub vmbra huius arboris tribus horis degens cum ſociis Celeb. IACQUIN, nil mali inde ſenſit. — Coculi Indici venenis adnumerantur, quum tamen, ipſo Cl. Auctore adſerente, nulla obſeruatio proſtet, quae hos fructus hominibus eſſe venenatos probaret. — Experimentorum, quae IUNGHANSIUS, V. Cl. circa vomicam nucem inſtituit, nulla mentio eſt. — Fungi ſuſpecti generatim cenſentur omnes, qui odorem tetrum, ſaporem acrem habent. Caeterum nec ex colore, nec ex ſtipitis habitu, nec ex ſuperficie, nec ex induratione ſub coctura, certum venenatae qualitatis criterium. In quibusdam adeo, vt in agarico integro et lactifluo nec botanicus character ad veneni indolem detegendam valet. Coqui a ſingulo agarico, quem praeparant, fruſtillum dentibus decerpunt, acrimoniaque in eo deprehenſa, fungum abiiciunt. — Succus agarici muſcarii cimices necat. — Mala ſymptomata, quae poſt radicum paſtinacae vſum ſubinde obſeruari ſolent, annoſae et antiquae nimis radici tribuuntur. (magis ea aliis radicibus paſtinacae intermixtis tribuiſſemus, inprimis quum radices autumnali tempore, foliis a frigore iam corruptis, aut primo vere effodiantur.) Tiliae grana vim ſumme purgantem habent; (maxime vtique venenatam; *vidimus* ex pilularum granis ſex a chirurgo, puero quatuor annorum propinatis, quae maxima ex parte ex his granis conſtiterunt, mortem intra ſex horarum ſpatium, nullo remedio auertendam. Pater pueri grana duo earundem pilularum ſumſit et a nimia purgatione fere iugulatus eſt.) Rhois toxicodendri vires venenatae non adeo magnae ex Noſtri mente ſunt; ſed tam magnae ſunt, vt, dum quis anum folio ex hac arbore caſu decerpto detergeret, in partium harum

rum gangraenam lethiferam incideret. (Scilla maritima his, qui in ſcindenda, praeparanda ea, inprimis dum recens eſt, occupantur, digitos exedit. Vidimus inflammationem ſatis intenſam partium verendarum a manus, quae ſcillam tractauerat, contactu oriundam) — Euphorbiae ranunculique admodum copioſe pertractantur. Cornuto ſecali cauſſam morbi ſpaſmodico-conuulſiui Cl. auctor tribuit, nec non necroſeos cerealis; nullis tamen propriis obſeruationibus fretus. Lac antidotus maxime efficax habetur. Viſcum aucuparium venenis etiam accenſetur, licet venenata eius qualitas nondum conſtet. Non eſt tamen, vt dubitemus, quin, ſi quis hunc viſcum maiori copia deglutiret, ponderis ſenſatio, cardialgia et alia ſymptomata exſpectanda ſint, praeſertim quum canes certe necentur, ſi picis ſubliquidae, qua ſutores vtuntur, quantitatem haud valde magnam ingerant. — Marina ſpongia ventriculo per fruſta in- p. 217.
geſta turgeſcendo, putreſcendo, et pylorum obſtruendo nocet. Puella XIV annorum a ſua matre ſeuerius tractata in eum melancholiae gradum incidit, vt intra biduum integrum manipulum ſpongiae vulgaris in minuta fruſta decerptum ſenſim deuoraret. Intumuit ventriculus, inanes vomendi conatus experta eſt, omnium ciborum faſtidio capta, anxia et ſubdelira fuit. Dato illico vomitorio gluten putridum cum integris fruſtis ſpongioſis euomuit et conualuit. (Mechanicum venenum vegetabile eſt, in animalibus inprimis tenerioribus inteſtinalem tubum perfecte praecludens eoque modo mortem inferens. Satis frequens oeconomorum in Saxonia mos eſt mures ſpongia cum lardo aut butyro frixa necandi. Eligunt in eundem finem etiam laneum impile in fruſta diſciſſum et cum butyro frixum.)

p. 221. Tranſitus a vegetabilibus venenis ad mineralia eſt. Generalioribus paucis de iis praemiſſis, venena mechanica, terrea, acida, alcalina cauſtica, metallicaque pertractantur. Mechanicis venenis etiam *fuligo camini Anglicana* adſcribitur, nec praeclaram ſane rerum chemicarum cognitionem probat, partim quod Cl. Auctor hanc fuliginem mechanicis venenis adſcribat, quum tamen peculiari acrimonia gaudeat, partim etiam quod plurima aperte falſa de hac fuligine tradiderit. Sed vt ipſi lectores videant, in quam ridiculos errores probi caeterum doctique viri incidant, dum praecoci cura feſtinantique calamo libros ſcribunt, locum adponam:

„*Fuligo camini Anglicana*.

„*Fuligo ſplendens caminorum in Anglia. Engliſcher Ofenrus.*

„VIS NOXIA. Vlcus cancroſum ſcrotale caminorum purgatoribus in Anglia familiare ex fuligine ſcroti plicis adhaereſcente naſcens, labem inſanabilem in partes genitales inque ipſa ima ventris viſcera transmittens inducit.

„ANTIDOTUM. Exciſio loci cancroſi in ſcroto.“

Ex POTT, V. Cl. obſeruationibus haec omnia deſumta ſunt. Sed quis vnquam fuligini Anglicanae hanc vim tribuit, quae certe omni fuligini propria eſſet, ſaltem omni caminorum fuligini, in quibus carbones foſſiles cremantur? Quis ſplendenti fuligini vnquam hunc morbum tribuit, a fuligine magis volatica, quae fuligini ſolidae, ſplendenti adhaeret et a camini purgatore deuerritur, ſine dubio oriundum? Cancroſi demum loci exſtirpationem ne POTTIUS quidem tam generatim praecepit. —

p. 234. Vitrioli albi ſolutio, egregium ad aphthas oris, roſaceo melle adiecto, medicamentum eſt.

Si quis auri definitionem ſcire auet, is Plenkium adeat. *Aurum natiuum* L. ex eius mente metallum perfectum eſt, ex *auri calce* et phlogiſto conſtans. (Plurima aliquoties dicta iam publice ſunt de Vindobonenſium famoſis rerum definitionibus, quas in praelectionibus proferunt, riſu magis excipienda, quam credenda; verum dum talia in *impreſſis* libris legimus in academicarum praelectionum vſum conſcriptis, facile ad credendum inducimur et has definitiones fictis adnumerandas non fuiſſe. Naſum definiiſſe ſic dicitur profeſſor anatomes: *eſt pars media in facie, habens duo foramina et ſeptum cartilagineum.*) Argenti eadem perfecte definitio eſt, mutandis tantum mutatis — p. 339.

Cupri criterion ex Noſtri mente ſpiritus ſalis ammoniaci eſt, qui cuprato cibo vel medicamento inſtillatus ſapphirino colore cuprum prodit. (At quanta in chemicis Optimo viro deſint, allegatae iam definitiones probant. Longe aliae dantur experimentorum rationes, ſi cupri ſuſpicio adeſt.) Ab interno cupri vſu plane abſtinendum eſſe Noſter putat; ſed licet certum ſit, cuprum in corpore humano ſub qualicunque forma venenatos effectus edere, certum tamen etiam eſt, plures epilepticos iam ſale ammoniaco cuprato et aliis medicinis, quarum compoſitionem cuprum ingreditur, ſanatos eſſe. Sufficit vtique probatorius liquor ad plumbum cognoſcendum vino admixtum, DELIO etiam V. Ill. in aduerſariorum quarta parte, nuper monente*) ſed recenter paratus eſſe debet. — Oleum ricini ad morbos a plumbo oriundos efficaciſſimum eſt. — De ſtanno in puluerulenta grana redacto ad taeniae ſpecies quasdam ſpecifico altum apud Noſtrum ſilentium eſt, qui ſtanni raſuram tantum commendat.

*) Vid. Comment. noſtror. ſupra p. 625.

dat. — Mercurium gummoſum ſuum vbique Noſter laudat, alii vero vnguentum mercuriale praeferunt.

p. 280. *Halituoſorum venenorum* titulo halitus acidorum mineralium, aëris fixi, alcalini, phlogiſtici, putridi, metallici, terrei et vegetabilis comprehenduntur. Omnia haec venena maxime in pulmones agunt, aſphyxiam vel ſuffocationem inducendo. — Aër in cubiculis orphanotrophiorum à ſiccatione linteorum ab vrina infantum conſpurcatorum teterrimum ſpargit odorem vrinoſum, qui oculos rubefacit et tuſſim inducit. Inde forte infantum febris miliaris, aphthoſa et necroſis buccarum atque genitalium, qui morbi in orphanotrophiis ſordidis tot neonatorum rapiunt.

Cloacarum halitus vini aceto ad IANINI mentem emendandus eſt; ſed recentiores Gallorum obſeruationes docuere, hanc medicinam parum ad haec effluuia valere. Interiere adeo foricarii, dum in cloacas deſcenderent a IANINO pro innoxiis declaratas. Odores demum plurimi pertractantur, animales, vegetabiles, grati, aromatici, quos mortem aliquando aut ſymptomata morbida intuliſſe conp. 335. ſtitit. Appendice venena, quorum indoles hactenus ignota eſt, pertractantur, aqua Toffana, ſucceſſionis puluis, et venena quaedam, quibus Indiae et Americae incolae tela inficere ſolent.

Toffana aqua ex arſenico cryſtallino in larga aquae copia per ſimplicem coctionem ſoluto conſtare putatur. (Similia, ſed alia tamen ſimul docuit de eadem aqua venenata PYL, V. Cl. in promtuario ad medicinam forenſem, cuius opuſculi cenſura in commentariis noſtris legitur *). Succeſſionis puluis ex-

*) Vol. hui. Part. III. pag. 388.

ex ſaturni ſaccharo et arſenici particula conſtare putatur: alii tamen venenum plumbi ſolummodo praeparatum eſſe adſerunt. Index libro ſatis bonus additus eſt *).

VII.

Opuſculi ſcientifici di FEL. FONTANA. in Firenze. 1785. per Gaetan. Cambiagi in Lipſia apreſſo Gleditſch. 8. p. 219.

Continet hoc volumen praeter fragmentum alterius epiſtolae quinque litteras, a Celeb. Auctore ad alios atque alios amicos datas.

Prima, Duci DE CHAULNES inſcripta, de reſpiratione agit. Aërem inflammabilem ſine periculo mortis pulmone penitus et lente euacuato vix ter potuiſſe ab ipſo inſpirari; eſſe autem, quemadmodum aërem, quem vocant phlogiſticatum, per ſe inſontem, niſi inſpiretur; aërem autem fixum veri veneni vices agere; non meris phyſicis, quas appellant, dotibus, aërem vitae ſuſtinendae inſeruire: Animalia, aëri communi incluſa, eodem temporis ſpatio mori, quo moriuntur, ſi aër ex aequis partibus communis atque inflammabilis, aut ex aequis partibus communis ac phlogiſticati mixtus ſit; animalia igitur aëri inflammabili aut phlogiſticato incluſa non mori huius aëris vi, ſed defectu aëris communis; reliqua autem, ſi dephlogiſticatum exceperis, aëris nomine venientia, ſua natura eſſe lethifera; ab aëre fixo, ſi dephlogiſticato immiſceatur, animalia manifeſte pati, et motibus voluntariis exercendis imparia reddi; alia aëris genera, dum inſpirentur, p. 1.

* Idem liber in chirurgorum vſum etiam germanice prodiit, titulo: *Toxikologie oder Lehre von den Giften und Gegengiften. Wien, bey Gräffer. in 8v. 1 Alph.*

tur, in ſuas partes diuelli, eoque ipſo magis adhuc nocua fieri: Principio vitali non orbari per reſpirationem aërem, corruptum enim phlogiſticis effluviis aërem agitatione in aqua facta ad ſuam reuerti ſalubritatem; aërem phlogiſto ex pulmonibus exeunte in phlogiſticatum conuerſum ſua natura eſſe innocuum; aërem exſpiratum funeſtum eſſe, eo quod aërem fixum pulmonum ſibi immiſtum habeat, et phlogiſton ex pulmonibus exhalans, quod ex atmoſphaera aërem fixum praecipitet. Tantum abeſſe, vt inſpiratio ab exſpiratione non excepta ſanguinis per pulmonum vaſa motui obſtet, vt potius pulmones aëre inflati ſanguinem tanto facilius transmittant. Aërem phlogiſto iam onuſtum phlogiſton ex pulmonibus adſcendens ſuſcipere non poſſe, ideo ſupprimere reſpirationem; Phlogiſti accumulationem in ſanguine impediendam eapropter eſſe, quia muſculorum irritabilitatem minuat.

p. 21. Altera ad Clariſſ. ADOLPH. MURRAY Vpſaliam
p. 124. data, cum duabus appendicibus. Nouas primo Suecorum naturae ſcrutatorum opiniones ponderat. In experimentis cum 37 muribus, 452 auibus et 179 cuniculis indicis captis vidit, aërem his animalibus campanae ſupra argentum viuum poſitae incluſis circumfuſum ad $\frac{1}{30}$-$\frac{1}{23}$ minui, tanto magis, quanto diutius inſpiratus ab animalibus fuit, magis adhuc, et ad quartam vſque partem, ſi cum aëre dephlogiſticato capta fuerint experimenta, aëris fixi maiorem gigni copiam, quam quidem volumen aëris imminutum ſit; incrementum aëris in nonnullis periculis obtingens ab aëre pulmonibus animalium incluſo deriuat, ab aëre, pilis et plumis ſemper adhuc adhaereſcente; phlogiſton igitur ex pulmonibus egredi, nequaquam ab iis reſorberi: In omnibus his tentaminibus imminutionem voluminis et

cor-

corruptionem aëris aequo pede progredi; aërem, in quo candela arſerat, multo minus et volumine diminutum et deprauatum deprehendit: aërem, in quo ſanguis recens ſupra argentum viuum calefactum ſtetit, volumine vix imminutum, vix corruptum vidit, niſi concuſſus fuerit ſanguis, ſiue communis ſit, ſiue dephlogiſticatus; in altero potius experimento poſterior volumine creuerat, prior minus; alteruter multo magis deprauatus erat, et ex parte in aërem fixum conuerſus. Moueri autem dum in pulmonibus aërem contingit, per ſanguinem autem non deprauari modo aërem, ſed praeter eam, quam ſemper continet aëris fixi copiam, $\frac{1}{9}$ adhuc ad minimum admiſceri, non ergo ſolum phlogiſton, ſed vna cum eo aërem fixum exire ex pulmonibus; hunc nequaquam omnem ex ſolo phlogiſto cum aëre commiſto naſci, aëris fixi vtique perparum contineri in ſanguine; ideo non ſubito mori animalia incluſa, poſſe tamen egredi, quamuis nulla opitulante affinitate. Aër quoque inflammabilis aeque ac phlogiſticatus volumine creſcit, ſi diu ſanguinem contingit, magis adhuc, ſi cum eo concutitur; omne tamen incrementum in aëre fixo ſic generato atque admiſto poſitum eſt. Transſpiratione inſenſili aërem communem notabiliter non phlogiſticari; nimis parcam phlogiſti copiam per alias vias e corpore egredi, exire igitur per pulmones; aërem inflammabilem, multoties etiam a cuniculis campanae mercurio impoſitae incluſis, inſpiratum, in ſuis quidem experimentis inflammabilem indolem nunquam exuiſſe. Animalia, quae, capite tamen libero, ſacco incluſerat, aëre fixo, inflammabili aut phlogiſticato referto, neutiquam periiſſe.

Altera huius epiſtolae pars ſpectat opinionem, quam Sueci phyſici habent de generatione caloris at-

que

que aëris dephlogiſticati, de reductione calcium metallicarum et de decremento, quod aëris ſpecies reſpirabiles a phlogiſto patiuntur: Dum calx mercurii ſola ignis vi in ſtatum metallicum reuertitur, nullam fieri caloris decompoſitionem; quod in eo labore prodit, non eſſe, niſi aërem dephlogiſticatum, qui, quum argentum viuum in calcem abiret, ipſi adhaeſit; vix vllam metalli calcem omni ſpoliatam eſſe principio inflammabili, eapropter nobilium metallorum calces tam facile in ſtatum perfectum redire. Multa experimenta, quae manifeſto oſtendunt, in inflammatione corporum nihil aëris dephlogiſticati ſuo cum phlogiſto coitu in calorem conuerſi hac noua forma trans vitrum euadere; pondus certe exactiſſima libra examinatum ſemper idem manſit poſt refrigerium, quamuis, dum calebant adhuc vaſa, decreuiſſet. Ex carbone, quem ardentem in aqua frigida exſtinxit, aërem inflammabilem obtinuit, alia atque alia aëris genera, prouti in hoc vel illo liquore exſtinxerat.

Tertia pars huius litterae aërem fixum, quem in atmoſphaera haerere, multi exiſtimant, examinat. Aërem fixum, modo experimentum ſupra argentum viuum inſtituatur, ab aëre nitroſo ne hilum quidem minui; non ergo eſſe aërem communem, quod, ſi aër fixus in aqua ſoluitur, ſemper remanet, non tamen ſemper eadem copia, maiore, ſi aër fixus diu aquam contingat: videri igitur produci, dum aër fixus ab aqua abſorbetur; idem accidere, ſi aër fixus a quocunque corpore contingente volumine decreſcat; phlogiſton igitur, quo ne aqua quidem careat, partem aëris fixi, qui cum ea concutitur, leuiter, ſit venia verbo, phlogiſticare; hanc ideo ab aqua abſorberi non poſſe; ex eo concludit, aërem fixum in ſtatum aëri communi propinquum deuenire poſſe. Magnam quidem continuo

tinuo aëris fixi in noſtra hac tellure euolui copiam; ſed magnam quoque ſingulis momentis abſorberi, praeſertim ab aqua; aërem fixum ponderoſiorem eſſe communi; non erga ſuſpenſum eſſe (ſolutum tamen) poſſe in atmoſphaera, quod Cl. Auctor obſeruationibus quoque atque experimentis nonnullis probare tentat: aquam ſucco heliotropii tinctam toties et diu cum aëre communi concuſſam nunquam rubeſcere; aëris etiam alias ſpecies, ſi concuſſione in aqua facta innoxiae fiant, et phlogiſti emanatione inficiantur, aërem fixum exhibere, cuius antea ne veſtigium quidem monſtrauerint; aërem igitur fixum, quem communi inhaerere putent, demum gigni; calcem aliasque terras et ſalia cauſtica, ſuo quoque, quo non carent, phlogiſto partem aëris communis ſibi proximam in fixum commutare. Acidum nitroſum in aërem fixum, phlogiſticatum et communem diuulſit Cl. Auctor. Alia etiam acida in aërem conuerti poſſe. Nimis parcum adhuc eſſe numerum experimentorum, quibus lucis et plantarum vis aëris vitia corrigens adſtructa fuerit; conditione vnica, quae vegetabilia natiuo ſtatui magis appropinquat, mutata, plantas, quae luci expoſitae ſaluberrimum exhibere debebant aërem, ſuppeditare nocentiſſimum: Corpora illa organica, ex quibus aquae purae innatantibus aër dephlogiſticatus emanet, non eſſe plantas, ſed animalia ſimplicia, quibus etiam tremellam accenſet Cl. Auctor; dari ergo etiam animalia, quae ſole illuſtrata aërem dephlogiſticatum porrigant. In prima huius epiſtolae appendice alium atque alium, quo aëris aliae atque aliae ſpecies pollent, aër dephlogiſticatus, phlogiſticatus, inflammabilis, nitroſus, fixus, vitriolicus, aër ſalis marini, fluoris mineralis, alcalinus, arſenicalis, hepaticus, ille denique, quem ſtanni in aqua regis ſolutio eructat, elaterem definit

nit Cl. Auctor; alium adhuc eſſe aërem, qui adſcendit, dum platina in aqua regis diſſoluitur, a reliquis non vna nota diſcrepantem. Altera appendice de ſoliditate et fluiditate corporum diſſerit Cl. Auctor. Vim expanſivam calori inhaerentem oppoſitam; vi attractionis partes corporum alias ab aliis remouere, et cauſam praecipuam eſſe fluiditatis; liquores vel ponderoſiſſimos, ſublatis impedimentis externis, in auras diſſipari; eſſe igitur vim illam expanſiuam ſuperiorem vi attrahenti, neque inferiorem grauitate liquorum; aëris ergo alias atque alias ſpecies aliasque materias volatiles ſola preſſione externa, quae vim expandentem grauitate ſuperiorem limitabat, ſublata, ex corporibus egredi; fluidum igitur corporum ſtatum eſſe accidentalem, eo quod inſigne frigus omnia fluida in ſolida convertat, excepto aëre, cui conſolidando maius quam in aliis requiratur frigus; eſſe illam vim expandentem praecipuam cauſſam, cur corpora in vapores abeant: Vim vaporum a magna caloris immiſti copia proficiſci, quae ſingularem corporum indolem ſequitur; vapores ideo tam facile poſſe comprimi, quod non ſuperanda ſit, niſi vis illa expanſiua. Elateris ſui tenaciſſimas eſſe omnis aëris ſpecies, ſi ſupra argentum viuum aſſeruentur; eas etiam, quae alias ab aqua non abſorbentur, abſorberi, modo aqua priuetur omni natiuo ſuo aëre, aut illae diu ſatis huic ſuperſtent; principium, quod elaterem ipſis in ipſo frigore conſeruet, non eſſe niſi phlogiſton; hoc enim inhaerere omnibus, aëri nitroſo ita, vt penitus ſaturatus ſit; aërem inflammabilem non vt aërem corporibus inhaerere; latere alterum, quod in illo cum phlogiſto coniunctum ſit, principium; flammam eſſe operationem chemicam, qua continuae fiant aëris dephlogiſticati in atmoſphaera haerentis, et phlogiſti ex corporibus

com-

combuſtibilibus eliſi decompoſitiones et compoſitiones; ignem electricum veram eſſe flammam; omnes, quas flamma, mutationes corporibus inferre et ab iis pati; phoſphoros etiam non lucere tantum, ſed ardere quoque. Magna ignis copia, quae reliquis partibus vnita illius cum aqua connubium deneget, perfundi aërem dephlogiſticatum; aërem nitroſum tam facile phlogiſto ſuo orbare, quod in hoc laxius adhaereat, quam in aëre inflammabili.

Tertia epiſtola ſimiliter ad Ducem DE CHAULNES ſcripta thermometra et calorem ſpectat: p. 156. Multum laudat thermometra cum tubo octo-decem pollices longo et bulbo, cuius diameter lineam aequat, ob eximiam ſenſilitatem; argentum viuum conſpicuum adhuc eſſe, ſi partes thermometri gradibus conſignatis oppoſitae poliantur. Thermometra, quorum tubus 3-4 pedes longitudine aequat, quamuis duo tantummodo thermometrorum conſuetorum, ſed ſingulos in 2000 partes diviſos conſignent; alia binos gradus congelanti aquae, alia binos gradus bullienti aquae proximos, licet Cl. Auctor fateatur, ambos iſtos terminos parum fidos eſſe; alium atque alium eſſe aquae bullientis calorem pro alia atque alia exhalationis intenſitate, ignis ad vaſa applicatione, aëris in aquam et vaſa actione, vaſis ipſius craſſitie: Calorem prunarum et flammae trans glaciem et corpora pellucida, quae facile funduntur, non ſenſibiliter propagari, propagari autem calorem ſolis; ſi thermometrum glaciei immerſum ab omni parte cingatur carbonibus, argentum viuum incluſum in altum ſalire, non ſalire, ſi ab vna tantum vel altera parte cingatur.

Quarta epiſtola Clar. GIBELIN data nouum p. 171. remedium veneno viperae oppoſitum examinat, et fluidum filis neruorum primitiuis incluſum adum-

brat: Nonnullis agnis et cuniculis a vipera morſis ſe ſpiritum cornu cerui tantopere celebratum in venam iugularem inieciſſe, mortuos tamen eſſe: Ruſticos Ferrarienſes vulneri a vipera inflicto terram imponere, et ſaluari, non ſanari tamen morbum, niſi mere ſit internus: Quum inter duo vitra cryſtallina microſcopii ope flocculum cylindrorum neruoſorum primitiuorum oculis vſurparet, materiem glutinoſam, elaſticam, pellucidam animaduertit, quae aqua non ſoluebatur, et in granula minima rotunda rubro ſanguinis globulo 4 - 5ies minora diſſiliebant, quorum immenſa copia cum ſumma celeritate per cylindros illos decurrebat; eſſe ergo illos cylindros veros canales, et granula illa forſan principium motus animalis.

p. 184. Quinta epiſtola ad Clar. DARCET data luem ouium, taenias, ſtructuram lentis cryſtallinae, et origines vaſorum lymphaticorum pertractat. Erat in illo morbo qui multum accedit ei, quem in noſtra Germania appellamus *das Drehen*, non raro magna pars cerebri deſtructa; inuenit etiam ſemper in cerebro veſicas, refertas innumeris et ſaepius viuis adhuc vno fine firmiter adhaerentibus, in liquido natantibus corporibus oui figura conſpicuis, veris papillis ſuis inſtructis hydatidibus, quas noſtri etiam Germani norunt, tanquam cauſſam iſtius morbi. Diſſerit de hydatidibus in abdomine aliorum animalium, praeſertim cuniculorum, a ſe deprehenſis. Exempla, vt putat, neruorum regeneratorum. Lentem cryſtallinam ex cylindris minimis ſolidis, pellucidis, parallelis et arcuatis contextam eſſe. Fila illa tortuoſa, toties a ſe obſeruata, vera quaſi ſtamina eſſe vaſorum lymphaticorum.

p. 210. Accedit adhuc fragmentum litterarum ad fratrem ab Ill. Auctore datarum, quae lucem, flammam, calorem, phlogiſton ſpectant. A luce ſolari corpora

pora magis pellucida et ſubtilia non calefieri, vix calefieri corpora alba et opaca, et non niſi ea in quibus retinetur: Flamma calefieri corpora vel maxime pellucida; a flamma exterius vitro applicata calces metallorum ignobilium vitro contentas non reduci; calore expelli ex corporibus phlogiſton, et penetrari omnia corpora; phlogiſto excludi ex corporibus calorem; ipſam ſcintillam electricam in ſpatio aëre vacuo diſparere.

VIII.

Giornale per ſervire alla ſtoria ragionata della medicina de queſto ſecolo.

i. e.

Diarium inſeruiens hiſtoriae ratiocinanti medicinae noſtri ſeculi. Venet. apud Paſquali. 4. Vol. I. 1783. p. 500.

Princeps quidem operis finis eſt, vt, quos ſcientiae ad medicum pertinentes noſtro aeuo, exterorum praeprimis opera, faciant progreſſus, gentilibus Auctorum innoteſcant; ſed exteris etiam, quorum intereſt, quid apud Italos in emolumentum ſcientiarum fiat, quae noua detegantur, quae opiniones valeant, quae hypotheſes fingantur, ſcire, optime inſeruire poteſt; ea enim eſt operis ratio, vt Auctores enarrent, quicquid in aliis atque aliis ad medicinam ſpectantibus diſciplinis, anatomia, phyſiologia, ſiue, vt Auctores loqui amant, medicina theoretica, medicina practica, chemia medica, et chirurgia alii atque alii Illuſtres Viri praeſtiterint, nunc ſuccinctam operum, quae ediderunt, epitomen ſuggerendo, adiecto nonnunquam, modeſto ſemper, iudicio, nunc generatim tantum-

modo doctrinae ſtatum recentiorem, nominatis tamen, qui de eo praeſertim meruere, viris, commemorando.

Comprehendit primum hoc volumen numeros, vti quidem ſectiones appellant Cl. Auctores, duodecim, in quibus ſingulis dictis modo ſcientiis paginae ſuae deſtinantur, addito ad finem articulo, qui miſcellanea continet: Ita e. g. articulus poſterior epitomen experimentorum clinicorum ab Ill. HOMIO captorum ſubminiſtrat, praemia ab Ill. Medicorum Academia Pariſina expoſita, exponit, AKERBERGI de vſu corticis ſalicis in febribus intermittentibus, et Cl. ANIOU de radice caryophyllatae vulgaris diſſertationem; Acta Academiae ſcientiarum Diuionenſis et Vpſalienſis nec non Medicorum Pariſinae et phyſicae italicae; SAXTORFI nouam haemorrhagias vteri poſt partum tractandi methodum; MARIGUES de formatione et diuerſis vitiis calli in fracturis oſſium naſcentis, DE ROUSSEL disquiſitionem de variolis; MURRAYI progr. de tinea capitis; GASTELLIER de ſpecificis, aliaque recenſet, non raro etiam extracta ex aliis diariis inſerta: Ita ſectio anatomica de vaſis lymphaticis per nouem faſciculos agit, et quae recentius, HEWSONII praeſertim induſtria, in ea doctrina inuenta ſunt, commemorat; in reliquis GENNANI de ſtructura cerebelli; VARNIER de irritabilitate pulmonum; AD. MURRAYI de ſenſibilitate oſſium morboſorum; SABATIER de motu coſtarum; THOURET tractatus de naturali oſſium cranii in recens natis formatione; VICQ D'AZYR de ſtructura organi auditus in auibus perſtringens.

Sectio phyſiologica refert, quae recentius in explicando calore animali praeſtitere Ill. KIRWAN, BLACK, LESLIE, CULLEN, FOURCROY, CRAWFORD et VOLTA, quae Ill. ROSA de expanſili in

arte-

arteriis dominante vapore ſcripſit, et quae huic doctrinae fuerunt oppoſita a Viris Celeberrimis MOSCATI, LANDRIANI et CARMINATI, ex iis, quae hactenus inuenta ſunt, aliarum atque aliarum aëris ſpecierum in corpus humanum influxum oſtendit, (in qua recenſione ex aliis memorabilibus id tantum notamus, noſtros etiam auctores dubitare, an aër inflammabilis idem ſit cum phlogiſto, et cum aliis putant, aërem inflammabilem, qui, dum metalla acidis ſoluuntur, ſurgit, neque ex his, neque ex illis, ſed ex aqua hac via decompoſita, prodire).

Sectio medicinae practicae dicata, quae recentius praeſertim de epidemiis, in primis Ill. ROSA, de meteorologia ad rem medicam et ruralem applicata, Clar. RETZ, de inoculatione peſtis ac variolarum B. VAN SWIETEN et Clar. SAMOILOWITZ, de variolis naturalibus et prauis inoculationis effectibus MACQUARTI et ANDRIAE, Cl. AZZOGUIDI, Medicus Pariſinus, de lue venerea recens natorum, SIMONS de ſanatione gonorrhoeae, ANDRY de rabie canina diſſeruerunt, enarrat. Sectio chemica analyſin et productionem artificialem aquarum mineralium, et B. BERGMANI, et Cl. GIOANETTI inprimis de hac doctrina merita, COMETTI de mixtione tartari emetici cum cortice chinachinae et BERGMANI de tartari emetici praeparatione conſilium deſcribit: ſectio denique chirurgica POTTII, RICHTERI, SCHMUCKERI, KOELPINI de vulneribus capitis, eorumque ſanatione, prioris quoque de fiſtula lacrymali, et cataracta, LUDWIGII denique de ſuffuſionis per acum curatione tractatum exponit.

Sufficit ſumma horum capita indicaſſe, quum de omnibus atque ſingulis paſſim in his noſtris com-

mentariis egerimus, pluraque ab Auctoribus Cl. ex iisdem excerpta ſint.

IX.

L'art de connoitre et d'employer les medicamens dans les maladies, qui attaquent le corps humain, par M. DE FOURCROY. à Paris. 1785. in 8. 2 Volum.

i. e.

Ars cognoſcendi et adhibendi medicamenta in morbis, qui aggrediuntur corpus humanum, auct. DE FOURCROY. Pariſ. 1785. 8. Vol. I. Sect. I. quae generalia materiae medicae comprehendit p. 450. vna cum praefamine p. XXIV. Vol. II. Sect. II. continens therapiam generalem p. 390.

Sunt haec duo volumina quaſi prodromi amplioris multo operis, quo in quatuor ſimilia volumina partito Cl. Auctor primo hiſtoriam medicamentorum ſimplicium ex regno tam minerali, quam vegetabili atque animali, petitorum, tum medicamentorum arte chemica, poſtea medicamentorum arte, vt vocant, Galenica paratorum, denique modum ac praecepta in medicamentis componendis et praeſcribendis obſeruanda, ſiue, vt vulgo loquuntur, artem conſcribendi formulas tradet.

Primum, quod coram habemus, volumen in hiſtoria materiae medicae illuſtranda, in diiudicandis, qui eodem tramite praegreſſi ſunt Cl. Auctorem, medicis, inter quos tamen POERNERUM, MELLINUM, LOESECKIUM, MURRAYUM, LINNEUM, (quem tamen alio in loco nominat) eiusque Commen-

men-

